



1031

$\frac{28}{40}$





QVAESTIONES
SVPER DVOS LI-
BROS ARISTOTELIS
De Generatione, & Corruptione.

A V C T O R E

R. P. M. Fr. Ioanne Martinez de Prado, Vallis-Oletano, Ordinis Præ-
dicatorum, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, in Complutensi
Academia publico Theologiae Sacrae Professore in
Cathedra Vespertina, & insignis Collegij,
Sancti Thomæ Aquinatis
Regente.

*Sanctissimæ Virgini, & Matri Teresiae, & clarissimæ,
ac obseruantissimæ eius Familiæ PP. Discalceatorum
B. V. Mariæ de Monte Carmeli dicatæ.*

Anno



CVM PRIVILEGIO

Compluti in Collegio S. Thomæ Ordinis Prædicatorum,
Fr. DIDACVS GARCIA,

OVARIUM
SVP
DEOS AESTIVOS

INDEX

QUESTIONVM

R. P. M. H. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

I. De...
II. De...
III. De...
IV. De...
V. De...
VI. De...
VII. De...
VIII. De...
IX. De...
X. De...
XI. De...
XII. De...
XIII. De...
XIV. De...
XV. De...
XVI. De...
XVII. De...
XVIII. De...
XIX. De...
XX. De...
XXI. De...
XXII. De...
XXIII. De...
XXIV. De...
XXV. De...
XXVI. De...
XXVII. De...
XXVIII. De...
XXIX. De...
XXX. De...
XXXI. De...
XXXII. De...
XXXIII. De...
XXXIV. De...
XXXV. De...
XXXVI. De...
XXXVII. De...
XXXVIII. De...
XXXIX. De...
XL. De...
XLI. De...
XLII. De...
XLIII. De...
XLIV. De...
XLV. De...
XLVI. De...
XLVII. De...
XLVIII. De...
XLIX. De...
L. De...
LI. De...
LII. De...
LIII. De...
LIV. De...
LV. De...
LVI. De...
LVII. De...
LVIII. De...
LIX. De...
LX. De...
LXI. De...
LXII. De...
LXIII. De...
LXIV. De...
LXV. De...
LXVI. De...
LXVII. De...
LXVIII. De...
LXIX. De...
LXX. De...
LXXI. De...
LXXII. De...
LXXIII. De...
LXXIV. De...
LXXV. De...
LXXVI. De...
LXXVII. De...
LXXVIII. De...
LXXIX. De...
LXXX. De...
LXXXI. De...
LXXXII. De...
LXXXIII. De...
LXXXIV. De...
LXXXV. De...
LXXXVI. De...
LXXXVII. De...
LXXXVIII. De...
LXXXIX. De...
LXXXX. De...
LXXXXI. De...
LXXXXII. De...
LXXXXIII. De...
LXXXXIV. De...
LXXXXV. De...
LXXXXVI. De...
LXXXXVII. De...
LXXXXVIII. De...
LXXXXIX. De...
LXXXXX. De...

CVMP RIVIBUS
CVS QVARTVM

I N D E X

QVAESTIONVM

R. P. M. Fr. 10 ANNIS MARTINEZ
de Prado in duos Libros de Generatione.

Libri primi summa pag. 2.

Quaestio prima, de subiecto ho-
rum librorum. 10.

Quaestio secunda, vtrum detur ge-
neratio substantialis? 12.

§. 1. Status quaestionis. ibi.

2. Tres rationes insufficientes. 13.

3. Legitima probatio declaratur.
16.

Quaestio tertia, vtrum generatio
substantialis sit essentialiter mu-
tatio? 17.

§. 1. Sententia negatiua. ibi.

2. Vera sententia. ibi.

3. Argumenta soluuntur. 18.

Quaestio quarta, vtrum generatio
sit actio ab alteratione distin-
cta? 21.

§. 1. Status quaestionis. ibi.

2. Generatio distinguitur ab alte-
ratione. 22.

3. Generatio non est resultantia,
sed noua actio. 24.

4. Argumenta soluuntur. 25.

Quaestio quinta, vtrum generatio
siteductio, & conuersio? 30.

§. 1. Vtrū in generatione sint plu-
res actiones substantiales? ibi.

2. Qualiter generatio dicatur cō-
uersio? 33.

Quaestio sexta, de termino ad quē
generationis substantialis. 34.

§. 1. De termino qui. 35.

2. De termino formali. 36.

Quaestio 7. Vtrum materia prima
sit subiectū generationis substan-
tia-

Index questionum lib. 1. de Generatione.

- tialis? 40.
- §. 1. Tres sententiæ proponuntur. 41.
 2. Ultima præfertur. 42.
- Quæstio octaua, vtrum dispositiones causent generationem substantialem? 47.
- §. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
 2. Sententia negatiua. 48.
 3. Vera sententia. 49.
- Quæstio nona, vtrum dispositiones vltimè dimanent à forma ad quam disponunt? 54.
- §. 1. Vera sententiæ autoritate probatur. Ibi.
 2. Rationes conclusionis. 56.
- Quæstio decima, de corruptione substantiali quid sit? 60.
- §. 1. Definitio corruptionis. Ibi.
 2. An corruptio sit actio distincta à generatione? 62.
- Quæstio 11. De comparatione generationis ad corruptionem. 65.
- §. 1. Qualiter generatio vnus sit corruptio alterius? 66.
 2. An generatio, & corruptio habeant mutuum ordinem prioris, & posterioris? 68.
 3. An corruptio sit perse intenta à natura? 71.
- Quæstio 12. Vtrum in corruptione substantiali fiat resolutio vsq; ad materiam primam? 72.
- §. 1. De pluralitate formarum in vno composito substantiali. 73.
 2. Neque in viuentibus sunt plures formæ. 76.
 3. De subiecto accidentium. 80.
 4. Non sunt eadem numero in corrupto, & genito. 81.
 5. Coclusio principaliter intèta. 85
- Quæstio 13. quid sit alteratio; & quotuplex? Ibi.
- §. 1. Definitio alterationis. 93.
 2. Diuiditur alteratio. 95.
- Quæstio 14. quæ fiat capacia intentionis, & remissionis? 96.
- §. 1. Status quæstionis. Ibi.
 2. Substantia incapax intensionis. 99.
 3. Etiam quantitas intensionis incapax. 102. (biles? 103.)
 4. Quænam qualitates fiat intensio. 105.
- Quæstio 15. Vtrum qualitatis intensio fiat per additionem? 105.
- §. 1. Additio qualitatis variè defenditur. Ibi.
 2. Authores, & modi explicandi sententiam negatiuam. 106.
 3. Impugnatur intensio per additionem gradus ad gradum. 109.
 4. Fit intensio per maiorem radicalionem. 113.
 5. Argumenta soluuntur. 115.
 6. Excluduntur modi dicendi relativi. 113. 118. (119.)
 7. Qualitates augètur essentialiter.
- Quæstio 16. Quid sit maior radicalio qualitatum in subiecto? 123.
- §. 1. Referuntur explanationes Thomistarum. Ibi.
 2. In intensione additur realis perfectio, modaliter distincta à qualitate? 125.
 3. Quid non sit modus maioris radicalionis? 128.
 4. Est noua terminatio. 130.
 5. Soluuntur argumenta. 133.
- Quæstio 17. Vtrū alteratio sit motus continuus? 137.
- §. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
 2. Opiniones referuntur. 138.
 3. Aliquæ alterationes non continuæ. 140.
 4. Quando sit alteratio continuus motus? 145.

Index questionum lib. 1. de Generatione.

5. Rationes examinantur. 146.
6. Argumenta soluantur. 148.
7. An dentur indiuisibilia qualitas? 151.
- Quæstio 18. Vtrū augmentatio sit motus ab alijs distinctus? 153.
 - §. 1. Ratio ordinis doctrinæ. Ibi.
 2. Certa præmittuntur. 154.
 3. Vtrū augmentatio realiter differat à nutritione, & ab aggeneratione? 157.
 4. Rationes conclusionis expenduntur. 159.
- Quæstio 19. Quid sit nutritio? 162.
 - §. 1. Vtrum alimentum conuertatur in substantiam aliti? Ibi.
 2. Causæ nutritionis. 164.
 3. Aliæ duæ difficultates. 165.
- Quæstio 20. Vtrum sola viuentia nutrantur, & augeantur? Et qualiter. 168.
 - §. 1. Resolutio quoad primam partem quæstionis. Ibi.
 2. Vtrum quælibet pars augeatur? 170.
- Quæstio 21. Vtrum viuens maneat idem toto tempore augmenti? 172.
 - §. 1. Qualiter forma sit eadē? 173.
 - §. 1. Vtrum subiectum sit idē? 175.
 3. Textus Phylos. exponitur. 178.
- Quæst. 22. Vtrum augmentatio, & nutritio continuo durent? 179.
 - §. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
 2. Vtrū augmentatio sit continua? 182.
 3. Vtrum nutritio sit cōtinua? 185.
 4. Vtrum peraccidens augmentatio sit in instanti? 187.
- Quæstio 23. De rarefactione, & cōdensatione. 186.
 - §. 1. Status quæstionis. Ibi.
 2. Opiniones Doctorum. 190.
 3. Reijciuntur tres primæ sententiæ. 192.
 4. Non acquiritur noua quantitas: bene tamen noua qualitas. 195.
 5. Soluantur argumenta. 197.
- Quæstio 24. Vtrum sine rarefactione, & sine additione quætitatis, possit aliquid fieri maius, quam erat antea? 202.
 - §. 1. Conclusio communis, & vera. Ibi.
 2. Vtrum possit dari rarefactio sine qualitate? 203.
- Quæstio 25. Vtrum aliquid possit agere in seipsum? 205.
 - §. 1. Sententia affirmans. 206.
 2. Communis, & certa conclusio. 207.
 3. De antiparistasi. 209.
- Quæst. 26. Vtrū simile possit agere in sibi simile? 212.
 - §. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
 2. Tres præcipuæ sententiæ. 214.
 3. Resolutio quæstionis. 216.
 4. De reflexione. 221.
- Quæst. 27. Vtrum agens vniuocū possit producere effectum sibi omnino æqualem? 225.
 - §. 1. Negatiua sententia. Ibi.
 2. Vera sententia. 226.
 3. De Sphæra adluitatis. 228.
- Quæst. 28. De resistentia qualitatum. 229.
 - §. 1. quotuplex sit resistentia. Ibi.
 2. quo ordine conueniat. 231.
 3. Qualiter resistentia cōducatur ad successionem alterationis? 233.
 4. Vtrum debeat esse maior actiuitas agentis, quam passi resistentia? 236.

Index questionum lib. 1. de Gener.

Quæstio 29. vtrum omne agens agendo repatiatur? 237.

§. 1. Quæstionis solutio. ibi.

2. Argumentum difficilè soluitur. 239.

Quæstio 30. De missione quoad an est, & quid est? 243.

§. 1. An sit missio? ibi.

2. Quid sit missio? 244.

3. Qualiter distinguatur missio à generatione? 245.

Quæstio 31. Ex quibus possit fieri vera missio? 247.

§. 1. Missio ex quatuor elementis. 248.

2. Causa efficiens missionis. 250.

3. De missione inter liquores. 251.

4. De missione aquæ, & vini. 254.

5. Argumenta soluuntur. 257.

Quæstio 32. Vtrum elementa manent formaliter in misto? 260.

§. 1. Opiniones Doctorum. ibi.

2. Probatur autoritate Philosophi elementa non manere formaliter in misto. 262.

3. Rationib⁹ idem probatur. 265.

4. Argumenta soluuntur. 267.

Quæstio 33. Qualiter elementa manent in misto virtualiter? 269.

§. 1. Variæ Doctorum explicationes. 270.

2. Vera sententia quoad continentiam substantiatem. 272.

3. Qualitates primæ sunt in misto formaliter. 273.

4. Vtrum in omnibus mistis detur quinta qualitas? 276.

2. De numero elementorum. 290.

3. Argumenta soluuntur. 292.

4. Vtrum elementum ignis luceat? 295.

Quæstio secunda, de qualitatibus primis elementorum. 296.

§. 1. Definitiones præmittuntur. 297.

2. Dubia determinantur. 298.

3. Vtrum sint accidentia communia, vel propria? 301.

Quæstio tertia, quæ qualitas conueniat elemento? 303.

§. 1. Status quæstionis. ibi.

2. Communior sententia probabilior. 304.

3. Argumenta soluuntur. 307.

4. Vtrum qualitas elementi minus intensa habeat permixtionem contrariæ? 310.

Quæstio quarta De contrarietate elementorum. 312.

§. 1. Qualiter interformas substantiales sit contrarietas? ibi.

2. Vtrum contrariæ qualitates possint esse simul? 314.

Quæstio quinta de mutua elementorum generatione. 318.

§. 1. De immediata elementorum transmutatione. ibi.

2. Duo alia dubia soluuntur. 321.

Quæstio 6. De temperamento mistorum. 322.

§. 1. Quid, & quotuplex sit temperamentum? 323.

2. Vtrum detur temperamentum æquale ad pondus? 325.

Quæstio 7. Vtrum corruptum possit idem numero reparari? 328.

§. 1. Opiniones Doctorum. ibi.

2. Res permanens naturaliter nequit eadē numero redire. 329.

3. Se-

Libri secundi summa. 280.

Quæstio prima, de elementis. 287.

§. 1. Quid sit elementum? ibi.

Index quaestionum lib. 2. de Generatione.

3. Secus de potētia absoluta. 332.
4. Successiua redire eadem numero contradictionem implicat. ibi.
- Quaestio vltima, de principio indiuiduationis in rebus materialibus. 334.
5. 1. Sententiæ præcipuæ cum suis fundamentis. ibi.
2. Notabilia pro decisione quaestionis. 336.
3. Indiuiduationis principium proximum nō differt realiter à substantia. 338.
4. Forma non est radicale principium indiuiduationis. Neque hæcitas. 340.
5. De principio extrinseco indiuiduationis. 343.
6. Materia quantitate signata est principium indiuiduationis. 346.
7. Qualiter materia signetur quantitate: variè declarant Thomistæ. 350.
8. Resolutio quaestionis de signatione materiæ per quantitatem. 356.

DEO GRATIAS





Nota.

Summam Privilegij Regis Catholici; facultatem
Ordinarij, & Ordinis; Doctorum approbationes;
& Taxa summam; habes pro tribus partibus *Quæ-*
stionũ Naturalis Phylosophiæ, &c. in prima parte, seu
tomo primo, qui est super octo libros Physicorum.





QVÆSTIONVM
 PHYLOSOPHIAE
 NATVRALIS
 SECVNDA PARS.

*Super duos libros Aristotelis de Generatione, &
 Corruptione.*

A V C T O R E
 R. P. M. F. Ioãne Martinez de Prado, Vallis-Oletano,
 Ordinis Prædicatorum.

P R O O E M I V M.

Methodo naturali obseruata, libris de Generatione, non secūdam, sed tertiā partem Naturalis Philosophiæ debere consignari, in ipsorum prologo notat S. Thomas, eius egregiā rationem assignans: nam oportet, inquit, quod secundum differentiā motuum, & mobilū distinguātur,

& ordinētur partes Sciētiæ Naturalis. Primus autē motuum est ipse motus localis, qui est perfectior, & communior omnibus motibus, vt probatur in 8. Physic. text. 55. Et ideo post considerationem motuum, & mobilium in communi; quæ fuit tradita in libris Physicorum, oportuit quod tractaretur de corporibus, secundum quod mouentur motu locali in libris de Cælo: quæ est secunda pars Sciētiæ

A

Natu-

Naturalis. Restat igitur consideratio de motibus alijs consequentibus, qui non sint communes omnibus corporibus; sed inueniantur in solis inferiorib⁹; inter quos principatum obtinet generatio, & corruptio; de quibus tractat Philosophus in hac tertia parte Sciētia Naturalis.

2 Omissa tamen naturali methodo, coacti sumus arbitraria vti, & relictis libris de Cælo, immediatè post quæstiones in octo libros Physicorū, scribere quæstiones in duos libros de Generatione; quia sic fert stylus nostræ, & Cöplutenis Scholæ, vt diximus lib. 1. Phys. q. 2. n. 3. vnde cum audis hanc esse secūdā partē Naturalis Philosophiæ, iuxta partitionem in Scholis nunc cōsuetam intellige; nam iuxta rei naturam tertia deberet esse.

3 Inscribuntur libri, si translationem sequamur antiquam, de *Generatione, & Corruptione*; at verò iuxta Franciscum Vatablum, de *Ortu, ac Ineuitu*. Et quamquam Toletus, & quidam alij voces istas pro eodem

acceperint: tamen in rigore loquendo distinguuntur, vt ex D. Thoma in 3. dist. 8. q. 1. art. 1. notant M. Bañez hic in comment. 1. cap. & PP. Carmel. disp. 1. q. 2. nam inquantū principia suæ generationi ministrantur à generante, res dicitur gigni, vel quod est genita: inquantum vero procedit per modū exitus à generante; quod non est in generatione animarum; dicitur oriri. Et ideo in rigore loquendo, sola viuētia dicuntur oriri, & interire; at vero generatio est communis productioni animarum, & inanimatarum. Iam tamē in communi acceptione inter ista non solet assignari distinctio, quia etiam inanimata vt cūque à generante exeunt: & ideo ambæ translationes idem vocibus diuersis significant.

4 Partitio, seu diuisio dicendorum, ex summa textus, & ex dicendis de obiecto horum librorum erit manifesta. Et quia non nouum opus ordimur; sed inchoati secundam partē tradimus; ideo alia præfari supervacaneum iudicamus.

LIBER PRIMVS ARISTOTELIS,

De Generatione, & Corruptione.

TRACTATVM istum, seu tertiam partem Naturalis Philosophiæ, in duos libros diuisit Philosophorum Princeps Aristoteles: in quorū primo agit de Generatione, Alteratione, & Augmento, &

alijs motibus ad hos consequentibus, vel eis oppositis. Quia tamen, qui cōsiderat genus aliquod, debet causas totius generis considerare; sicut Metaphisica simul determinat de Ente in communi, & de primo

mo Ente; quod est à materia separatum; idem debet cōtingere in hac parte. Sunt autem in genere generabilium, & corruptibilium, quædā prima principia, scilicet, elementa, quæ sunt causa generationis, & corruptionis, & alterationis in omnibus alijs corporibus. Et inde est (vt inquit S. Th. hic in prologo) quod Aristoteles in hoc libro, qui est tertia pars Scientiæ Naturalis, determinat non solum de Generatione, & Corruptione in communi, & alijs motibus consequentibus: sed etiā de generatione, & corruptione Elementorum: de quibus in toto secundo libro.

2 Hic primus in decem diuiditur capita. Quatuor prioribus de Generatione tractat. In quinto de Augmentatione, & Diminutione. In reliquis verò subsequētib; vt naturam alterationis declarat, disputat de modo agendi, & patiendi, & alijs cōditionibus requisitis, & motibus consequentibus. Tandem de nūssione, quæ est quodam genus generationis, agit.

Summa capitis primi.

3 PRæmittit Phylosophus intentionem suam esse agere principaliter de generatione, & corruptione, & de earum causis, & de alijs motibus consequentibus, & de comparatione eorum ad inuicem. Quo præmisso, refert sententias Antiquorum circa differentiam generationis, & alterationis: nam quidam dixerunt, quod generatio simpliciter est idem, quod alteratio;

alij verò dixerunt esse aliud generationem simplicem, & alterationem: quia quidam posuerunt vnum principium materiale; quidam autem multa. Igitur qui ponebant vnum principium, illud dicebant substantiam omnium rerum, quæ ex eo generabantur: vnde non distinguebant inter generationem, & alterationem. Qui autem ponebant multa genera principiorum, dicebant, quod ex congregatione erat generatio, & ex segregatione corruptio.

4 Improbatur modum quo ab istis ponebantur plura principia: dicebant enim, quod non erat possibile ex igne fieri aquam; aut ex aqua terram; quia non ponebant Elementa composita ex materia, & forma, vt ex vno corrupto posset aliud generari. Impossibile est autem propria accidentia inueniri nisi in proprijs subiectis: ergo non potest aliquid ex albo fieri nigrum, vel ex molli durum. Deinde, necesse est supponere vnam naturam contrarijs terminis motus. Sed prædicti Phylosophi non ponunt vnum subiectum omnium qualitatuum, sed plura: ergo non possunt ponere alterationes, & generationes.

Ultimo disputat contra Empedoclem, qui videtur contraria dicere, & sibi ipsi, & his quæ apparent secundum sensum, in quibus videmus ex aqua fieri aerem, & ex aere ignem.



Summa textus lib. 1. de Generatione.

Summa capitis secundi.

PONIT in hoc capite opiniones aliorum de generatione, & corruptione: nam Democritus, & Leucippus per congregationem, & separationem corporum indiuisibilium figuratorum causabatur generatio, & corruptio; ex permutatione autem ordinis, & positionis causabatur generatio alteratio. Qui conuenientius procedebant, quam Platonici, qui resoluebant corpora in superficies, & non poterant assignare causam alicuius transformationis formalis; quia Plato circa intelligibilia intentus, sensibilia non intendebat.

6 In secunda parte proponit, & soluit rationem Democriti: quæ talis erat. Vel corpus componitur ex indiuisibilibus; vel esset diuisibile omnino, seu totaliter secundum quodcunque signum: sed est impossibile corpus sensibile esse diuisibile omnino: ergo corpus componitur ex indiuisibilibus corporibus. Probatur minor. Possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile. Sed diuiso quocumque diuisibili, remanent aliquæ partes diuisibiles, in quas fit diuisio: alioquin vel componetur ex solis punctis, vel ex non quantis: ergo, &c.

Respondet Philosophus, quod alterum horum est verum in potentia, scilicet, quod corpus sit diuisibile secundum quodcunque signum; alterum verò est verum secundum actum, scilicet, quod corpus non sit diuisibile secundum quodcunque signum in actu. Quædam enim sunt de quorum

ratione est esse in potentia; vt non potest poni, quod omnes horum diei sint simul acti: & similiter non potest poni, quod ex aere sit generatum quicquid ex eo potest generari; quia tolletur natura materiæ, quæ semper est in potentia ad omnes formas. Sic igitur est contra rationem magnitudinis, quod sit simul acti diuisa, licet sit diuisibilis in potentia. Vnde impossibile est generationem esse congregationem ex corporibus indiuisibilibus.

Summa capitis tertij.

7 **I**NQUIRIT in primis, vtrum aliquid generetur, vel corrumpatur simpliciter, vel proprie? Nam si sit aliqua generatio simpliciter, sequitur, quod aliquid generabitur ex simpliciter non ente: quod est impossibile; alioquin verum erit dicere, quod non ens existit, id est, est ens: quod est contradictoria esse simul vera. ¶ Respondet oportere id, quod præexistit generationi esse potentia ens, non autem actu ens: & idem quodammodo est verum, quod generatio simpliciter est ex ente, & ex non ente.

Sed contra replicatur: nam generatio, & corruptio simplex est solius substantiæ; vnde si id quod generatur est substantia in potentia, & non in actu, restat querendum, vtrum sit in actu aliquod aliorum prædicamentorum? Si nil aliorum sit; sequitur, quod ex nihilo nil fiat. Si vero sit in actu aliquid aliorum prædicamentorum, sequitur, quod accidentia separantur à substantijs: quod est manifestè impossibile: ergo non potest

potest esse generatio simpliciter hoc modo, quod substantia generetur ex non ente actu, ente autem in potentia, vt prædicta solutio dicebat.

8 Vt respondeat, introducit aliã quaestionem, per cuius solutionem soluitur prædicta obiectio. Inquit ergo causam materialem perpetuitatis generationis? Respondet hoc ideo esse, quia corruptio huius est generatio alterius, & e conuerso; quia non potest materia manere, quin sit subiecta alicui formæ: & sic cõsideratur quidam circulus in generatione, & corruptione, ratione cuius habet aptitudinem ad perpetuitatem.

Rursus ad idem intentum inquit, quare quædam dicuntur simpliciter generari; quædam verò non? Solutio est hoc esse iudicandum ex terminis, quando enim peruenitur ad formam completam, est generatio simplex; aut quia vnum est perfectius ens, quam aliud; & apud vulgares, tertio hoc cõtingit, quia res ex qua aliquid generatur, vel in quam corrumpitur, vel transmutatur, est magis, vel minus sensibilis.

9 Respondet iam præcipue quæstioni, quod quædam dicuntur simpliciter generari, quædam autem solum secundum quid, non secundum generationem ex inuicem; quia vnum eorum dicitur generari simpliciter, vel corrumpi, aliud autem secundum quid. Et cum generatur accidens, est generatio secundum quid.

Ex quibus infert primo, quod generatio est ex corruptis, quia est ex non ente; & corruptio tendit in nõ

ens. Secundo infert, quod materia solum est non ens per accidens ratione priuationis cui adiungitur. Tertio infert, quod materia eorũ, quæ transmutantur ad inuicem, subiecto est eadem; non autem secundum esse, vel rationem.

Summa capitis quarti.

10 **E**xplicat differentiam generationis, & alterationis: nã alteratio est quando manet idem subiectum sensible, scilicet, quando nulla transmutatione in eius substantia facta, fit transmutatio in qualitatibus. Generatio autem est quando est transmutatio, nõ solum secundum passiones; sed etiam secundum totam rei substantiam. In his autem corporibus, quæ ad inuicem transmutantur, quandoque manet eadẽ passio in generato, & corrupto; nõ eadem numero, sed eadem specie.

11 Ex parte autem subiecti differt generatio ab alteratione, & ab alijs transmutationibus: nam alteratio est secundum passiones alicuius permanentis; & hoc idem accidit in alijs mutationibus, quæ sunt secundum accidentia, quæ adueniunt subiecto existenti in actu. Quando verò nihil manet actu existens, cuius alterum quod transmutatur sit passio, & accidens, est vniuersaliter generatio, & corruptio; eo quod forma substantialis, secundum quam est generatio, & corruptio, non aduenit subiecto actu existenti. Et rursum, materia prima est maximè proprium subiectum susceptibile generationis, & corruptionis; quia immedie

mediatè substat formis substantia-
libus, quæ per generationē, & cor-
ruptionem adueniunt, & recedūt.
Sed ex cōsequēti, & mediatè subij-
citur omnibus alijs trāsmutationi-
bus.

Summa capitis quinti

12 **D**eterminat in hoc capite Phy-
losophus de augmētatione,
& diminutione, hoc ordine. Primo
considerat in quo differant ab alte-
ratione, & generatione? Secundo
inquirit modum augmenti, & quā-
tum ad subiectum, quod augetur;
& quantum ad id quo augetur. De
hique comparat augmentum ali-
mento, & nutritioni. ¶ Quoad pri-
mū, differentia manifesta est, quod
transmutatio, quæ est ex substantia
ente in potentia, in substantiam
entem in actu, est generatio; trans-
mutatio, quæ est circa magni-
tudinem, est augmentatio; quæ ve-
rò est circa passibiles qualitates, est
alteratio. ¶ Ex parte autem modi
differunt, nam id quod alteratur,
non ex necessitate transmutatur se-
cundum locum; similiter etiam, ne-
que quod generatur: sed necesse
est id quod augetur, vel dimini-
uitur, secundum locum transmutari;
quia locus commensuratur locato
secundum magnitudinem; non au-
tem secundum qualitatem, vel sub-
stantiam.

13 Ut explicet modum augmē-
ti, inquirit primo, utrū per augmē-
tum generetur magnitudo, & cor-
pus ex eo quod est in potentia ad
magnitudinem, & corporeitatem?
Respondet, quod non est possibile
subiectum augmenti esse id, quod

nullam habet quātitatem actu, sed
in potentia tantum, sicut est mate-
ria. Et nihil quod caret magnitudi-
ne potest esse subiectum augmēti:
vnde augmentum non est transmu-
tatio ex aliquo, quod sit in potentia
ad magnitudinem, ita quod ac-
tu nullam magnitudinem habeat,
quia talis transmutatio non pro-
priè pertineret ad augmentum; sed
magis ad generationem.

14 Secundo inquirit, quod est id
quod augetur; vel cui apponitur,
vel alimentum; vel utrūque? Res-
pondet augeri id cui additur; nam
illius manet substantia; alimenti ve-
rò non manet; conuertitur enim in
substantiam eius quod nutritur, &
augetur. Et sic saluantur tria, quæ
sunt de ratione augmenti: primum
est, quod id quod augetur perma-
neat: secundum est, quod augmen-
tum fiat adueniēte aliquo, & dimi-
nutio aliquo recedente: tertium,
quod quælibet pars sensibilis eius,
quod augetur, fiat maior.

15 Cum autē dicitur, quod quæ-
libet pars augetur, est verum si ac-
cipiatur pars secundum speciem; nō
autem cuiuslibet parti secundum ma-
teriam consideratæ fit additio, nec
vt sic augetur. Et quodāmodo est
verum dicere, quod simile augetur
simili; quodāmodo augetur, quod
augetur à dissimili: nam id quod au-
getur, in principio quidem est dissi-
mili; in fine autem simile; cum id
quo aliquid augetur, sit in potētia
ad id quod augetur.

16 Circa tertium, ostendit quo-
modo se habeat id quod auget, ad
id quod nutrit; oportet enim id
quod

quod aduenit, esse quidem aliquid in actu quantum, non autem carnē quantam, sed solum in potētia: vnde id quod aduenit est in potentia ad vtrumque. Et aliquis nutritur quandiu conseruatur vita: non autem semper animal augetur; sed quandiu cibus cōuersus in carnem potest extendi in maiorem quantitatem. Vnde nutrimentum, & augmentum sunt idem subiecto, sed esse in eis est aliud, seu ratione differunt.

Summa capitis sexti.

17 **I**ncipit determinare de requisitis ad transmutationes prædictas. Vnde cum mistio, facere, & pati non possint fieri sine tactu (nam ea quæ ad inuicem nō se tangunt, non possunt ad inuicem agere, & pati) idē ad agendū de ipsis oportet de tactu tractare.

Tactus, & dicitur propriē, & trāsumptiuē. Tactus propriē est in habentibus positionem, mouentib⁹, & motis, a se inuicem actiuis, & passiuis. Vnde frequentius, & fortius dicitur esse tactum omne agens naturale, quod tangendo tangitur, quia fere omnia, in quibus necessario videtur esse tactus, mouent mota.

18 Tactus impropriē est, cū mouens solum tangit id quod mouetur; sed ipsum motum, quod tangitur, non tangit mouēs, seu tangēs: & ista sunt, quæ non sunt vnius generis physici. Vnde si est aliquid mouens immobile, tangit id quod mouetur; sed non tangitur ab eo.

Summa capitis septime.

19 **D**E agere, & pati tria determinat Philosophus in hoc capite. Primo ostendit, quæ, & qualia sint actiua, & passiua. Secundo determinat de modis eorum. Tertio ostendit ad quas causas actiua, & passiua reducantur. ¶ Circa primū refert duas opiniones antiquorum contrarias: nam quidam dixerunt, quod ea, quæ agunt, & patiuntur ad inuicem, necesse est penitus esse dissimilia; quia inter similia nō est cur hoc potius sit agens, quam patiēs. Per oppositū Democritus aliteruit, quod agens, & patiens est omnino simile; quia quæ sunt diuersa, & dissimilia, nec agunt, nec patiuntur ad inuicem.

Ipse verò docet, quod agens, & patiēs in genere, seu ex parte materiae sunt idem, & similia; & diuersa specie, & cōtraria; & idē necesse est quodammodo esse similia, & quodammodo dissimilia: & sic faciens poterit sibi assimilare patiēs, cum habeat vnum cōmune subiectum susceptiuum contrariorum.

20 Quoad secundum dicit, quod causa quare quoddam agens est, quod agēdo patitur, quoddam autem non, est ista, quia quædam non habent eandem materiam; & talia agunt, & ab eis nō patiuntur. Quædam autem habent eandem materiam; & idē agendo patiuntur. Dicitur esse vna materia, quæ est susceptiua contrariorum: & idē vna materia est actiui, & passiuī.

21 Denique ostēdit ad quam cau

sam reducatur agens, & ad quā patiens. Agens est efficiens; siquidem est primum principium motus; & est diuersum à causa formali, & finali; & non dicitur finalis nisi secundum metaphoram. Patiens autem reducitur ad materiam. Ex quo patet, quod omnis potentia passiva, & omnis passio est per materiam; & omnis actio est per formam.

Summa capituli octaui.

22 **R**efert, & impugnat in hoc capite tres opiniones Antiquorum circa modum quo contingit agere, & pati. Quibusdam visum fuit, quod vnumquodque quod patitur, patitur per quosdā poros. Et in speciali Empedocles dixit ipsos poros, non solum in actiuis, & passiuis, sed etiam ad inuicem bene ad misceri. Democritus verò, & Leucippus dixerunt, quod causā diuersitatis corporum, tam simplicium, quam mistorum, causatur ex diuersitate corporum atomorum, quæ differunt positione, & ordine; & forma, & figura. Parmenides verò, & Melissus opinati sunt esse tantum vnum principium; & illud esse immobile, & continuum. Quas opiniones latè ad inuicem comparat, earum convenientiam, & differentiam declarans.

23 Reprobat opiniones istas quæ tantum ad positiones atomorum: nā si indiuisibilia corpora sunt principia, sequitur, quod contradictoria erunt simul vera: indiuisibilia enim nec possunt agere, nec pati ad inuicem: si autē sunt principia, ager, & patientur ad inuicem: ergo agent,

& non agent; patientur, & non patientur: quod est impossibile. Rursum, aut omnia sunt vnius naturæ; aut diuersa? Si primū, non erit quod discontinuentur, & diuidantur. Si secundum: ergo illæ naturæ magis sunt ponendæ causæ, & principia rerum, quæ sunt ex atomis, quam figuræ atomorum.

Præterea, pori non sunt necessarij ad actionem, & passionem: nam etiam si non haberet poros, totum continuum patietur eodem modo propter tactū actiui. Nec pori sunt necessarij ad corporis diuisionem; quia aliter mathematica non essent diuisibilia.

Summa capituli noni.

24 **V**T secundum rei veritatem explicet quomodo fiat generatio, & agere, & pati, ponit conditiones, quæ requiruntur ad actionem, & passionem; & ostendit, quod relata opinio non est sufficiens ad actionem, & passionem; & quod destruit augmentum. Prima conditio est, quod patiens, quod est in potentia, non patitur secundum quasdam partes, sed secundum omnes. Secūda, quod agens, & patiens debent esse diuisa, & non cōtinua, quia nil patitur à seipso; non enim erit maior ratio quare vna pars agat, & alia patiatur. Debent etiam agentia, & patientia esse in debita propinquitate. Appropinquant autem sibi ipsi, quando primum agens, & vltimum patiens sunt immediata: appropinquant verò in alijs quādo inter primum agens, & vltimum patiens est aliquid quod agit, & patitur; agit autem in virtute primi.

Summa textus lib. 1. de Generatione.

25 Si autem generatio fiat separatis corporibus per poros, sequitur destrui alterationem; in qua tamen saluatur passio, & actio: videmus enim, quod idem corpus continuum manens alteratur, & non diuiditur. Sequitur etiam destrui augmentum; nam si fiat per additionem atomorum, non erit augmentatio omnium partium; sed quaedam appositio corporis ad corpus.

Summa capitis decimi.

26 **T**Ractat in vltimo capite, an mistio sit: Et quomodo mistio fiat: Dixerunt ergo quidam non esse possibile mitionem fieri, & probabant taliratione. Quando miscibilia veniant ad mitionem, aut manent sicut prius; vel corrumpuntur ambo, vel alterum. Si manet sicut prius, non sunt magis mista, quam prius. Si autem alterum corrumpatur, non erit mistio, sed vnus corruptio, & alterius conseruatio; si ambo corrumpuntur, etiam non erit mistio, quia non possunt esse mista, quae nullo modo sunt entia.

27 Vt respondeat premitit, quod si est mistio, oportet eam differre a generatione; materia enim non dicitur misceri generabili, sed potius effici actu per formam: vnde mistio non est generatio, neque corruptio. Differt etiam ab augmento, quia non dicimus cibum nasci corpori cibato. Differt etiam ab alteratione, quia non dicimus figuram misceri cerae; neque quod albedo miscetur corpori: quia tam accidens, quam subiectum manent inalterata: similiter nullum accidens miscetur alij accidenti.

Respondet ergo mitionem dari: sed mista sunt in misto in potentia, saluata tamen virtute eorum; sed non sunt ibi actu: ipsum enim generatum est aliud ab ipsis miscibilibus, siue mistis, & est in potentia ipsa miscibilia, quae ante mitionem sunt separata: licet in misto non sint ab inuicem diuisa.

28 Circa modum mitionis, quidam dixerunt mitionem fieri secum minima, vel quoad sensum, vel secundum materiam. ¶ Reijcit vtramque opinionem, quia tunc esset potius quaedam compositio, & non mistio secundum veritatem, sed solum ad sensum; nec haberet quibus pars eandem rationem cum toto. Specialiter contra primam opinionem arguit, quia illud quod esset vni mistum, esset alteri non mistum, nempe linceo videnti acute. Contra secundam obijcit, quia in minima simpliciter impossibile est diuidere corpus; si autem minima essent physica, tunc esset congregatio, & non mistio.

29 Ex propria opinione docet, quod eorum, quae non communicant in materia, non potest esse mistio: & quaedam licet sint miscibilia; tamen per accidens misceri non possunt. Manifestum est ergo, quod haec sunt miscibilia quaeunque sunt de numero agentium, & habent contrarietatem, quia haec sunt ad inuicem passiva; & sit medium aequalitate proportionis; quod participat omnium virtutes miscibilium conuictorum.

Quando autem parua miscetur paruis, tunc facilius fit mistio, quia talia

talia facilius, & citius transeunt per se inuicem alterando. Et è contra quando multum miscetur multo, quia difficilius ad inuicem alterantur. Requiritur etiam ad facilem misionem, quod miscibilia sint bene terminabilia ad inuicem passiuam; quia bene terminabilia, cum sint subtilia, & humida facilius diuiduntur in parua.

30 Ex quibus patet, quod *mistio est miscibilium alteratorum unio*. Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus, siue qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur improprie, *mistio est miscibilium alteratorum, id est, corruptorum secundum formas, unio*.

QVAESTIO I.

De subiecto horum librorum.

1 **T**otius Naturalis Sciëntiæ subiectum esse ens mobile, libro 1. Phisic. q. 1. ostendimus; quia tamè vt docet S. Tho. lect. 1. de Sensu, & Sensato, in *Scientia Naturali distinguuntur partes scientiæ secundum diuersum separationis, & concreionis modum*; vel quia, vt nos ibi diximus q. 2. ex D. Tho. 1. Poster. lect. 4. litt. d. Naturalis Scientia est vna genericè, diuisibilis in plures species; & ideò debemus huic parti subiectiuæ, vltra obiectum commune, & genericum, assignare obiectum peculiare, quo fecernatur ab alijs speciebus, seu partibus subiectiuis contentis sub eodem genere. Vel iuxta alios existimantes solùm materialiter hanc partem differre ab alijs, vt potè arbitra

tes totam scientiam esse vnius speciei infimæ, adhuc videndum restat, qualiter ratio specifica applicetur huic tractatui? Vt videatur de quibus in illo sit agendum; vt materia quæ nõ est huius speculationis, ad proprium locum remittatur.

2 In assignando subiecto horum librorum variant Expositores Aristotelis. Nam Auerrois lib. 1. de Cælo com. 3. B. Albert. Magn. tract. 1. de Gener. c. 1. & alij opinantur subiectum esse corpus simplex mobile secundum formam; quia Philosophus lib. 2. egit de Elementis; & ipse Philosophus lib. 1. de Sensu, & Sensibili tractatum istum appellat commentationem de elementis.

3 Arbitrantur alij subiectum esse generationem substantialem. Tribuitur Simplicio, & Phylopono. Et vt probabilem tuetur M. Bañez conclus. 3. & videtur fauere S. Thomas in prologo horum librorum; & fauet illorum inscriptio. Et denique quia sic optimè distinguuntur ab alijs partibus; & omnes alij motus non sunt de cõsideratione horum librorum, nisi in quantum ordinantur ad generationem substantialem.

4 Tertio Toletus hic cõcl. 3. docet, quod obiectum est mutatio secundum formam, vt comprehendit generationem, alterationem, & augmentationem; quia istarum causarum, & passionum in præsentem traduntur. Et nullibi dicitur de corpore mobili secundum formam; nec quid sit ostenditur, nec passio de eo demonstratur, nec vlla ipsius causa. Aduertit tamen, quod non quidquid est subiectum rei, est subiectum scientiæ: corpus

corpus quidem est subiectum generationis; sed non est subiectum sciētiā; cū nec quid ipsum sit, nec quæ sint eius proprietates demonstrat.

5 Communis, & vera sentētia docet, obiectū esse ens mobile ad formam omnino intrinsecam mobili, siue substantialem, siue accidentalem. Ita tenere Thomistas communiter, testatur, & sequuntur PP. Carmel. q. 1. n. 6. & M. Ioann. à S. Thoma. Et docuerunt Aegidius, Venetus, Marsilius, Rubio, & alij.

6 Probaturq; in primis Authoritate S. Tho. qui in prologo docet generationē esse obiectum principale: ergo alij motus pertinet perse; licet minus principaliter. Et in prologo Physicæ clari⁹ id docet S. Thomas dicens: *In libro autem de Generatione de motu ad formam: cum autem condistinguat à libris de Cælo, in quibus dicit agi de motu ad vbi, quæ est forma extrinseca; iam habetur ex D. Tho. quod ens mobile ad formam omnino intrinsecā mobili est obiectum horum librorū.*

Secūdo, quia perse inspicitur in his libris ens mobile sub ista latitudine: & per istā discernitur ab alijs partibus Sciētiæ Naturalis. Et quod sit quid commune ad mobile substantiale, & accidentale, diximus nō ob stare lib. 1. Physicæ: ergo hoc est huius partis obiectum.


7 Per quæ defacili argumēta solvuntur. Ad primum respondet S. Tho. hic in prologo, quod de Elementis agitur in libro secundo, vt de primis principijs, & causis generationis, & corruptionis, & alterationis in alijs corporibus: vnde so-

lum partialiter, & vt integrantes obiectum, considerantur hic Elementa; sicut & in libris de Cælo perse agitur de eorum situ in vniuerso.

8 Ad secundum iam diximus inscriptionem summi à parte principali; non verò vt ab obiecto ad equato. Et sic omnes motus ordinatur ad generationem; nam inter eos *principatum obinet generatio*: non verò reducuntur ad eam vt species ad genus; nec vt aliquid per accidens ad obiectum perse: cum motus ad formas accidentales sint perse de consideratione Physicæ: & de istis in generali nullibi exproffessio agatur, nisi hic.

9 Ad argumenta tertiæ sentētiæ respondetur, quod ipse Philosophus initio huius primi libri, & S. Thom. lect. 1. litt. a. videntur præuenisse respōsionem, dum dicunt: *Et causas, & rationes eorum determinandum est; vel generationis, & corruptionis, vel etiam eorum, quæ naturaliter generantur, & corrumpuntur; utrorumque enim definitiones scire oportet: Naturalis enim non solum considerat motum, sed etiam mobilia.* Vnde falsum est, quod hic non tractetur de mobilibus; cū agatur de alteratis, mixtis, & elementis, & de motibus, & formis intrinsecis eorum. Et clarum est, quod Scientia Naturalis perse cōsiderat ens naturale, & naturam, & non solum motum naturalem, & terminum eius. Reliqua facilia sunt ex dictis lib. 1. Physicæ. q. 1. & 2.

& ideo non expedit in his immorari.



QVAESTIO II.

Utrum detur generatio substantialis?

ORdinem Philosophi sequentes, à generatione substantiæ incipimus, tum quia substantia est prior, & reliquorum fundamentum; & ideo generatio, quæ est via ad substantiam, debet prius considerari, quam alij motus, quibus accidentia producuntur: tum, quia licet in rei veritate dispositiones alterationis præcedant generationem, & ideo ordine executionis alteratio sit prior quam generatio; tamen ordine finis, & intentionis prior est substantialis generatio. Præterquàm quod distinctio illi⁹ à generatione ab Antiquis non agnoscebatur: unde prius fuit hæc distinctio stabilis, quam in speciali de alteratione disputaretur.

§. I.

Status quæstionis.

Debemus autem, quid nominis præmittere, & rudi mineræ quid sit generatio, exponere; ut possim⁹ videre an id quod hac voce exprimitur in rerum natura inueniatur? Pro quo notandum ex D. Tho. lib. 1. de Gener. lect. 9. litt. b. quod generatio est via de non esse ad esse; unde cum esse aliud sit simpliciter tale; quod est esse substantiæ, quod est primum nullum aliud supponens; aliud sit esse secundum quid, & ac

cidetale, quod supponit esse subiecti, seu substantiæ cui inheret: ideo id simpliciter generatur, quod acquirit esse cui non præsupponitur aliud esse: non enim fit quod est: non de quod iam est, non potest generari simpliciter, sed secundum quid. Et ideo illa, quorum esse præsupponit aliud esse, non dicuntur generari simpliciter, sed secundum quid. esse autem accidentium præsupponit aliud esse, scilicet, esse subiecti; esse autem substantiæ non præsupponit aliud esse; quia subiectum formæ substantialis non est ens actu, sed potentia: & ideo ex hoc quod accipit formam accidentalem dicitur generari secundum quid: quia verificatur, quod solum fit ens cum addito, scilicet entis ens; ex hoc vero quod materia accipit formam substantialem, fit generatio simpliciter, quia fit ens sine addito, scilicet substantia. Idem docet S. Tho. q. 21. de Verit. artic. 5. & de Spirit. Creat. art. 1. ad 9.

3 Sed obijcies: nam Philosoph⁹ hic text. 20. negat, quod generatio terræ sit generatio simpliciter; & tamen est productio substantiæ: ergo nomine generationis simpliciter, non intelligitur productio substantiæ. Rursus docet, quod cum producitur scientia, est generatio simpliciter: & tamen producitur forma accidentalis, & ens secundum quid: ergo ex vtraque parte deficit expositio data.

Respondetur, quod in ipso genere substantiæ sunt quedam formæ imperfectæ, quæ respectu perfectarum dicuntur tales secundum quid; sicut

sicut forma embrionis est imperfecta respectu anime vltimo aduenientis, vt explicat S. Tho. in presenti lec. 3. lit. b. & c. & 1. p. q. 118. art. 2. ad 2. Similiter docet S. Tho. q. 7. de Verit. art. 5. ad 3. quod id quod absolute non est simpliciter tale, si cum addito accipiatur, tale absolute dicitur. Hæc ad intentum applicat S. Tho. hic lec. 9. lit. b. concludens: in omnibus tamen substantijs, & accidentibus diuersificatur generari simpliciter, & secundum quid, secundum diuersum ordinem entis ad non ens, vel perfecti ad imperfectum; aut sensibilis ad insensibile: vnde quodammodo in substantia dicitur generatio simpliciter, si generetur ignis, non autem si generetur terra: & in qualitate dicitur generatio simpliciter, si generetur sciens; non autem si generetur nesciens. Hanc S. Tho. doctrinam latius declarat M. Bañez lib. 1. c. 3.


4 Diogenes, & alij, quos retulimus 1. Phys. q. 5. de quibus agunt Phylosoph. & S. Tho. hic lec. 1. lit. c. & lec. 2. lit. a. & in seqq. vsque ad lec. 6. negauerunt dari generationem substantialem, quia posuerunt vnum esse principium materiale omnium rerum, vel aquam, vel aerem, vel ignem; & etiam posuerunt, quod materia est tota substantia rei: ex quo sequitur, quod substantia rei semper maneat, & ideo mutationes, quas experimur, dicebant solum esse alterationes, & non dari substantialem generationem.

§. II.

Tres rationes insufficientes.

5 Dicendum tamen est, dari substantialem generationem. Ita Phylosophus, & S. Tho. lec. 6. & sequentibus, vsque ad lec. 9. & communiter omnes Phylosophi. Probant Aegid. hic, & Marsil. q. 4. & Albert. de Saxon. q. 3. & PP. Carmel. disp. 2. q. 1. n. 6. & 7. ratione, quam dicunt desumptam ex Phylos. hic, & 8. Physic. in principio. Si non esset possibilis generatio, non esset possibilis alteratio physica, & corruptiua: sed videmus dari physicam alterationem aquæ ab igne, & sic de alijs: ergo possibilis est generatio substantialis. Maior probatur, tum, quia omnis forma requirit certas dispositiones, & qualitates, quibus conseruatur, & quibus expulsis, excluditur: istæ autem alteratione introducuntur. Similis ratio fieri potest ex parte materiae; nam ista exigit certas dispositiones ad recipiendam formam substantialem, secundum quam est generatio simpliciter; & ideo præuia alteratio ordinatur ad generationem. Demum, generatio est finis alterationis: sed si non esset possibilis finis, natura non destinasset medium ad illum obtinendam: ergo si non esset generatio, non esset possibilis alteratio.

6 Rationem hanc ego in Phylosopho, aut in D. Tho. non inuenio; quia vt notat S. Tho. lec. 2. litt. b. & c. & Toler. q. 1. §. *Aduerte*, Phylosophus arguit contra Empedoclem ex suppositis ab ipso: arbitrabatur enim



enim qualitates esse inseparabiles differētiās, vel proprietates elemētorum, nempe, calorē esse differētiā ignis, & frigiditatem aquæ. Et rursus dicebat, quod non erat possibile ex igne fieri aquam, aut ex aqua terram. Cū ergo alteratio non contingat nisi ex variatione dictarum qualitatum circa idem subiectum; consequens erit non dari alterationem, si nō datur generatio: vel Empedocles dicet cōtraria his, quæ apparent secundā sensum; in quibus videmus ex aqua fieri aerē, & ex aere ignem; vel sibi ipsi cōtra dicet. Ratio ergo Philosophi est ad hominē ex doctrina aduersariorū; vt etiā fatetur Rubio tract. 3. q. 1. n. 109. ex quo non licet inferre esse efficacem simpliciter: nam videtur supponere probādum, quod enim substantialis generatio sit finis alterationis physica, verum est: id tamen non admitterēt Antiqui, qui nō distinguebant generationē ab alteratione, qui asserēbāt, omnē mutationē solam esse, vel localē, vel alterationē accidentālē. Et ideo ipsi negarent alterationē esse mediū, & generationē esse finem, quia de facto ponebant materiā esse totam substantiā rei. ¶ Quapropter nullatenus sustinēdū iudico, quod ait Rubio tract. 3. illa q. 1. Quod etiam de potentia Dei absoluta, si esset impossibilis generatio, esset impossibilis alteratio physica, quia dicitur intrinsecum ordinem ad illam: & quia cælū, & alia ingenerabilia, etiam de potentia absoluta sunt in capacia alterationis physica.

Hoc tamen esse omnino falsum,

patet: nam generatio est terminus extrinsecus alterationis: vnde illa repugnante, hæc haberet sua prædicata intrinseca. Et non sine iniuria diuinæ potentia illi negatur, quod qualitates, & alterationes corporeæ possint poni in quolibet corpore, quin potius mutato modo esse di, possent poni in Angelo, iuxta S. Tho. Quodl. 7. art. 10.

7 Secundo id probant M. Bañez c. 3. q. 1. Rubio tract. 1. q. 1. M. Ioannes à S. Thoma q. 1. a. 2. Quia datur materia prima: ergo datur generatio substantialis. Probatur consequētia, quia cuiuslibet potentia passiva naturali correspondet potentia actiua naturalis, vt habetur 5. Metaph. text. 17. alias esset frustra, cum non posset acquirere suū actum: sed materia prima est pura potentia omnium formarum generabilium: ergo datur potentia actiua ad illam introducendam: ergo datur generatio simpliciter, cum hæc perficiatur per hoc quod forma naturalis ab agente naturali introducatur in materiam illius receptiuam.

8 Dices, plures negare materiam primam esse puram potentia; & tamen admittunt dari generationem substantialem: ergo hæc duo connexionem non habent vt ex vno aliud probetur.

Hoc reijcit M. Ioan. à S. Thoma docens hinc constare falsitatem illius sententiæ, quia nisi dicatur formam dare ipsam primum esse, & consequenter materiam esse puram potentia omnino, nō probatur cōtra Antiquos dari generationē substantialem, quia sine illa, partiale esse

se materiæ pollet adunari cum par-
tiali esse formæ. De quo videantur
quæ diximus 2. p. Metaph. Contr.
2. n. 43. & 44.

9 Sed quia evidens est dari gene-
rationem substantialem; & videtur
inconueniens, quod huius probatio
pendeat ab opinione S. Tho. nõ ab
omnibus admittã. Ided secũdo pos-
set vrgeri, nam evidens est materiã
primam esse puram potentiam ab
omni actu formali denudabilẽ, vel
saltem a formis specificis; alioquin
non esset substantialis potentia. er-
go possibilis est generatio substan-
tialis, qua formæ istæ inducantur.
Quæ videtur ratio S. Th. lib. 7. Me-
taph. lec. 6. litt. e. & lib. 8. lec. 1. &
lib. 5. Phys. lec. 2. & alibi sæpè.

10 Diligenter tamen consideran-
ti perspicuũ erit, nec Philosophũ,
nec S. Thomam probasse dari gene-
rationẽ substantialem ex eo quod
detur materia; alioquin circulum
viciosum cõmitterent, & peterent
principium, cum ex vna parte pro-
bent dari materiã primã, quia da-
tur substantialis generatio, & cor-
ruptio; & nunc probent dari gene-
rationem, quia datur materia pri-
ma: & tamen S. Thom. 8. Metaph.
lect. 1. lit. g. & alijs locis relatis illa
Controu. 2. n. 4. & lib. 1. Phys. q. 5.
docet, quod generatio, & corrup-
tio substantialis sunt principium ve-
niendi in cognitionem materiæ pri-
mæ: ergo notior est generatio sub-
stantialis, & corruptio, quam existẽ-
tia materiæ: cũ ergo probatio, præ-
cipuè demonstratiua, debeat esse a
notioribus, nõ est aptum medium
ad probandum dari generationem,

quod detur materiã prima. Nisi a-
liũde supponatur probatum, quod
detur materia prima; quia tunc be-
nè posset explicari, & probari di-
stinctio inter generationem, & al-
terationem ex differentia inter pu-
ram potentiam, quod est subiectũ
formæ substantialis, & ens actu;
quod est subiectum formæ acciden-
talis, & ad hoc tẽdũt rationes Phy-
losophi, & S. Thomæ.

11 Tertia ratio proponitur à M.
Bañez, & PP. Carmelit. vbi supra,
quam dicunt desumi ex Phyloso-
pho 2. de Anima text. 34. & S. Tho-
ma ibi lect. 7. litt. b. dicentibus, na-
turalissimum operum viuentium
est generare sibi simile. Sed appeti-
tus naturalis nõ est frustra, vt habe-
tur 3. de Anima text. 60. & 1. Cali-
text. 31. ergo possibilis est genera-
tio simpliciter. Maior præterquam
quod est communiter recepta, pro-
batur, quia vnunquodque appetit
suam perpetuitatem; & nõ fuerit cor-
ruptibile, eam non poterit obtine-
re, nisi sibi simile generando.

12 Simili tamẽ vitio laborat hæc
ratio, ac præcedentes; quia negan-
tes possibilem generationem, etiã
negabunt possibilem corruptionẽ
substantialem; & appetitum anima-
lis solum dicẽt esse ad alterandum
accidentaliter; quia non agnosce-
bant materiã a forma substantia-
li distinctam, sed omnem varietatẽ
dicebant accidentalem. Nec vn-
quam Philosophus ad conuincen-
dos Antiquos hac vtitur ratio-
ne, vt ex contextu
apparet.

§. III.

Legitima probatio declaratur.

13 **R**ecurrendum ergo ad rationem Philosophi, & S. Tho. hic lec. 2. lit. d. (qua etiam videntur Bañez, Rubio, PP. Carmel. & alij passim) desumptam ex his, quæ ad sensum apparent, in quibus videmus ex aqua fieri aerem, & ex aere ignem: experimur etiam ab igne produci alterum ignem in subiecto disposito; & cum dispositiones non adfuerint, licet ab eo alteretur, non tamen ignis introducit. Sed generatio substantialis est productio substantiæ ex aliquo subiecto ab agente naturali: ergo datur substantialis generatio.

14 Obijcies, non videri rationem hanc efficacem in via D. Thom. qui contra apparentiam sensus, docet non esse eadem accidentia in corpore vivo, & recentem mortuo, vt patuit 2. p. Metaph. Controu. 3. n. 70. vbi monuimus sensum debere corrigi ratione, & lib. 5. Phys. q. 3. id extendimus ad alios casus: ergo si semel cõtenimur experientiam sensum, non possumus ad eam recurrere. Vnde possent Antiqui respondere, corpora visui apparere diuersa, esse tamen eadem; corrigendoque fore sensus.

Facile respondetur ex D. Thom. 1. p. q. 17. art. 2. docente, quod circa propria sensibilia, sensus non habet falsam cognitionem; nisi per accidens propter indispositionem organum: vnde ad probandum hoc esse album, vel nigrum; dulce, vel amarum, non habemus aliam probatio-

nem nisi euentem sensuum experientiam: & sic probatione non eget, quod nix sit alba, & mel sit dulce. Circa sensibilia verò per accidens potest esse falsum iudicium, etiam in sensu rectè disposito, quia sensus non directè refertur ad illa, sed per accidens, vel ex consequenti, in quantum refertur ad alia. Et ne decipiamur opus est ratione regi sensum. Verumtamen, vt docet S. Thom. 1. p. q. 12. artic. 12. naturalis nostra cognitio à sensu principium sumit. Vnde tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia. Et inde est, vt inquit S. Tho. 1. p. q. 18. art. 2. quod ex his, quæ exterius apparent de re, deuenimus ad cognoscendam essentiam rei. Non ergo vniuersaliter experientiam sensuum rejicimus; cum ea ad omnia intelligenda manuducamur: sed deceptionem eorum aliquando ratione perspicaci, & efficaci deprehendimus: hic autem nulla talis afferitur: & ideo non est cur eis non stemus.

15 Vrgetur ergo amplius vis argumenti cum M. Bañez vbi supra, & Toletio q. 2. Ex operationibus enim venimus in cognitionem principiorum, & essentiarum rerum: sed videmus in rebus multas operationes, quarum antea nullum præcesserat vestigium: ergo datur in eis natura, & forma substantialis, quæ antea non erat: ergo datur generatio, qua hæc substantialis forma inducatur. Hoc præcipue apparet in generatione hominis: nam videmus novas operationes, quas in embrio-

ne nō videbamus; & morte interueniente omnes illas cessare. Experimentum itē granū frumētī terrā niādatū mori, & spicā producere: quam euidētissimū est esse variationem plusquā accidentalē. Pariterq; cum flāma ignitur, & cū ignis paleam, & oleū cōsumit, cōpertissimū est illa mutasse substantialiter. Datur ergo generatio substantialis.

QVAESTIO III.

Utrum generatio substantialis sit essentialiter mutatio?

IERE omnes particulæ definitionis generationis sublātialis in dubium vertuntur; & ideò singulis quæstionibus sunt examinandæ, vt plenē intelligatur eius essēntialis definitio confusione sublata.

§. I.

Sententia negatiua.

NEGANT Fōseca §. Metaph. c. 2. q. 6. sec. 3. & 4. Hurtad. dis. 1. de Gener. sec. 1. ibi Arriaga, & alij Recētiores. Ex Thomistis Zanard⁹ 7. Met. q. 6. ad 3. & 6. PP. Carm. hic disp. 2. q. 2. §. 4. licet diuersis ducantur fundamētis. Thomistæ arguūt, quia vt docet S. Tho. 3. p. q. 77. art. 5. ex speciebus sacramentalibus possunt generari vermes: ergo tunc erit generatio sine mutatione. Probatur cōsequētia: illa generatio nō præsupponit materiam priuatā formæ; quippe cum materia producat in eodē instanti reali, ac ipsa forma ignis, aut vermīs; sed ad reale mutationē requiritur saltem trāsitus à priuatione ad habitū: ergo iā dabitur aliqua sublātialis generatio, quæ non sit actu mutatio.

3 Arriaga verò arguit: nam si ab æterno fuisset productus equus, nō fuisset vlla mutatio. Item in initio mundi non præcessit materia cū carentia formæ; ideòque non fuit vera mutatio: & tamen interuenerūt rigurose generationes. Demū, quādo in primo instanti ex essentia pululant passiones, verè datur generatio illarum; & tamen essentia non mutantur; quia in eodem instanti, in quo existunt, habent illas passiones; & mutatio requirit præcessisse subiectum cum carentia formæ productæ: ergo generatio non necessario est mutatio.

4 Alij arguūt, quia productio Verbi diuini essentialiter est generatio, vt fides docet; & tamen non est mutatio: ergo de ratione generationis non est mutatio.

5 Demum probant alij: tū, quia Philosoph⁹ 2. Phys. tex. 14. solum ait generationē esse viam ad naturā: in qua definitione non exigitur, quod generatio sit mutatio. Tum, quiaeductio ex subiecto, seipsa, & non ratione mutationis, est opposita creationi: ergo seipsa est generatio productio entis ex subiecto: ergo generatio non est essentialiter mutatio.

§. II.

Vera sententia.

DICENDUM tamen est, generationem esse essentialiter mutationem. Ita M. Bañez hic cap. 1. M. Ioann. à S. Thom. q. 1. art. 1. Cōimbric. cap. 4. q. 9. art. 1. Rubio tractatu 1. q. 2. & alij. Colligitur ex Phyl. 1. de Gener. text. 10. dicente,

B quod

quod generatio fit, cum ex hoc in hoc mutatio fit: vbi idem docet S. Thomas lect. 5. litt. d. & text. 23. vbi S. Thomas lect. 10. lit. a. & b. Clarus text. 25. inquit: *Ea quæ est ex hoc in hoc transmutatio vt ex potentia substantia in actu substantiam, generatio est.* Et ibi S. Thomas lect. 11. initio dicit, quod transmutatio, quæ est ex hoc in hoc, id est ex substantia ente in potentia, in substantiam entem actu, est generatio: Ergo in definitione generationis pro genere constituunt mutationem: ergo cum genus prædicetur in quid de specie, sentiunt generationem esse essentialiter mutationem.

Præterea libro 5. Physic. text. 7. lect. 2. litt. d. sic definit Philosophus: *Ea igitur mutatio, quæ per contradictionem ex non subiecto est ad subiectum, generatio est.* Et S. Thomas dicit: *Et vocatur generatio, quæ est mutatio de non esse in esse.* Similia dicunt 8. Physic. text. 62. lect. 15. litt. b. Et ipse S. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. expresse ait: *Generatio non est aliud est, quam mutatio de non esse ad esse.* Et quæst. 2. de Potent. art. 1. ad 15. asserit, quod *Generatio est species mutationis: quod & docet q. 3. de Potentia art. 3. ad 4.* Est ergo ad mentem Philosophi, & S. Thomæ, quod generatio substantialis in communi est essentialiter mutatio.

7 Ratione probatur primo ex definitione motus tradita libro 3. Physicorum, quam ibi quæst. 1. n. 16. cum D. Thoma ostendimus convenire generationi substantiali: sed in illa exprimitur, quod sit mutatio: siquidem est actus imperfectus entis prout est in via, & in potentia ad vltiorem actum: ergo generatio est mutatio.

8. Secundo, generatio est essentialiter transitus materiæ primæ à non esse formæ ad esse illius; seu à privatione ad actu habere formam: sed omnis transitus à quoddam in quiddam subiecto manente est mutatio; siquidem aliter se habet nunc, ac prius: ergo est essentialiter mutatio. Minor pater, quia illa est definitio mutationis, nempe, quod subiectum aliter se habeat nunc, ac prius.

9 Cõfirmatur primo, quia si creatio admitteret subiectum manens sub vtroque termino, nihil illi deficeret ad rationem mutationis, vt patet 1. p. quæst. 45. art. 3. sed generatio habet subiectum, seu materiã manentem sub termino à quo, & ad quem: alioquin nõ differret à creatione: ergo generatio est essentialiter mutatio.

Confirmatur secundo, sic comparatur generatio simpliciter ad materiam primam, sicut generatio secundum quid ad totum compositum; quia per vnam inducitur forma substantialis, quæ dat esse simpliciter, & per aliam forma accidentalis, quæ dat esse secundum quid, vt ex Philosopho docet S. Thom. hic lec. 9. Sed generatio secundum quid est transmutatio accidentalis subiecti: ergo generatio substantialis est transmutatio simpliciter materiæ primæ.

§. III.

Soluuntur argumenta.

10 **A**D primum negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod vt docet S. Thomas ibi

ibi art. 5. ad 1. *quantitas dimensua supplet vicem materiae.* Quod bene declarat ibi Caietanus docens, quod virtute primi miraculi datum est quantitati, vt sit *vicemateria* durante sacramento, & in termino sacramenti sit verè materia, quia conuertitur, seu transit in materiam cum quantitate. Vnde agens naturale agit in vicemateriam disponendo illam, ac si esset materia ad formam substantiae generandae: vnde non variatur naturalis ordo generationis; quia virtute primi miraculi semper est vicemateria, vel materia: & idè aequaliter, & in munere subiecti eadè est materia; quamuis entitatiuè per consecrationem conuersa fuerit in corpus Christi. Et si argumentum vim haberet, probaret ibi non interuenire generationem (cuius contrarium docet S. Thomas) nam eadè facilitate, qua saluatur generatio, verificatur esse mutationem. Videatur S. Thomas Quodlib. 9. art. 5. ad 3. circa finem.

II Ad primum Arriagae dicitur, quod si ab aeterno productus esset equus per creationem, nõ esset mutatio; cum creatio nõ sit mutatio. Aliquid verò produci per generationem, & esse ab aeterno, implicat contradictionem, prout diximus libro 8. Phys. quaest. 2. num. 31.

Ad secundum dicitur minorem esse falsam, quia formae illae nõ fuerunt eductae, sed concreatæ ad totius creationem, prout ostendimus libro 7. Phys. q. 12. Pariter dicitur ad tertium eiusdè, quod etiam supponit falsum, quod proprietates efficiantur per veram actionem à gene-

rante, quia potius dimanant vt termini secundarij generationis, prout diximus 2. Phys. q. 10.

12 Argumentum obiectum à Recentioribus iam diu fuit solutum à D. Tho. 1. p. q. 27. art. 2. ad primū, vbi docet probare, quod in Deo nõ est generatio non viuentium *prout importat exitu de potentia in actum*; sed tamen est generatio, quæ est propria viuentis, & actus puri. Et inflari potest argumentum: nam sciētia nostra essentialiter est qualitas, & habitus, & actus accidentalis substantiae: at verò *in Deo est substantia, & actus purus*, vt docet S. Thom. 1. p. q. 14. art. 1. ad 1. Idemque posset dici de omnibus alijs perfectionibus accidentalibus, prout docet S. Tho. 1. p. q. 13. art. 5. & alibi sæpè. Sicut ergo ibi respondetur, quod perfectiones istæ dicuntur analogicè de Deo, & creaturis; & in Deo excludūt imperfectiones entis creati, accidentis, qualitatis, & habitus: & solum sunt secundū rationes peculiaris, imperfectionibus seclusis; ita in Deo est generatio viuētiū vt decet actum purū. Quod rursus patet: nam ipsi definitionē generationis tale constituant, eam *productio substantia dependens à subiecto tanquā à causa materiali.* Et tamē Verbi generatio non dependet à subiecto tanquā à causa materiali: ergo ex generatione Verbi; quā fides Christiana fatetur, nõ licet argumētari ad generationē cōmunē viuētib⁹, & nõ viuētib⁹ corporeis, de quibus modo disputamus.

13 Ad auctoritatem Philosophi patet ex dictis nu. 6. Nam vbi erat

locus definiendi generationem, expressit, quod est mutatio: unde parum refert, quod alibi id non exprimeret. Præterea, sicut ibi ipsi arbitrantur exprimi, quod siteductio; cum tamen tale quid Philosophus non dicat; melius nos asserimus, quod sit mutatio, cum id toties Philosophus expresserit. Præterquam quod 2. Phys. tex. 14. vt declarat S. Tho. lect. 2. lit. d. solū exprimitur, quod inter alias acceptiones naturæ, vna est, quod significet idem, quod natiuitas, *quæ est via in naturā*: sed hæc est cum passione, & transmutatione materiæ: unde ibi nostra exprimitur conclusio: nam passionis denominantur à terminis, & transmutatio materiæ ad formā, est generatio.

14. Ad vltimam probationē respondetur, quodeductio formæ ex potentialitate materiæ priuata illa forma, est formaliter ipsius mutatio, & transitus quo substantialiter se habet aliter nunc ac prius. Unde eo ipso quod generatio siteductio, eo ipso est mutatio; nam si forma fiat simul cum materiā, nō eriteductio, sed concreatio.

15. Sed instabis: nam diximus 2. p. Metaph. Controv. 4. n. 74. quod de potentia absoluta formæ cælorum, & elementorū potuerunt educi, de potentia materiæ: ergo illæ formæ, educæ essent generatæ, & non purè creatæ. Et tamen ibi non esset mutatio: siquidē nō præcessisset materia sine omni formā, nec cū priuatione formæ educendæ: ergo datur aliquaeductio, quæ nō sit mutatio; & tamen esset generatio:

ergo non est de essentia generationis, quod sit mutatio.

Secūdo instatur: nā diximus lib. 2. Phys. q. 11. nu. 17. nō implicare, quod eadē actio respectu vnius termini sit creatio, & respectu alteriuseductio: ergo non implicat, quod detur generatio, quæ nō sit mutatio. Probatur cōsequētia, quiaeductio ista esset generatio; & tamē cū nō præcederet materia priuata forma, non esset mutatio de priuatione ad esse formæ.

16. Respōdet M. Ioan. à S. Th. hic art. 1. quod in his, & similibus casibus sufficit ad rationem mutationis, quod præcedat priuatio prioritate naturæ; licet tēpore nō præcedat: nā per actionē extrinseci agētis excluditur priuatio, nō quæ inerat formaliter; sed quæ debebat inesse, si per actionē illā nō tolleretur educendo formam, vel vniendo.

17. Adhuc tamē replicari potest: nā quoties totū materia, & forma cōsūs, à Deo creatur, forma excludit priuationē, quæ inesset, nisi forma adesset: & tamē nō est mutatio, nec generatio, neceductio; sed creatio, vt patet ex D. Th. 1. p. q. 45. a. 4. ad 2. ergo ad rationem mutationis nō sufficit quod excludatur priuatio, quæ inesset, sed quæ infuit.

Secundo, forma, & priuatio non sunt simul in eodē instanti tēporis, etiā si distinguantur diuersæ cōsiderationes instantium naturæ: nā cōtradictio, quæ est inter esse formæ, & nō esse illius, successione aliquā requirit; sicut dicetur cū explicauerimus qualiter generatio vnius est alterius corruptio. q. 11. §. 1.

Tertio, difficile percipitur, quod sola prioritas naturæ sufficiat ad realem mutationem; quia in omni mutatione est prius, ac posterius: *Vbi autem sunt multa nunc sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus: cum tempus nihil aliud sit quam numeratio prioris, & posterioris in motu, vt ad intentum ait S. Tho. i. p. q. 53. art. 3.* loquendo etiam de tempore discreto prout est in Angelis. Vnde *Quodlib. i. 1. art. 4.* ait S. Tho. *Omnis mutatio habet terminos, quos non contingit simul esse: vnde impossibile est, quod aliquis motus, vel mutatio sit in instanti, hoc modo, quod idem instans ambos terminos complectatur.* Et *i. p. q. 45. ar. 2. ad 2.* dicit, *quod de ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius.* Quod constat non posse verificari, si in instanti reali non præcessit priuatio.

18 Quare facilius respondetur, quod non qualibet præcedentia nature, vel virtualis exclusio, vel præuentio ne priuatio sit, sufficit vt sit mutatio, & forma sit educta ex vi transmutationis; sed exigitur quod sint duæ actiones formaliter; vel vna, ex parte effectus æquivalens duabus: quarum vna det esse subiecto, vel materiæ; & altera educat formam, & materiam transmutet ad actum formæ; sicut si creet Deus aërem, & ex illo educat lucem; vel creet animam, & intellectum, & ex illo educat scientiã; illa actio prout terminatur ad animam, & potentias, erit creatio, & prout terminatur ad scientiã, erit eductio, & transmutatio; & actio potest esse ita eminens, quod æquualeat pluribus

sibi succedentibus. Et tantum hoc modo id docuimus illa Controu. 4. vt patet nu. 76. Vnde in casu primi argumenti, nisi realiter præcederet vicemateria, quæ alteratur, & quæ corrumpitur in instanti generationis, nec verificarem sibi interuenire eductionem, nec esse generationem, & mutationem; sed affirmarem esse nouam totius creationem: & ideo S. Thomas, vt verificet esse generationem, non recurrit ad prioritatem naturæ, sed ad hoc quod in instanti reali temporis præcessit quantitas dimensua saplens vicem materia. Et sicut quies propriè sumpta non potest esse in instanti, nisi æquualeat tempori, ita nec mutatio.

QVAESTIO III.

Verum generatio sit actio ab alteratione distincta?

§. I.

Status questionis.

Negatiuam sententiã videtur tenere Caiet. *i. p. q. 54. art. 3.* §. *Ad id tamen, & c. 7. de Ente, & essentia. q. 17. ad 1.* Fosca §. *Metaph. c. 2. q. 6. sec. 3. & 4. & alij, quos citat, & sequuntur PP. Carm. hic dist. 2. q. 2. §. 3. & li. 2. Phy. dist. 10. q. 6. §. 4.* 2 *Oppositum tamẽ docet Capreol. in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. & dist. 15. ad 5. contra 1. Bañez hic lib. 1. cap. 4. q. 1. Araujo 2. tom. Metaph. lib. 7. q. 3. art. 6. n. 21. Ioan. à S. Tho. q. 1. artic. 3. & communiter Thomistæ. Item Scotus in 2. dist. 2. q. 9. Henricus, Simplicius, & Alensis, quos citat, & sequitur Rubio tract. 1. q. 5.*

Suarez disp. 18. sec. 2. à nu. 15. & alij communiter. Imò Arriaga disp. 1. sect. 5. Cabero, & alij dicunt priorē sententiā euidenter esse falsam. Sed eius sensum ipsi non attigerant; & idè eorum argumenta parum præmunt. Quod pariter excludit censuram Suarez, qui dicit priorē sententiā euidenti rationi contrariā.

3 Pro decisione notandum, hic cōfundi ab istis duas quæstiones valde inter se diuersas. Prima est, vtrū generatio re vera ante operationē intellectus distinguatur ab alteratione, vnde cumque proueniat hæc distinctio? Secunda, supposito quod distinguantur, vtrum generatio sit noua actio; an verò solum sit noua resultantia; vel solum sit eadem actio, & eadem resultantia; & solum dicatur generatio ex termino resultante vi alterationis? Igitur PP. Carmel. expressè fatentur generationem distingui ab alteratione, vt patet §. 6. in solutione argumentorum. Et solum contendunt, quod generatio nō est noua actioeductiua, sed solum noua resultantia vi alterationis inducta.

4 Secundo notandum ex dictis q. 2. §. 1. ex Phylosopho, & D. Thoma lec. 8. & 9. quod generatio secūdū quid accipitur dupliciter: vno modo pro generatione substantiæ imperfectæ, & partialis: alio modo pro productione formæ accidentalis. Et loquendo de generatione accidentali Marsilius lib. 1. de Gener. q. 3. & Albertus de Saxonia q. 2. opinatur generationem secūdū quid non differre ab alteratione. Inter quas tamen differentiam agnoscūt

Capreolus in 1. dist. 16. q. 2. ad arg. contra 2. & Bañez c. 4. q. 1. & alij.

§. II.

Generatio distinguitur ab alteratione.

5 Dico ergo primo, generatio simpliciter est transmutatio essentialiter distincta ab alteratione. Ita expressè Phylosophus textu 10. & 24. & S. Tho. lec. 5. litt. d. & tota lec. 10. & probant duplici ratione. Primo, transmutationes essentialiter distinguuntur ex terminis ad quos, sicut de omni motu diximus lib. 5. Phisic. q. 2. sed generatio simpliciter terminatur ad substantiam, seu ad ens simpliciter; alteratio verò ad qualitatem; quæ est entis ens, seu ens secundum quid: ergo essentialiter distinguuntur.

Hæc est ratio S. Tho. 1. p. q. 45. artic. 1. ad 2. vbi ait: *Generatio simpliciter est nobilior, & prior quam alteratio, propter hoc quod forma substantialis est nobilior, quàm forma accidentalis.* Et rationē assignauerat, quia mutationes accipiunt speciem, & dignitatem à termino ad quem.

6 Secundo probatur: generatio est transmutatio facta in substantijs nullo subiecto sensibili manente eodem sub vtroque termino; cum tantum maneat materia prima, quæ est ens in potentia, & non sentitur nisi medijs qualitibus. Alteratio verò est transmutatio facta in qualitibus eodem subiecto sensibili manente sub vtroque termino: sicut cum corpus animalis idem manens,

prius

prius est sanum, & postea infirmatur: & as idem manens, quandoque est rotundum, quandoque angulos habens. Et idem aliquando est calidum, & postea frigidum; quandoque album, quandoque nigrum, rubeum, vel pallidum: ergo alteratio non est generatio.

7 Sed contra duo priora exempla (quæ à Philosopho adducuntur) obijcies: nam sanitas pertinet ad primam speciem qualitatis; figura vero rotunda, vel angularis, expectat ad quartam speciem qualitatis. Et tamè Philosophus 5. Phys. text. 17. & 1. Physic. text. 15. probat, quod in prima specie qualitatis, & in quarta non est alteratio; sed solum in tertia, quæ dicitur passio, vel passibilis qualitas: & propter hoc fortè signanter dixit Philosophus in præfati, quod alteratio est transmutatio in passionibus: ergo inconvenerit probatur, vel explicatur quid sit alteratio.

Respondetur cum D. Tho. lect. 10. lit. a. in fine, quod primo, & per se alteratio est in qualitatibus tertiæ speciei: per accidens autem in mediis aliquibus qualitatibus, & ex consequenti fit alteratio in alijs speciebus: sicut per aliquam alterationem calidi, & frigidi mutatur homo de sanitate in aegritudinem, & è conuerso: & per alterationem molli, & duri, perducitur corpus ad aliquam figuram: de quo iterum infra. q. 13.

8 Dico secundo, etiam generatio secundum quid differt ab alteratione. Hæc conclusio loquendo de generatione substantiæ incompletæ,

& imperfectæ, quæ dicitur etiã generari secundum quid, difficultate vacat; quia notum est ex prima conclusionem, quod etiam substantiæ in completæ productio, differt à productione accidentis, seu qualitatis, ad quam terminatur alteratio. Adhuc autem loquendo de generatione secundum quid, quæ est cum ex non albo fit album, asserimus eam differre ab alteratione, quæ est cum ex nigro fit album.

9 Et est S. Th. q. 28. de Ver. ar. 1. ubi eam probat: nam motus strictè sumptus differt specie, & essentialiter à mutatione propriè sumpta: sed generatio secundum quid est mutatio; & alteratio est motus strictè sumptus: ergo generatio secundum quid differt essentialiter ab alteratione. Minor patet, quia generatio est inter terminos contradictorios; at vero alteratio est inter terminos positivè contrarios. Maior vero probatur primo: nam motus est de subiecto in subiectum, ut dicitur 5. Phys. text. 7. at vero mutatio est de non subiecto in subiectum. Secundo, mutatio est instantanea, quia in contradictorijs non est successio, & latitudo; at vero motus inter terminos positivè contrarios habet successio nem: ergo essentialiter distinguuntur.

10 Obijcies: motus specie distinguuntur penes terminos ad quos: sed generatio secundum quid, & alteratio habent eosdem terminos, quia terminantur ambæ ad qualitatem: ergo non differunt essentialiter.

Respondetur cum M. Bañez c. 4.

q. 1. post 2. concl. quod habent eundem terminum materialiter; non formaliter: nam per generationem secundum quid acquiritur qualitas in instanti; qui modus refunditur in rationem formalem termini; at verò per alterationem acquiritur qualitas successiue, & idem diuerso modo terminat: & inde habemus, quod ex diuerso obiecto formali differunt: sicut generatio, resurrectio, & creatio possunt terminari ad idem; & tamen actiones differunt essentialiter, quia diuerso modo attingunt.

s. III.

Generatio non est resultantia, sed noua actio.

11 **D**ico tertio, generatio substantialis est noua actio distincta ab alteratione præcedente. Solet probari ex q. 3. de Pot. ar. 3. vbi nil, quod intentum cõuincat, reperio. Melius probatur ex D. Thom. lib. 3. Contrag. cap. 69. ratione 9. vbi ait: *Si igitur forma accidentales, que sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones; multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem: non est autem eiusmodi actio disponere materiam; quia hoc fit per alterationem; ad quam sufficiens forma accidentales. Igitur forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum. Vbi clarissimè S. Tho. distinguit duas actiones; alteram qua disponitur materia; quod fit per alterationem; & aliam qua forma substantialis inducitur: & hæc est generatio substantialis, quæ est*

ex mente D. Tho. actio ab alteratione distincta. Quod supponit S. Tho. 2. 2. q. 164. ar. 1. ad 7.

12 Obijcies: nam S. Tho. q. vnica de Anima art. 12. ait, quod generatio est terminus alterationis. Quod & docet Opusc. 3. 2. & 4. 2. & 1. p. q. 53. ar. 3. ait S. Thom. *Mutationes instantaneæ sunt termini motus continui; sicut generatio est terminus alterationis materiae. Et 1. p. q. 118. ar. 2. ad 4. docet, Quod homo generat sibi simile in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ. Idem docet 1. 2. q. 83. art. 1. ad 3. & alibi sæpè: vbi nullam aliam actionem realiter distinctam ab actione dispositiua in ordine ad generationem hominis agnoscit. Videatur S. Thom. lib. 7. Phys. lec. 3. lit. b. & lib. 2. Contrag. cap. 89. ad 4.*

Respondetur, quod generatio est terminus extrinsecus, & æthereo-geneus; eo quod motum successiuum sequitur mutatio instantanea, & ista causat formam substantialem; nõ verò est terminus intrinsecè specificas, & eiusdem lineæ cum ipsa alteratione. Solutio est S. Th. q. 1. de Virtutibus art. 1. ad 8. vbi ait: motus habet quandoque terminum in eodem genere; sicut motus alterationis est qualitas: vnde dispositio ad hunc terminum semper est eiusdem generis cum termino. Quandoque verò habet terminum alterius generis; sicut alterationis terminus est forma substantialis. Et sic dispositio non est semper eiusdem generis cum eo ad quod disponit; sicut calor est dispositio ad formam substantialem ignis. Hæc ibi S. Th. Idem docet Quodl. 7. art.

7. art. 9. vbi & subdit: *Quod eodē modo illuminatio est terminus motus localis Solis: constat autem, quod illuminatio est actio distincta a motu localis: ergo ex ipsis locis in cōtrarium relatus habetur, quod generatio est actio distincta ab alteratione. De quo videatur S. Tho. Quodl. 1. 1. artic. 4. & in 2. dist. 5. q. 2. ar. 1. cor. & clarius in 2. dist. 24. q. 1. ar. 6. ad 6.*

13 Ad autoritatē ex q. 118. vel eodem modo respondetur, iuxta Caiet. ibi docentē vnionē vt se tenet ex parte materiæ causari ab homine generante; quamuis anima à solo Deo creetur. Vel iuxta Ferraram 2. Cotrag. c. 89. §. *Ad euidentiā*, & ad 4. disparitas assignetur inter generationem humanam, & alias; quia in reliquis forma principaliter causatur a generatē; at verò anima rationalis est causata à solo Deo creante: vnde S. Tho. q. 3. de Pot. art. 9. ad 6. ait, quod in alijs generationibus generans est causa ipsius formæ; in anima autē rationali est causa vnionis talis formæ ad materiam, per hoc quod disponit materiam ad eam. Et ideo actio generatiua humana sinit in disponēdo, & à Deo completur formā inducēdo. Ex quo non licet ad omnē generationem arguere. Has autē opiniones de modo generationis humanæ, alibi oportunius examinamus.

14. Rationem cōuincentem rō est facile inuenire; nam omnes satis probabiliter diluuntur à PP. Carn. Et minoris momēti sunt aliæ, quas euidētes vocat Arriaga. Arguit ergo primo: nā forma substantialis pro-

ducitur posterius natura, quā ipsa accidentia: ergo nō per eādē actiōnem. Patet consequentia, quia actio non potest esse, nec intelligi in aliquo priori naturæ, nisi actu producens; & cōsequēter nisi actu intelligatur eius terminus. ¶ Secundo arguit: nam in secundo instanti datur cōseruatio substantialis formæ, distincta à cōseruatione accidentium: ergo eadem etiam debet dari in primo. Tertio, quia substantiā de nouo produci sine noua actione, & tamē substantiā resultare, implicat in terminis: nā quid aliud est *resultare*, quam *produci*? Est enim substantia ens creatum, nō ens à se: ergo cum existit, debet illud habere ab alio, seu per productionē: quā constat à substantia differre.

15. Cæterum rationes istæ terminos quæstionis nō attingūt; & ideo nec apparentes iudicabuntur à defensoribus prioris sententiæ. Ad primam facile negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod alteratio habet duos terminos; alterū quē producit vt causa principalis; & iste est eū ipsa actione; & aliū quē producit vt instrumentū substantiæ; & iste est secundarius respectu primi, & resultat ex eius positione propter naturalē cōnexionē. Secunda, & tertia ratio facile inflatur in resultantiā proprietatū ab essentia, quā nō esse nouā efficiētiam ostendimus 2. Phys. q. 11. vbi est explicuim⁹ distinctionē, quæ est inter efficiētiam, & resultantiā.

16. Alij arguūt, quia alteratio disponit ad receptionē formæ, & per qualitatem ab alteratione produ-

ctam, disponitur materia ad generationem formæ substantialis: ergo generatio est actio distincta ab alteratione; sicut dispositio differt à forma ad quam disponit. ¶ Deinde, quia generatio non potest esse sine forma genita; eo quod generatio alicuius est generatio: sed alteratio potest esse sine forma genita: nam saltem à Deo, positis dispositionibus, potest impediri introductio formæ: ergo generatio substantialis est actio ab alteratione distincta.

17 Hæc tamen argumēta solum probant primam conclusionem, in qua omnes (qui agnoscunt formam substantialem ab accidentibus distinctam) conueniunt. Vnde oportet alia inquirere ad hanc tertiam conclusionem (de qua est tota controuersia) itabiliendam: quia supposita distinctione generationis ab alteratione, inquiremus an sit noua actio; an resultantia?

18 Melius arguunt P. Suarez, & M. Ioann. à S. Thoma, & alij: nam alteratio, & terminus eius subiectatur in toto composito corrupendo; at verò generatio, sicut, & forma substantialis, vel in nuda materia prima, vel in toto denuo genito, iuxta dicēda infra. q. 7. quod ab Authoribus prioris sententiæ admittitur, vt expressum à D. Thom. ergo cum est generatio, non est in eodem subiecto alteratio: ergo generatio nō potest sine noua efficiētia, & actione resultare ab alteratione. Probatur consequentia, quia alteratio destruitur ad destructionē subiecti: ergo non potest resultare

ex ipsa talis generatio: alioquin resultaret ex illa id quod destruit ipsam: quod est impossibile; cum resultantia fundetur in connexionenecessaria, & perse vnus cum alio; quæ non potest esse cum eo, cum quo est impossibile.

19 Occurrunt tamen PP. Carm. 2. Physic. vbi sup. n. 79. quod cum materia sit indifferens ad plures, & diuersas formas, oportet quod determinetur, & sigilletur, vt hæc potius, quam illam recipiat. Vnde vt generatio resultet, satis est, quod alteratio, & terminus eius primarius maneat in virtute in sigillatione materiæ, quæ paulatim, & successiue fit per antecedentes dispositiones, & permanet adhuc in instanti generationis.

Respondent secundo. n. 80. quod ad hoc vt ex termino primario sequatur secundarius, non est indispensabile necessarium, vt talis terminus, & eius actio sint in illo instanti, in quo sequitur terminus secundarius; sed sufficit, quod immediatè sit post illum in sequenti duratione, quia hoc modo est naturalis nexus inter alterationem, & generationem, nam ad delitionem vnus, & in eius termino, est generatio, quæ est mutatio instantanea, & terminus motus successiui.

20 Prima solutio non potest hic examinari, sed pertinet ad quæstionem de principio indiuiduationis; quia non facile percipitur, quod in generatione, & corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam; & tamen intrinsecè sigilletur: quia illa sigillatio, si est

est accidens, non potest præcedere substantialem formam: substantia nequit esse, si non est materia, aut forma, aut vnio. Sed quicquid sit de hoc: de quo alibi. Adhuc retinet vires argumentum, quia quam primum materia est complete siggillata, & determinata ad aliam formam, desinit alteratio, & terminus eius primarius, nempe qualitates, quæ resident in toto corrumpendo: ergo incipit generatio incompossibilis simul cum præcedente alteratione: ergo resultat, vt actio causatur ab actione; quia ex vna proceditur ad aliam; non verò vt purus terminus sine noua actione productus.

21. Secunda solutio ex parte verum assumit, videlicet, sæpè contingere, quod id quo causa efficiens facit, non sit in instanti intrinseco effectui, sed solum extrinsecè in tempore immediato, vt latè explicuimus lib. 2. Phys. q. 15. n. 12. & 2. p. Metaph. Controu. 13. n. 8. Cæterum generatio, vel erit idè cum substantia genita, vel cum alteratione, & ab ea, nec in ratione mutationis distinguetur, quod ipsi non admittunt; vel hæc existentia virtualis nõ sufficit vt resulet. Quod ne ostenditur: nam si generatio existens virtualiter sufficit se sola causare substantiam; frustra ponitur generatio, media qua causetur; si non sufficit: ergo non est mera resultantia termini, sed noua actio.

22. Secundo ergo à priori probatur conclusio: vbi est noua efficiëntia in actu secundo, ibi est noua actio ab alia distincta: sed in genera-

tione substantiali, post alterationem præteritam, est noua efficiëntia in actu secundo: ergo, & actio substantialis noua: ergo generatio est actio ab alteratione distincta. Hæc est ratio S. Tho. illò cap. 69. Maior patet ex dictis lib. 2. Phys. q. 12. quod actio est causalitas efficiëntis causæ. Minor verò probatur à D. Thoma, nam *agere sequitur ad esse in actu*: sed forma substantialis dat esse substantiale distinctum ab esse accidentali: ergo & dat efficiëntiam distinctam ab efficiëntia accidentis: ergo dat actionem distinctam ab actione accidentali. Secundo idem probatur ex parte effectus: productio passiuæ substantiæ est distincta à productione passiuæ accidentis, sicut substantia ab accidente differt: sed alteratio est productio actiuæ accidentis; & generatio est productio substantiæ: ergo generatio est efficiëntia, seu productio actiuæ distincta à productione accidentis: Probatur consequentia, quia productio actiuæ, & passiuæ, vel identificatur, vel sibi mutuo correspondent.

23. Tertio probatur assertio, & præcluduntur euasiones: quia resultantia alicuius termini secundarij, perse loquendo, est sine noua mutatione subiecti, vt patet in resultantiâ passionum: nec aliud est quo possit discriminari resultantia physica ab efficiëntia physica: sed perse, & conaturaliter loquendo, generatio est vera mutatio distincta ab alteratione præcedente: vt ipsi admittunt, & ostensum est: ergo non est pura resultantia, sed noua actio.

Dices, quod licet forma substantialis sit terminus secundarius executionis; est tamen primarius intentionis naturæ: & quia non potest attingi forma substantialis immmediate per actionem ad ipsam terminata; debet saltem attingi per propriam mutationem.

Sed contra: nam quod forma sit secundario exequuta, solum probat, quod generatio incipiat à præiis dispositionibus: non tamen quod ultra illam nõ detur alia mutatio, & actio in executione posterior, & in intentione prior. Sed hoc sufficit ut generatio sit actio ab alteratione distincta: ergo id negari non debet.

§. III.

Soluuntur argumenta.

24 **D**Emum probatur retorquendo fundamentum prioris sententiæ: nam ideò negant generationem esse actionem ab alteratione distinctam, quia substantia nequit esse immediate operatiua: sed hæc ratio est nulla: ergo absque firmo fundamento receditur à communi, & recepta sententia. Probatur minor: non minus naturaliter repugnat substantiam immediate mutare aliam substantiam, quam repugnet substantiam immediate agere: & tamen, saltem mediate, ipsi admittunt generationem esse mutationem ab alteratione distinctam: ergo generatio potest esse actio ab alteratione distincta. Probatur consequentia, quia nulla est ratio cur substantia mediante accidente possit alia

mutare, & non possit mediante illo agere. Imò ipsa mutatio, prout egreditur ab agente, vel efficiete, est, & dicitur actio: nam mutatio in ratione effectus causam efficientem, & mouentem, perse exigit, ut docet S. Tho. Opusc. 31.

25 Sed obijciunt primo: nam id ipsum habet calefactio in actu secundo, quod habet calor in actu primo: sed calor, ut calor est, potest virtute propria producere calorem secundum suam speciem consideratum, & ut virtus ignis, illique subordinatus, est productiuus substantiæ ignis: ergo calefactio secundum sibi propria, erit actualis productio caloris; & ut oritur ab eodem calore, ut virtute ignis, & ut subordinatur igni, tanquam agenti primo, & radicali, erit actualis productio ignis geniti.

Etiam hoc argumentum retorquetur; quia si conuinceret, probaret, quod forma substantialis fieret ab alteratione immediate sine mutatione, aut resultatiua media: quod ipsi non admittunt. Sequela probatur, quia ut ostendimus 2. Physic. q. 10. nu. 34. calor seipso est virtus ignis, & in illius virtute producit substantiam, sine alia entitate superaddita: ergo pariter alteratio seipsa erit actualis generatio substantiæ. Quod esse falsum ex dictis constat.

26 Respondetur igitur, quod sicut accidens nõ est immediate productiuum substantiæ, nisi ex subordinatione ad substantiam, cuius est virtus; ita alteratio est quidem productiuum substantiæ; sed remote in quantum est instrumentum quo
sub-

Substantia causat actionem, & mutationem ad substantiam: & ita est omnimoda correspondentia inter principium, & terminum, vt ex Philosopho, & S. Tho. de Sensu, & Sensato lect. 10. & q. vnica de Anima art. 12. diximus illa q. 10. num. 42. & 44.

27. Instabis: nam vt docet S. Tho. 3. p. q. 19. art. 1. ad 1. *Actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis*; sicut facere scamnum, non est seorsum operatio securis ab operatione artificis: sed alteratio, & qualitas ab ipsa producta sunt instrumentū formæ substantialis ad substantiam generandam, vt docet S. Tho. 1. p. q. 115. art. 1. ad 5. ergo eadem actio alteratiua virtute propria producet qualitatem, & eademmet virtute substantiæ erit generatio substantiæ.

Respondetur maiorem esse veram; sed tamē aliquando vltra operationem illam instrumenti, exigitur alia actio realiter distincta, qua inducatur forma, seu effectus intentus à principali agente: & tunc præcipue quando, vt ait S. Tho. lib. 2. Contrag. c. 21. rat. 6. *Effectus respondens actioni proprie instrumenti, est prior in via generationis, quam effectus respondens principali agenti*: sicut prius est effectio ligni, quam forma scamni, & digestio cibi, quam generatio carnis, vt diximus 2. p. Metaph. Contr. 10. n. 103. Et quia alteratio, & eius terminus in executione præcedūt generationem, non mirum quod ab illa distinguantur, non solum sicut motus à mutatione; sed sicut actio ab actione.

28. Obijcies vltimo: nam generatio viuētium est actio vitalis: ergo est immediata ipsi^o viuētis: ergo nō est actio facta medijs accidentib⁹; sed immēdiata ipsi^o viuētis.

Facile etiam retorqueri potest hoc argumentum; tum in ipsa mutatione substantiali: tum in alteratione ipsa; quæ non sunt immanentes, sed transeuntes; & ideo non videntur actiones vitales.


29. Respondetur ergo, quod vt ait S. Tho. 1. p. q. 27. art. 2. *Generatio viuētium significat originem alioius viuētis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis*. Hæc autē coniunctio diuersificatur secundū diuersam perfectionem viuētium, prout late profequitur S. Thom. 4. Contrag. c. 11. & 3. dist. 8. q. 1. ar. 1. Ad minus ergo in principio generatio originatur ab actione vitali ipsius viuētis. Sed tamen, vt docet S. Tho. 1. p. q. 118. art. 1. *Quæsi aliquod agens est potentius, raro potest suam actionem diffundere ad magis distans*. Et ideo corpora viuētia tãquam potentiora generant medio semine: *Quia ex anima generantis deriuatur quedam virtus actiua ad ipsum semē animalis, vel plantæ; sicut & à principali agente deriuatur quedam vis motiua ad instrumentum*. Vnde actio, qua deriuatur semen, est vitalis; sed actio ipsa generatiua est virtualiter, ex principio à quo deriuatur, & ex termino quē causat, vitalis; quia deriuatur à principio vitali, & tendit ad dandam vitam: sed non est formaliter vitalis, sicut nec manens in ipso viuente: quod æquē est verum de actione alteratiua, ac de actione generatiua.

30 Disputant multi hic latè de generatione viuentium: imò de principijs, & modo generationis humanæ, & de formatione seminis. Cæterum quæstiones istæ non sunt opportunæ huic libro, in quo agitur de generatione solum in communi, & de animatis, & viuentibus in alijs Philosophiæ Naturalis partibus disputatur. Vnde S. Thomas in Prologo horû librorum inquit: est autem considerandum, quod de vnoquoque, quod in pluribus inuenitur, prius est considerandum in communi, quam ad species descendatur; alioquin oporteret idem dicere multoties, ita scilicet, quod in singulis id quod est commune re peteretur, sicut probat Philosophus in 1. de Partibus Animalium, cap. 1. Et ideo prius oportuit de Generatione, & corruptione in communi determinare, quam ad partes eius descendere. Hæc Sanctus Thomas. Decreuimus autem quæstiones à proprijs locis non dimouere, vt omnia ordinate tradita facilius percipiantur: species enim sine ordine, non scientiam; sed errorem, vel confusionem natæ sunt generare.

QVAESTIO V.

Utrum generatio sit eductio, & conuersio?

VT Completè exponamus in qua actione consistat generatio; hanc bimembrem quæstionem proponimus.



§. I.

Utrum in generatione sint plures actiones substantiales?

ET circa priorem partem, sunt qui existimēt formæ eductionem non esse generationem, quia arbitrantur distincta actione produci formam, quæ educitur de potētia materiæ, ac producatur eius vnio. Ita indicat Durandus in 2. dist. 1. q. 4. n. 39. quia forma prius ordine naturæ est aliquid in se, quam vniatur materiæ, quia vnio supponit vnibilia, sicut cōpositio componibilia.

3 Eandem sequitur Hurtado disput. 1. sect. 1. & plures Recentiores, qui id tribuunt Rubio lib. 2. de Anima tract. de Potētijis q. 4. n. 64. Sed minus fideliter referunt; quia loquitur de productione naturæ, & subsistentiæ: de qua putat esse aliam rationem, ac de productione formæ, & vnionis, quas vnica actio fieri docet hic. Sed quicquid sit de hoc. ¶ Probant dari duas actiones in productione formæ, & vnionis; primo, vbi termini producti realiter distinguuntur, realiter distinguendæ sunt illorum productiones: sed forma, & vnio realiter distinguuntur: ergo illarum productiones distinguendæ sunt. Maior patet, quia nō est aliud caput distinguendi productiones, nisi ex terminis: quia tot sunt fieri, quot sunt facta esse.

4 Secundo, quia vnio est cōplementum formæ substantialis: ergo supponit illam alia actione productam. ¶ Tertio, licet pars continui non possit produci, quin simul producat

dūcatur indiuisibile terminatiuū, seu continuatiuum illius partis cū alia; nihilominus producentur per diuersas actiones, vt cōcedunt omnes: ergo licet forma materialis produci non possit ex natura rei, quin in eodem tempore producat̃ vnio, producentur nihilomin⁹ per diuersas actiones.

5 Quod autem ex his actionib⁹ generatio consistat in productione vnionis; probant, quia si detur materia, & forma in rerum natura, & non detur vnio, non datur totum: data verò productione vnionis, nō potest non dari totum; quia cum vnio sit modus, dari non potest sine extremis. Denique, quamuis materia, & forma hominis creentur, quia vnio producitur, & principaliter fit ab homine, dicitur, quod homo generat hominem: ergo perse, & essentialiter generatio non esteductio; sed vnionis productio.

6 Dico tamen primo, in generatione substantiali formarum materialium nō interueniunt duæ actiones substantiales, quarum vna producat̃ forma, & alia producat̃ eius vnio. Sumitur ex Philosopho, & D. Thoma lib. 7. Metaph. lec. 7. & lib. 8. lect. 1. & 1. Phys. lect. vlt. & alibi sæpè docentibus, quod propriè loquendo, forma non fit, sed compositum: quod falsum esset si alia actio terminaretur ad formā, & alia ad vnionem partium, ex quibus resultat compositum. Idè sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. & 8. & ibi supponunt Thomista, & specialiter Capreol. in 1. dist. 5. & Soncin. 7. Metaph. q. 22. & 23. &

est communis, adhuc apud eos, qui ponunt modum substantialē vnionis ab extremis distinctum, vt Saarez disp. 15. sect. 4. nu. 3. & disp. 48. sec. 3. n. 11. Rubio hic tract. 1. q. 3. num. 39.

7 In primis, si non datur modus substantialis vnionis, vt ostendim⁹ 1. Phys. q. 14. & 2. p. Metaph. Controu. 5. cessat quæstio; quia relatio vnionis non fit actione perse ad illam terminata, sed consequitur ad positionem rationis fundandi, vt contingit in alijs relationibus prædicamentalibus: & in casu præsentis notat Ferrara libro secundo Contragent. cap. 89. ad 4. §. Sed aduertendum. Sed quia probabile iudicam⁹ dari modum vnionis à forma distinctum, in quo fundetur relatio vnionis inter formam, & materiam, adhuc ex illius sētētia suppositione.

8. Probatur cōclusio, primo, quia si formæ materiales perse terminarent actionem partialem distinctā ab illa qua fit cōpositum, sequitur esse perse subsistētes, sicut est anima rationalis: sed hoc est falsū, vt ostēdit S. Thomas 1. p. q. 75. art. 3. alioquin illæ formæ haberent aliquas operationes independentes à corpore, sicut anima rationalis: ergo formæ materiales ex natura rei nō possunt terminare propriam actionem distinctam ab illa qua fit totū. Probatur maior, primo à paritate animæ rationalis, cuius subsistētiā his argumētis deducimus. Secūdo, quia nō fit perse, nisi quod est perse.

9 Secundo rationem à priori tangit S. Tho. in Compendio Theologiæ cap. 93. dicens: *Eius est fieri, cuius est*

esse; ad hoc enim aliquid fit, & fit. Formatur ergo ratio in hunc modum. Generatio substantialis est via ad esse substantiale; vt dictum est: sed forma substantialis, & eius vnio habent tantum vnicum esse substantiale; eo quod in vno composito tantum datur vnum esse substantiale, vt ostendimus 1. Phys. q. 7. s. 3. ergo forma, & eius vnio tantum fiunt vnica actione substantiali.

10 Imò adhuc (disputationis gratia) admissis existentijs partialibus, debet sustineri, quod vnica actio substantialis sufficit ad generationem; quia etiam in sententia S. Th. existentia, & essentia realiter differunt, & vnica actione fiunt. Et in communi sententia substantia distinguitur realiter à natura; & tamè connaturaliter loquendo eadè actione fit suppositum, & natura singularis, cuius est terminus; nam vbi sunt plura propter vnum, ibi est quodammodo vnum. Et ideò cū vnica substantialis actio sufficiat ad dandum esse materiæ, formæ, & vnioni, & supposito; quia omnia ista adinuantur ad componendū vnum subsistens substantiale; quod est terminus generationis, vt postea dicetur, frustra plures actiones exiguntur. Imò vnica actione fit essentia, & resultant passionēs, vt diximus 2. Phys. q. 11. & pro casu præsentis videatur Caiet. 3. p. q. 75. art. 2. s. Vnde ad primam.

11 Ad argumentum Durandi negatur antecedens in formis nō per se subsistentibus; & ideò solum est verum in anima rationali, quæ à Deo speciali actione creatur; falsa

autem in alijs formis materialibus accidentalibus, & substantialibus: de quibus ait S. Tho. 1. p. q. 45. art. 4. quod formæ, & accidentia, & alia huiusmodi, nō dicuntur entia, quasi ipsa sint; sed quia eis aliquid est: vnde formæ, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia, quam entia; & ideò ad generationem totius generantur; & ipsa perse non terminant, nec generationem, nec aliam substantialem actionem.

12 Ad primum aliorum negatur maior, quia quando plura realiter distincta communicant in vno esse, sunt formaliter vnus terminus; & ideò vnica productione fiunt. Et vnico fieri possunt esse plura facta esse, quando adunantur ad vnū terminū cōponendū. ¶ Ad secundū omissio antecedenti, negatur cōsequētia, quia figura est terminus quāritatis, & fit eadem actione ac ipsa: pariterque subsistentia eadem actione fit, ac natura indiuidua, cuius est terminus.

13 Ad tertium negatur antecedens. Et ego neminē, præcipuè ex Thomistis, reperi, qui illud concedat: quare videant qua veritate arguentes dicant illud omnes concedere. Nec video qua probabili, aut saltem apparenti ratione possit sustineri, quod si in continuo sunt infinitæ partes, & infinita puncta cōtinuatiua, aut saltem plura, exigantur ad quodlibet producendum in finitæ actiones. Quod in nullius imaginationem cadere potest. Quare posset argumentum cōtra ipsos retorqueri; quia vnica actione fit vnū continuum, & eius partes, vel indi-

uisibi-

uisibilia; & ita stat in termino producto esse realem distinctionem; & tamen actionem esse vnā; eo quod, id quod fit, vnicum esse habet, vel communicat: ergo pariter in presenti generatio substantialis erit vnica actio educatiua, adhuc admissio, quod educantur forma, & vnio; quia tendunt ad vnum esse totius.

14 Per quæ cessant, quæ adducuntur num. 4. quia hic non loquimur de generatione humana; de qua alibi est proprius locus disputandi, & aliquid tetigimus quæst. 4. num. 13. Casu autem, quod forma naturalis præexisteret, & non generaretur per accidens ad generationem totius, sicut de facto fit, cū educitur de potentia subiecti; non esset generatio naturalis, de qua loquimur; sed actio alterius speciei, vt notat optimè Soncinas lib. 7. Metaphis. quæst. 24. ad 1. & 3. Et ideo resurrectio non erit generatio, sed diuina quædam operatio, quæ regeneratio dicitur: de quo iterum quæst. 6. num. 24. & in omnibus transmutationibus, quæ non propriè dicuntur generationes, non oportet formalem terminum produci, sed sufficit quod communicetur.

15 Vnde concludimus, quod in naturalibus generationibus formæ materiales educuntur de potentia subiecti, eadem actione, qua generatur totum: & ideo est ab ente in potentia ad ens in actu, vt ex Philosopho docet S. Thomas lib. 1. de Generatione lect. 7. in fine. Quamuis in generatione humana, & aliorum animalium antequam inducatur vltima forma perfecta, præce-

dāt multæ generationes, & corruptiones substantiales formarum imperfectarum, quibus gradatim peruenitur ad formæ perfectæ generationem, vt docet S. Thomas lect. 8. litt. b. & latius i. p. quæst. 118. artic. 2. ad 2. vbi & aduertit, quod hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione generatis.

§. II.

Qualiter generatio dicatur conuersio?

16 **V**T secundæ parti quæsti satisfaciunt Hurtado, & Arriaga, & alij, ferme omnia, quæ de trā substantiatione disputant Theologi, hic controuertunt: sed satis importunè, vt patet. Et ideo hæc locis proprijs relinquendo, pro nunc est notandum, quod conuersio significat *transitum vnius rei in aliam*. Vnde est mutatio ex parte termini à quo dicens aliquid positiuū; quod tamen debet desinere esse, & mutari in alium terminum positiuum; nam si desinit in nil, non dicitur conuerti; sed corrupti, vel anihilari. Ex parte termini ad quem debet esse nouitas, vel inceptio, si non quo ad esse, saltem quoad modum, vel modum essendi, vt verificetur ratione illius aliud in illud transisse: eo quod non est transitus, nisi sit ordo terminorum, & quod termini non sint simul.

17 Ratione terminorum dividitur conuersio in substantialem, & accidentalem: nēpè, accidentalis est quando fit transitus de vna forma

ma accidentali ad aliam, vt cum album fit nigrum: substantialis, cum fit transitus de vna forma substantiali in aliam, vt cum aer fit ignis, vel vinum fit acetum; vel cum aqua fuit conuersa in vinum.

Rursus alia est conuersio formalis, vt in exemplis allatis: alia est conuersio totalis, cum totum vnum ens trãsit in aliud. Et quidem dari nequit per vires naturæ, vt docet Sanctus Thomas 3. p. quæst. 75. art. 4. quia *nullum agens creatum potest agere nisi ad immutationem formæ: eo quod materia non fit nisi creatione: & naturali creata virtute, sicut ex nihilo nihil fit, ita vnum primũ subiectũ substantiale non potest in aliud mutari.* In quo autem differat conuersio vt sacramentalis, à conuersione absolutè; explicat Caietanus 3. part. quæst. 75. artic. 1. & 2.

18 Deinde notat S. Thomas 3. p. quæst. 75. art. 3. ad 2. quod in conuersione formali forma, quæ est terminus à quo, non conuertitur in aliam formã; sed vna forma succedit alteri in subiecto; sicut albedo nunquam fit nigredo, sed subiectũ albedinis fit subiectum nigredinis, vt ex Phylosopho 1. Physic. assert Sanctus Thomas ibi art. 4. docens, quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari. Unde denominationes verificantur in concreto de subiecto, vt subest formæ cui alia succedit, & sic aer conuertitur in ignem.

19 Igitur generationem esse conuersionem formalem sumitur ex Phylosopho, & D. Thoma locis re-

latis quæst. 3. nam. 6. & communiter sequuntur Authores, quia verè transit materia de vna forma ad aliam: quamuis alia sit ratio conuersionis, & alia ratio generationis: in quantum generatio ex parte termini a quo respicit priuationem, quæ est principium in fieri, iuxta dicta primo Physicorum quæst. 3. §. 3. At verò in quantum conuersio, exigit formam positiuam transeuntem in aliam. Et istæ duæ mutationes ad inuicem connexionem habent, quia materia nequit dari sub priuatione sine omni forma, & cuiuslibet formæ naturali in generalibus, & corruptibilibus adiungitur priuatio, vt ait Sanctus Thomas primo de Generatione lectione octaua litt. b. Videatur etiam M. Ioan. à Sancto Thoma quæstione prima artic. 3. in fine.

QVAESTIO VI.

De termino ad quem generationis substantialis.

1 S Vpponimus cum Diuo Thoma in primo distinctione quinta quæstione tertia articulo vnico, quod terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter, sicut etiam, & principium: dicitur enim principium generationis ipsum generans; & huic principio correspondet, sicut terminus, ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis à quo incipit generatio: & hoc modo principium, vel initium generationis est priuatio formæ

formæ inducendæ; & huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta.

Alijs terminis solent vocari terminus *qui*, & terminus *quo*: & ratio appellationis est, quia eo modo terminant, quo sunt; sed aliquid est vt *quo*, quia est forma, & ratio vt alia sint; & aliquid est vt *quod*; quia est id quod subsistit, & operatur: ergo rectè, tam ex parte termini, quam ex parte principij, est illa duplex acceptio. Quia tamen forma est duplex; alia quæ est pars, vt anima; & alia totalis, vt humanitas (de qua distinctione videatur Sanctus Thomas quinto Metaphisicæ lectione quinta, & libro quarto Contragentes cap. 81. ad secundum) idè subdividitur terminus *quo*, vt alius sit totalis; alius partialis.

§. I.

De termino qui.

2 Circa terminum *qui*, arbitrantur aliqui esse naturam totalem; suppositum verò solum esse terminum extrinsecè resultantem, vel speciali actione productum. Ita Vazquez tertia parte disputat. 31. cap. 3. num. 17. vbi negat etiam actiones esse suppositorum. Et prima parte disput. 63. cap. 4. & 5. Conimbricensis hic cap. 4. quæst. 15. art. 4. concl. 2. Rubio tract. 1. q. 3. & alij.

3 Dico tamen primo, terminus *qui* generationis substantialis est compositum vt subsistens: & idè subsistentia est terminus perse intrinsicè generationis; & non alia

actione resultans. Sumitur ex Philosopho septimo Metaphisicæ textu 27. & Diuo Thoma ibi lectione septima, & prima parte quæstione 45. artic. 4. & 8. & quæst. 65. artic. 4. & tertia parte quæst. 35. artic. 1. Et probatur primo, terminus *qui* est, quod est genitum vt *quod*, & correfpōdet principio generanti vt *quod*: sed suppositū est generans vt *quod*: ergo terminus *qui* est natura vt subsistens in supposito. Maior patet ex propria ratione termini *qui* exposita num. 1. Minor verò probatur; illud generat vt *quod*, quod agit vt *quod*: sed suppositum agit vt *quod*: nam vt dicit Sanctus Thomas tertia parte quæst. 20. articulo primo ad secundum: *Agere non attribuitur naturæ, vt agenti, sed personæ; actus enim suppositorum sunt, & singularium secundum Philosophum.* De quo Sanctus Thomas ibi quæst. 19. articulo primo. Et 1. p. quæst. 40. art. 1. ad tertium, & quæst. 3. de Potentia artic. 8. in fine: de quo plura M. Lorca 3. p. disp. 20. à num. 13.

4 Secundo, generatio est via ad esse substantiale: ergo illud generatur vt *quod*, quod habet esse vt *quod*. Sed suppositum est, quod habet esse vt *quod*, vt docet Sactus Thomas 3. p. quæst. 17. art. 2. ergo suppositū est, quod generatur vt *quod*. De his latius PP. Carmel. disp. 2. quæst. 3. & M. Ioan. à S. Tho. q. 1. artic. 5. & Flandria lib. 7. Metaph. q. 12. art. 1. & q. 16. art. 1.

Sed obijcies primo: nam quoad hoc eadem est ratio termini generationis accidentaliter, ac generationis substantialis: sed in generatio-

ne accidentali terminus *qui* est sola forma: ergo in generatione substantiali terminus *qui* erit sola forma, & non compositum subsistens. Probat minor: nam compositum accidentale non est vnum perse, vt ait Sanctus Thomas cap. 7. de Ente, & essentia, & alijs locis relatis libro primo Logicæ quæst. 18. num. 16. forma autem accidentalis est vnum perse. Sed generatio vna debet ad vnum terminum terminari: ergo forma accidentalis erit terminus *qui* generationis accidentalis.

5 Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem cum Diuo Thoma 7. Metaph. lect. 6. & Söcinatè ibi quæst. 23. quia forma accidentalis non est vt *quod*, & ita nõ generatur vt *quod*: de quo S. Tho. 1. part. quæst. 45. artic. 4. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem, & cõcedo eam de termino formali *quo*, & nego de termino *qui*: in isto enim differt generatio accidentium, quæ terminantur ad concretum accidentale, quod non est vnum perse; à generatione substantiali, quæ terminatur ad vnum simpliciter ens perse subsistens.

6 Secundo, Beatissima Virgo MARIA fuit verè, & proprie Mater Dei; & tamen non genuit suppositum: ergo suppositum non est terminus *qui*, seu vt *quod* generatio nis. Probat minor: nam suppositum est Verbum Dei: sed Deus non potest physicè causari, & effici à creatura: ergo suppositum nõ genuit.

Respondetur, melius iuxta nostram sententiam saluari hoc mysterium, quam iuxta oppositam: cum ipsi humanitatem ponant esse terminum: & idè non esset Mater Dei, nisi materialiter; eo quod est Mater humanitatis, quæ alia actione ad Virginem non pertinente, est assumpta à Deo.

7 Dicimus ergo, quod cum in vno composito non sit nisi vnum esse substantiale, prout ostendimus libro 1. Physic. quæst. 7. §. 3. sicut esse animæ rationalis, quod causatur à Deo per creationem, dicitur causari à patre, & matre generantibus, in quantum aptat, & disponunt materiam, & determinant ad talis formæ susceptionem: ita esse Verbi Diuini per Incarnationem fuit à Deo communicatum animæ Christi, & in eodem instanti vnitum corpori, ad cuius formationem Virgo Beatissima materiã præparauit; & idè fuit propriissimè Mater Dei hominis, quia propriissimè genuit illud compositum subsistens personalitate Verbi. De quo latius Nazarius 3. p. q. 17. art. 2. Controu. vnica, & Vincentius in Relectione quæst. 7. pag. 911. & alij Theologi.

§. II.

De termino formali ad quem generationis.

§ **M**Aius dissidium inter Authores est in exponendo termino formali generationis. Nam Durandus in tertio distinctione quinta quæstione secunda nu. 5. Suarez

tom. 1. in 3. p. disp. 8. sect. 3. §. in hoc, Hurtado disp. 11. Physicæ sect. 5. §. 37. & alij contendunt terminum formalem non esse formam, quia hæc non semper producitur vi illius actionis; sed terminum esse vniionem. Probat Durandus, quia terminus non præexistit actioni, quam terminat; alioquin frustra esset actio, cum ordinetur ad acquisitionem termini; si terminus siue actione haberetur: & omnis actio, & motus est propter non habitum.

9 Dicunt alij, quod cum forma educitur, vel producitur per generationem, illa est terminus formalis; quãdo vero forma non producitur, sed solum vnitur, vnio erit terminus formalis. Ita Conimbr. hic cap. 4. q. 15.

10 Alij docent formalem terminum generationis non esse vniionem, sed formam rei generatæ. Ita Flandria lib. 7. Metaph. quæst. 12. art. 5. Ferrara 4. Contrag. cap. 48. in fine, & esse communem inter Thomistas, testantur PP. Carmel. num. 33. & M. Ioann. à S. Thoma concl. 2. & tenet Vazquez 3. p. disp. 19. c. 2. & aduertit Cabrera 3. p. q. 2. art. 7. disp. 2. n. 44. quod vnio est cõditio intrinsece requisita. ¶ Alij dicunt terminum formalem generationis constari ex vniione, & forma.

11 Possiet alius opinari terminum formalem esse ipsam personam vt terminantem naturam; sicut terminum formalem Incarnationis exponunt Capreolus in 3. dist. 15. q. 1. Caietanus. 3. p. quæst. 2. artic. 8. &

ibi Medina, Alvarez, & alij, quos sequitur Nazarius Controuers. 2. dicens communem Expositorum ibi.

12 Denique Lugo de Incarnatione disputat. 11. sect. 2. num. 17. quem plures Recentiores sequuntur, dicit quæstionem esse de nomine: vnde eidem actioni diuersis nominibus explicatæ, assignare solemus diuersos terminos formales; quia tribuit sub diuersis nominibus varias denominationes. Subdit Lugo. num. 19. quod generatio habet duos terminos formales: nam pro termino formali producto respicit vniionem; pro formali communicato animam. Idem sequitur Cabero tract. 1. disput. 1. dub. 4.

13 In ista vltima sententia duæ latent equiuocationes. Primã sapè sustuli, quia aliud est quæstiones humanas pendere à significatione vocum inter homines vsitata: nam dissidium in proprietate vocis exponenda solet parere confusione, & opinionum diuersitatem in ipsis rebus declarandis. Aliud vero est, quod tota quæstio sit de vsu vocis. Quod hic non accidere manifestum est: alioquin omnes quæstiones de specificatione potètiarum, habituum, & virtutum, & scientiarum erunt de voce: & pariter in Theologia in materia de Trinitate, de Incarnatione, & Eucharistia cum inquiritur terminus formalis generationis diuinæ, & Incarnationis, & quid ponatur ex vi verborum: Erunt quæstiones de voce. Et ratio est, nam generatio in re specificatur à ter-

mino formali, & per illud ab alijs distinguitur: ergo non erit quæstio de voce, de termino formali generationis disputare.

14. Secunda æquiuocatio est: nã sapè in vna materiali entitate coincidunt plures formalitates, & muneræ; & ad ea declaranda vtimur diuersis vocibus: vnde non assignamus diuersos terminos formales propter diuersitatem vocum; quia si voces rebus non corresponderēt, nō oporteret propter voces diuersas terminos formales in re assignare. Sed potius è contra, quia in re sūt formalitates, & officia diuersa, ea metaphisicè distinguimus per terminos specificatiuos, & ad vsū humanū per voces significatiuas. Ex quibus concluditur, quod vltima sententia difficultates aliarum integras relinquit: nam alij supponunt, quod vnio producit, & forma communicatur: & tunc inquirunt, quis sit terminus generationis, vt generatio est? Et quid exigatur ad terminum formalem?

15. Dico secūdo, terminus formalis est ad quem actus primo, & perse terminatur; & in speciali terminus formalis generationis est id, quod habet rationem forme rei genitæ. Per hanc conclusionem iudicium facimus discordiæ, quæ est inter Authores vltimæ sententiæ, & reliquos circa definitionem termini formalis. Nã M. Lorca 3. p. disp. 16. n. 5. Vazq. vbi supra, & omnes Thomistæ, & alij Authores cõmuniter supponūt, quod terminus formalis est forma constitutiva termini totalis. Hanc tamen definitionē

reijcit Lugo. n. 17. nam transubstantiationis terminus formalis *ad quē*, est corp⁹ Christi, quod de nouo ponitur sub speciebus: & tamen nemo dicet corpus Christi esse formā, vel quasi formam illius compositi: cum succedat substantiæ panis, quæ erat subiectum specierum. Erit ergo termin⁹ formalis cui propriè, & immediatè applicatur mutatio.

16. Cæterum deficit primo, quia definitiones, & significationes non sunt pro libito mutandæ. Secūdo, quia explicat per ignotius: nã magis latet cui propriè, & immediatè applicetur mutatio, quam lateret, quid sit termin⁹ formalis? Tercio, & præcipuè deficit Lugo, quia arbitratur, quod Authores hucusque, cum illo modo definiunt, seu describunt terminum formale, loquatur vniversaliter de omni actione: & tamen constat eos non loqui in omni materia, sed dumtaxat in ista de generatione, vel de actione factiua, & constitutiva termini. Cū ergo aliquid possit esse de essentia inferioris, quod non est de ratione superioris, inefficaciter arguit ex vna specie actionum, ad alias, vel ad omnes.

17. Nos ad confusionem vitandam, dicimus, quod in genere loquendo, terminus formalis est illa ratio, quæ perse primo terminatur: ratio est, nam obiectum formale est *ad quod terminatur actus primo, & perse*, vt ait S. Tho. in 3. ad Anibal. dist. 24. art. 1. sed terminus formalis est obiectum formale actionis: ergo in genere loquendo, sic debet describi. Et ideò corpus Christi est terminus

minus formalis, quia primo, & per se ad illud terminatur transubstantiatio; & ex vi verborum exprimitur, iuxta illud, *in carnem trāsī panis, & vinum in sanguinem, &c.*

18 Afferimus autem in secunda parte conclusionis, quod in specie loquendo, hæc actio, quæ est substantialis, quæ est via in naturam, formaliter respicit formam constitutivam ut *quo* naturæ, vel essentia; & ideo partialiter est ipsa forma partis, & totaliter est ipsa natura totalis; sed quia per formam res genita constituitur in suo esse substantiali; ideo absolutè forma est terminus formalis.

19 Iam ergo facile probatur: primo ratione S. Thomæ loco citato n. 1. terminus formalis generationis correspondet ex parte termini principio *quo* generans generat: sed ex parte principij natura, & forma est *quo* generans generat, ut probat S. Thom. 1. p. q. 4. ar. 5. ergo ex parte termini ad quem forma est terminus generationis.

20 Secundo probatur: terminus formalis est ratio illa ad quã actio primo, & per se terminatur: sed generatio primo, & per se terminatur ad formam, ut comunicantem esse materia: ergo ut sic forma est terminus formalis generationis. Minor probatur primo, quia ut sic forma opponitur privationi, & sic formaliter pugnant terminus à quo, & ad quem. Secundo, nam generatio est via in naturam, iuxta Phylosophum 2. Phyl. textu 14. sed in ètio naturæ terminatur ad formam, seu naturã speciei: ergo forma est

terminus formalis generationis. Hæc est ratio S. Thomæ 3. p. q. 35. art. 1.

21 Sed obijcies primo: nam in generatione humana forma, quæ est anima rationalis, non fit à generante, sed à Deo creante: ergo forma non est terminus formalis generationis. Probatur cõsequentia, quia sicut terminus *qui* producitur *ut quod*; ita terminus formalis debet produci *ut quo*.

Respondetur, non esse de ratione termini formalis, quod de nouo producat, etiam per accidens, sed sufficit, quod de nouo comunicetur: sicut essentia diuina est terminus formalis diuinæ generationis, quia in illa assimilatur genitum generanti in principio *quo* primo; & tamen *diuina essentia in Filio non generatur, neque per se, neque per accidens*, ut docet S. Tho. 1. p. q. 39. art. 5. ad 1. Vnde anima rationalis est terminus *quo* humanæ generationis, etiam si secundum suum esse ab homine nõ producat; quia sufficit, quod homo vltimo disponat materiam, ut illi hæc forma comunicetur. Vnde negatur consequentia. Ad probationem dicitur, non esse eandem rationem, quia terminus *qui* habet esse *ut quod*: at vero terminus *quo* aliquando est incapax ut producat etiam per accidens: vel quia est eadem numero natura in generante, & genito, ut in Deo contingit: vel quia forma præexistit, & eleuatur in suo esse supra actionem generantis, ut in anima rationali.

22 Quod si in istis ratione Durandi relata n. 8. frustra videri actionem,

si eius formalis terminus ante ipsam præcedit. Respondetur terminum præcedere materialiter in esse rei; nõ formaliter in esse termini; quia anima vt communicata in virtute dispositionum determinantiũ materiam ad hanc formam, non præcedit generationem, & solum vt sic est terminus ab ipsa generatione inspectus.

23 Obijcies secundo, & replicatur contra solutionem: nam anima vt communicata, est anima vt vnita: ergo si generatio respicit animã, vt communicatã, vt nos fatemur, respicit animam vt vnitam: ergo vnio erit terminus formalis: vel cõflatur terminus ex vnione, & forma.

Respondetur, quod genitum nõ assimilatur generati in vnione, sed in forma qua constituitur; & ideo forma perse primo inspicitur, & est formalis terminus; vnio verò, vel erit cõditio intrinseca, vel applicatio rationis formalis, nisi quoad hoc aliquis velit de vocibus contendere.

24 Adhuc vrgebis: nam vt docet S. Tho. in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. *Generatio, & resurrectio non sunt idem motus*, vt etiam diximus q. 5. n. 14. & tamẽ tota differentia nõ est ex parte animæ, quæ est eadem; nec ex parte compositi; siquidem idem numero, qui fuit mortuus, resurget: ergo differentia est ex diuerso modo vnionis: ergo modus vnionis diuersificat actiones: ergo eas specificat: ergo est terminus formalis generationis.

Respondetur, quod modus vnio-

nis substantialiter est idem; quia totum est idem. Et differentia est, quia anima informat inanimabiliter post diem iudicij, & modo animabiliter: cum autem quis resurgit ad vitam mortalem, eius resurrectio differt à prima generatione ex diuerso modo terminandi: sicut etiam differt homo genitus ab homine à solo Deo creato. Videatur quæ in simili diximus q. 4. n. 10. & ideo nunquã habetur, quod ipsa vnio sit formalis terminus generationis.

QVAESTIO VII.

Verũ materia prima sit subiectũ generationis substantialis?

NOTAT M. Bañez hic c. 4. q. 1. r. quod tripliciter potest intelligi materiã esse subiectũ generationis substantialis. Primo vt sit subiectum inhesionis; ita vt generatio subiectetur in materia prima, sicut accidẽtia sunt in cõposito, vt albedo in corpore. Secundo, ita vt sit subiectum denominationis, ac per consequens ratione generationis materia denominetur genita. Tertio, vt solũ sit subiectũ in quo exercetur generatio, vt mobile, quod subiicitur vtrique termino, siue simul sit subiectum motus, siue non. Iuxta hoc ergo est sensus quæstionis, an materia denominetur genita; & an generatio habeat pro subiecto inhesionis ipsam materiã? An verò materia prima solum sit subiectũ exercitij huiusmodi trãsantationis; & subiectũ inhesionis, & denominationis sit totũ cõpositum?

§. I.

Tres sententiæ proponuntur.

2 **S**unt tres præcipuæ opiniones circa quæstionem sic expositâ. Scotus, & Antoni⁹ Andreas 7. Metaph. q. 9. conc. 1. opinantur, quod materia prima generatur per se subiectiuè: quia omnis forma subiecto in quo est tribuit formalè denominationem; vt inductiuè patet: & quia denominatio, & effectus formalis est à forma cõmunicata subiecto. Sed generatio est in materia prima, quia est mutatio substãtialis in potentia; ad differentiam aliorum motuum, ratione quorũ solum variatur secundum quid totum cõpositum, quod est ens actu: ergo generatio est in materia prima, vt in subiecto denominationis & inhæssionis.

3 Opinantur alij materiam primã solum esse subiectum in quo dicitur exerceri generatio, quia manet sub vtroque termino mutationis. Sed tamen asserunt materiam primam, nec esse subiectum denominationis, eo quod materia est ingenerabilis, & solum cõpositũ est, quod generatur. Nec esse subiectũ inhæssionis, eo quod generatio est accidens de prædicamento actionis: nullũ autẽ accidens potest subiectari in materia prima, quia est pura potentia nullam de se includens existentiam: & quia prius respicit actum simpliciter, nempe, formam substãtialẽ, per quam est ens actu; quã actum secundum quid, scilicet formam accidentalẽ, per quam est tale secundum quid, & accidentali

ter. Ita M. Bañez. q. 11. concl. 1. & 2. M. Ioan. à S. Th. q. 1. ar. 5. conc. 1. & Sanchez li. 6. Log. q. 2. ad 10.

4 Communis aliorum opinio docet materiã primam esse subiectum exercitij, & inhæssionis generationis substãtialis; à qua denominatur mutata, seu transmutata substãtialiter ad actum formæ substãtialis: licet propriè loquendo, nõ denominetur genita. Ita Caiet. 3. p. q. 35. artic. 1. §. *Aduertendum est.* Flãdria lib. 8. Metaph. q. 1. art. 4. & lib. 7. q. 12. art. 6. ad 2. Soneinas lib. 7. Metaph. q. 22. post tertiam concl. PP. Carm. hic disp. 2. q. 5. qui citãt Capreolũ, Zanardum, & Ferraram. Sed nec in Capreolo, nec in Ferrara, vbi citantur, id inuenio; quamuis ad aliud intentum citet Capreolus quandam authoritatẽ S. Tho. qua solet probari hæc sententia. Quam tenent Venetus, Toletus, Conimb. & Rubio hic q. 4. qui, & testatur esse cõmunem.

5 Non tamen vna, sed tripliciã via defenditur hæc opinio: nã Aui-cena, & B. Albertus tract. 2. & alij asserentes materiã esse cõuã formam corporeitatis; docent cõpositũ ex materia, & illa forma, esse subiectum primum generationis. ¶ Alij non reputant inconueniẽs materiã esse immediatè susceptiuã accidẽtiũ. Vel vt ait Rubio. n. 55. forma accidẽtalis, quæ est incompleta, & via ad formã, qualis est generatio, ordine executionis prius debet recipi in materia, quã forma substãtialis. ¶ Tãdẽ PP. Carm. n. 61. docent generationem, prout est actio, esse accidens; quia non differt

ab alteratione, quæ residet in composito corrumpendo: attamen prout est mutatio, vel instantanea acquisitio formæ substantialis, nõ est necesse vt sit accidens, sed potest esse modus quidam substantialis; quia est terminus secundarius actionis seu potentia generatiuæ, & nõ ponit in numero cum forma, quia est acquisitio illius, & reductiuè est in genere substantia.

§. II.

Vltima præfertur.

Videtur autem hæc sententia expressa Phylosophi hic tex. 24. & S. Tho. lec. 10. lit. f. asserētis, *Phylosophus dicit, quod prima materia est maximè proprium subiectum susceptibile generationis, & corruptionis: quia immèdiate subst: formis substantialibus, quæ per generationem, & corruptionem adueniunt, & recedunt.* Constat autem, quod subiectū inhæSIONIS formæ, est eius subiectū maximè propriū: ergo ex mente Phylosophi, & D. Tho. materia prima est subiectum inhæSIONIS generationis substantialis. Vnde S. Thom. in 2. dist. 12. q. 1. art. 1. ad 3. ait, *quod sicut in primo de Generatione dicitur, materia est immèdiate subiectum generationis, & corruptionis.* Et in 3. dist. 21. q. 1. art. 3. ad 5. dicit: *Sciendum est, quod sicut generari est compositi, ita & corrumpi; quamuis subiectum generationis, & corruptionis sit materia.* Idem docet S. Tho. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. & 8. Metaph. lect. 1. & alibi sæpè.

7 Rationeque probatur primo,

omnis motus est in mobili, vt ex Phylos. & D. Tho. & eorum ratione probatum est 3. Phys. q. 2. n. 22. Sed certum est, & alij fatentur, materiam primam esse quæ trāsmutatur de vna forma ad aliā: ergo materia prima est subiectum inhæSIONIS generationis substantialis; sicut mobile est subiectum inhæSIONIS, & in quo exercetur motus localis; vnde incōsequēter, admissio quod materia sit subiectum exercitij generationis, negatur esse subiectum inhæSIONIS. Videatur S. Thom. q. 3. de Potent. art. 2.

8 Secundo, vt diximus q. 5. generatio est actio eductiua formæ de potentia subiecti: sed materia prima est ex cuius potentialitate educitur forma: ergo materia prima est subiectum immediatum generationis formæ: sicut in alijs formis actiones quibus educuntur ex potētialitate subiecti, sunt in subiecto ex quo educitur forma.

9 Tertio, & vrgentius; generatio est causa cur forma inducatur in materiam, seu est via, & causalitas agentis, passiuè recepta in subiecto transmutato, ratione cuius dicitur causare totum, & quasi per accidens causare, seu concausare formam: ergo cum causa, & causalitas præcedant effectum; generatio præcedit formam, & compositum genitum: ergo non subiectatur in composito genito, sed in materia prima, quæ substat formæ substantiali, quæ per generationem aduenit, & per corruptionem recedit. Et hæc est ratio S. Thomæ vbi supra.

10 Confirmatur: nam sic se habet generatio ad genitū, sicut corruptio ad corruptum; sed corruptio non est incorrupto, sed potius est causa vt sit corruptum: ergo generatio non est in genito, sed in materia, quæ transmutatur.

11 Confirmatur secundo, prius intelligitur via, quam terminus; & fieri, quam factum esse; & inchoatio rei, quam eius consummata perfectio: sed generatio est via, & fieri, & inchoatio formæ, vt ait S. Th. 2. Contrag. cap. 16. rat. 6. & forma, & totum est terminus, & factum esse, & rei consummatio: ergo generatio præcedit formam, & genitum: ergo subiectatur in materia prima, & non in composito genito.

12 Occurri potest ex M. Ioann. à S. Tho. dicto ar. 5. §. *Quomodo*, docete bene posse intelligi terminū genitū esse subiectū generationis: nā subiectum mutatum per generationem est materia prima, quæ est pars componens ipsum terminum, qui est totum: quare cum actio non inhæreat nisi mediante termino producto, seu ab ipsa actione attackto; cum terminus totalis componatur ex materia, & forma, seu habeat materiam partem sui; in idē coincidit subiectum, & terminus.

13 Sed contra primo: nam iuxta hanc solutionem potius sequitur subiectum generationis esse formā, quia illa est ratio cuius totū terminat generationem: & tamen cōsequens est falsum: ergo & solutio.

Secundo, falsum est, quod actio non inhæreat nisi medio termino producto; quin potius actio infert

passionem, qua subiectum mutatur ad formam: & ideò potius passio identificata cum motu, est præuia ad formam; quam è contra forma sit præuia ad passionem: & ideò sicut alteratio est via ad qualitatem, ita generatio est via ad formam, & naturam, vt ex Philosopho dictum est: ergo præcedit, & non subsequitur: ergo non est in composito.

14 Tertio, iuxta hanc solutionē, in eodem subiecto est generatio vt mutatio est, ac est ipsa relatio geniti, vt facile patet ad relationē eius doctrinam applicando. Sed hoc est falsum; & bene reijcitur à D. Tho. quæst. 3. de Pot. art. 3. ad 4. dicente, *quod in generatione est, & mutatio, & relatio, qua refertur genitum ad generans: ratione ergo mutationis non habet pro subiecto ipsum generatum, sed eius materiam; sed ratione relationis habet subiectum ipsum generatum: ergo ipsa mutatio, quæ est generatio, est transmutatiue, & quasi inhæsiue in materia prima, & non in composito.*

s. III.

Aliarum argumenta soluuntur.

15 **A**D Argumentum primæ sententiæ respondetur potius sequi, quod materia non generetur ex eo quod est subiectum generationis: eo quod generatio non est productio subiecti, sed termini; & ideò facit subiectum, & generatio præsupponit materiam, vt ait S. Thom. 2. dist. 1. q. 1. art. 2. videatur art. 4. ad 5. Ad formam argumenti posset cōcessa maiori, negari minor: vel distingu

lingui, est in materia vt in subiecto
transmutationis, cōcedo; vt in ter-
mino producto per eam; nego. Vn
de hæc forma, quæ est generatio,
duas dat denominationes; alteram
mutati; & hæc competit materiæ;
alteram geniti; & hæc vt quo conue-
nit formæ, & vt quod toti composi-
to subsistenti. Ita colligitur ex D.
Tho. 3. p. q. 35. art. 1. dicente: *Cum
nasci sit quoddam generari, sicut genera-
tur aliquid a hoc quod sit, ita nascitur a-
liquod ad hoc quod sit.* Et ad secundum
ait, *quod nullus motus, seu mutatio deno-
minatur à subiecto, quod mouetur, sed à
termino motus, à quo speciem habet; & ta-
men constat, quod subiectum mu-
tatum denominatur à mutatione,
sicut album ab albedine.*

16 Vel dicatur cum Flandria 7.
Metaph. q. 12. art. 6. ad 1. distinguo
maiorē: & concedo de forma
habente esse completum, & tale,
quod sit nomen impositum ad sig-
nificandum talem effectum forma
lẽ; nego verò si nõ habeat esse cõ-
pletum; vel nõ sit nomẽ impositũ
ad significandũ talẽ effectũ forma-
lem. Apponit exemplum: nam lo-
cus est in locante subiectiue; & ta-
men non denominat corpus locas
esse in loco: & calor non denomi-
nat absolute aquam tepidam esse
calidam: & species, & colores in
aere ipsum non denominant. Et ac-
tio est in passõ, & non denominat
passum agere, sed pati, vt diximus
lib. 3. Phys. q. 4. ad vltimum:

17 Et bene retorquet argumen-
tum Soncinas dicta q. 22. post ter-
tiam conclusionem: nam absque
dubio forma est in materia, quia est

actus materiæ; & actus est in eo. cu-
ius est actus: & tamen materia pri-
ma non dicitur esse animalis ab ani-
ma sensitiua, nec est rationalis ab
anima humana: ergo licet recipiat
generationem, nõ dicitur genita,
sed dicitur subiectum generatio-
nis. Omnis ergo forma dat aliquã
denominationem; sed non necesse
est, quod det omnem denomina-
tionem secundum omne nomẽ ip-
sius formæ. Alia solutio videri po-
test in Ferrara lib. 1. Physic. q. 11. §.
Quantum ad secundum.

18 Difficilius est fundamentũ sen-
tentię secundæ, quod eam proba-
bilem reddit in via D. Tho. & idẽ
sententiam illam retuli, & non im-
pugnauit. 2. p. Metaph. Controu. 7.
n. 8. & etiam vt ad proprium locũ
eius examem reseruarem. Modo
autem rationes, & autoritates ad
ductę cogunt tertiam sententiam
amplecti: in quã, & loco citato in-
clinauit, iuxta eam argumentum di-
luens.

19 Ultra tres modos responden-
di relatas n. 5. alium insinuat Sonci-
nas dicta q. 22. ad 4. docens, quod
generatio proprię accepta, pro ip-
sa introductione subita formæ in
materiam, non est aliud nisi forma
in primo instanti sui; ita quod in
hoc instati solo dicitur generatio,
& ipsamet immediate post hoc nõ
appellabitur generatio, sed forma.
Iuxta hanc doctrinam facillẽ respõ-
detur negãdo maiorẽ, quia si ge-
neratio non distinguitur à forma
substantiali, non erit accidens, sed
substantia; & solum erit accidens
prædicabiliter, quia hæc denomina-
tio

tio accidentalis est, & non semper conueniens; non tamen erit accidens prædicamentale; siquidè substantia non est accidens, vt diximus lib. 2. Log. q. 7. n. 5.

20. Huic tamen solutioni acquiescere non possumus; quia ostendimus lib. 3. Phys. q. 2. §. 3. quod motus realiter differt à termino ad quem. Et generatio realiter separatur à forma, & à toto composito, cum idem homo fiat substantialiter generatione, creatione, & resurrectione: ergo generatio realiter differt à forma.

21. Similiter nec approbare valemus euasione eorum, qui non reputant inconueniens aliqua accidentia vialia esse in materia prima; quia ratione eadem in materia prima erunt reliquæ accidentales dispositiones; & infirmabuntur omnes rationes, quibus S. Thom. probat accidentia non esse immediatè in materia, sed in toto composito: de quibus diximus 2. p. Metaph. Controu. 3. art. 2. & 3. & dicimus infra q. 12.

22. Quare solum videtur restare, vt cum alijs dicamus generationem substantialem esse quid substantiale imperfectum, & modale. Quod vltèrius confirmatur, & probatur, quia diximus lib. 3. Phys. q. 2. quod motus, & mutatio reducitur ad genus sui termini, sicut imperfectum ad perfectum: ergo sicut alteratio reducitur ad qualitatem, ita generatio substantialis erit reductiuè in genere substantiæ: vnde de mutatione ad substantiam loquens Sanctus Thomas 3. Physic. lect. 5. litt. i.

in fine ait: *Motus ponitur per reductiōnem in illo genere; quod terminat motum suū imperfectum reducitur ad perfectū.*

Deinde S. Tho. relatus q. 4. nu. 11. generationem actionem substantialem appellat: & ideò nullum erit inconueniens, quod sit immediatè in materia prima generatio substantialis, quæ reductiuè est substantia.

23. Sed contra hanc solutionem obstat primo, non videri consonā his quæ diximus dicta q. 4. quod generatio non est resultantia, sed noua actio transiens, distincta, adhuc in ratione actionis, ab alteratione præcedente: nam licet, qui dicunt esse resultantiam, & terminum alterationis, & negant esse actionem, consequenter possint defendere nō esse accidens, sed modum substantialem; tamen nos, qui docuimus generationem esse actionem ab alteratione distinctam, consequenter fateri tenemur esse accidens: nam ratio accidentis est quid commune quidditatiuè prædicatum de nouè prædicamentis: ergo quidquid continetur sub prædicamento, vel genere actionis, continetur sub ratione accidentis: alioquin substantia erit accidens.

24. Dices, actiones instantaneas non contineri in prædicamento actionis, quia nō sunt cum motu successiuo, qui est motus strictè sumptus.

Huius euasione insufficientia apparet ex duobus. In primis, quia in definitione motus posita lib. 3. Physicorum, comprehenditur generatio substantialis, vt ibi ait S. Thom. lect. 2. & lib. 5. lect. 5. in principio.

vt nos diximus eodem libro 3. q. 1. num. 16. ergo cum actio identifice-
tur cum motu ibi definito, genera-
tio, quæ est actio transiens, erit cõ-
tenta in prædicamento actionis.

Secundo, nos libro 2. Logicæ
quæst. 28. num. 10. expressè dixim⁹
actiones instantaneas, vt illumina-
tionem, & alias similes actiones trã-
seuntes, esse in prædicamento actio-
nis. Cum ergo generatio sit actio
transiens, quamuis sit actio instan-
tanea, erit in prædicamento acci-
dentis.

25 Respondetur, quod actio, &
mutatio substantialis reducitur ad
genus substantiæ, vt quid imperfe-
ctum in illo genere; sed quia nõ eli-
citur immediatè à substantia, vt
probatum est 2. Physic. quæst. 10.
sed medijs qualitibus superaddi-
tis; ideò ipsam præcedit alia actio
accidentalis correspondens inme-
diatè ipsi potentiæ accidentali; &
actio substantialis, quæ est termin⁹
prioris actionis, correspondet sub-
stantiæ, in cuius virtute accidens in-
strumentaliter agit vltra suam spe-
ciẽ, vt notat Sanctus Thomas quæ-
stione de Anima artic. 12. & ideò
potentia accidentalis specificatur
ab actione accidentali immediatè;
& ratione substantiæ, à qua dima-
nat, mediatè causat instrumentali-
ter prius actionem substantialem,
& ratione illius ipsam substan-
tiam.

26 Iuxta hoc ergo in forma dici-
tur, quod actio transiens est quid a-
nalogum ad actionem substantia-
lem, & accidentalem: & hæc poni-
tur in prædicamento actionis; at

verò actio substantialis non ponitur
in prædicamento actionis essentia-
liter sumpta; sed solum accepta mi-
nus propriè pro alteratione, cuius
ipsa est terminus. Nec ego reperio
maiorẽ difficultatem in eo, quod
resultantia substantiæ, sit substantia-
lis modus, quam in eo, quod actio
substantialis reducatur ad substan-
tiam.

27 Ad primam replicam respon-
detur concedendo antecedens, &
priorem partem consequentis: nã
actio accidentalis identificatur cū
alteratione: actio verò substantia-
lis identificatur cum generatione,
quæ est inchoatio formæ substan-
tialis; & ideò qui causat formam,
causat generationem eius, introdu-
cendo eam in materiam.

28 Ad secundam dicitur, ibi nos
expressè fuisse loquutos de actione
transeunte accidentali, remittẽdo
ad hũc locum disputare de genera-
tione substantiali. Sicut non obsta-
te, quod creatio dicatur actio, sig-
nificata actiue, est ipsa substantia Dei
cū relatione ad creaturas, & sum-
pta passiue, est relatio creaturæ ad
Deum, vt docet S. Tho. 1. p. q. 45.
art. 3. ac per consequens, licet crea-
tio significetur vt actio, non est in
prædicamento actionis: & ideò idẽ
possumus dicere de generatione
substantiali; quam quoad hoc cõ-
parat ibi S. Thom. in argumẽto *Sed
contra*, cum creatione; quamuis sit
differentia, quod creatio est ex ni-
hilo; & generatio ex aliquo præexi-
senti. Dicitur autem generatio ac-
cidere materiæ, & rei genitæ, præ-
dicabiliter, quia nõ prædicatur esse
tialiter,

tialiter, & semper; non tamen prædicamentaliter, quia non est in rigore accidens: vide quæ in simili de Transubstantiatione docet Cornejo 3. p. quæst. 75. disp. 1. dub. 2. pag. 383.

29 Rursum instabis, quia si materia prima, cum sit pura potentia, valet inmediate recipere minimam entitatem generationis; eadem ratione poterit inmediate recipere accidentia, quibus disponatur ad formam substantialem: nam iam verificatur, quod prius in executione recipit actum secundum quid, & imperfectum, quam recipiat formam, quæ est actus simpliciter, & perfectus.

Respondetur, quod sicut in sententia adstruente modum substantialem unionis, adhuc assignatur disparitas à Thomistis inter ipsum, & alia accidentia, quia non ponit in numero cum forma, quam necit materia, & mediando inter ipsam, & formam, dicunt non tollere, quod unio materiae, & formæ dicatur immediata; eo quod unio mediat *ut quo*, & ut nexus. Ita nunc dicitur, quod generatio substantialis est ipsa inchoatio formæ, & est in ipso instanti introductionis formæ, ipsaq; passiva eius introductio; & ideo quasi non ponit in numero cum ipsa forma; & qui causat generationem dicitur causare formam: ac per consequens non est eadem ratio de ipsa, ac de formis accidentalibus,

ut sint inmediate in materia prima.

QVAESTIO VIII.

Utrum dispositiones causent generationem substantialem?

§. I.


Certa præmittuntur.

1 Sicut docet Sanctus Thomas q. 1. de Virtutibus artic. 1. ad 8. *Dispositio ad aliquid, dicitur id per quod aliquid mouetur in illud consequendum; & ideo, ut inquit ipse Sanctus Thomas in 2. dist. 24. quæst. 1. artic. 6. ad sextum, dispositio proprie dicitur illud, quod se habet, ut incompletum in motu ad perfectum, quod est terminus motus: sicut qui addiscit, habet dispositionem scientiæ; & calor est dispositio ad formam ignis.*

2 Est autem dispositio duplex: alia præparans remotè, & antecedenter; & ideo dicitur dispositio præuia: alia præparans, & disponens simul cum forma; & dicitur dispositio committans, & à forma procedens: de quibus meminit S. Tho. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. dicens, quod *dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem; alio modo sicut effectus à perfectione procedens.*

3 De utrisque dispositionibus procedit difficultas; quæ præcipue urget in sententia Sancti Thomæ docentis accidentia non subiectari in materia prima, sed in toto composito: quia accidentia, quæ sunt in composito corrumpeudo, non sunt in instanti generationis; & ideo eam causare non possunt; cum vnumquodque operetur in quantum

est



est in actu. Quæ verò sunt incòposito genito generationem rō possunt causare, quia eam non præcedunt, sed subsequuntur; causâ autē naturaliter effectum debet præcedere, non verò ad eum subsequi.

4 Duæ difficultates sub quæstionis titulo cōtinentur: prior de causalitate dispositionum in generatione; de qua modò: posterior de causalitate generationis, vel formæ reigenitæ in ipsas dispositiones; de qua q. 9. ¶ Circa primam certum est dispositiones simultaneas non concurrere effectiue ad productionem formæ substantialis. Quod expressè docet S. Thom. q. 28. de Verit. art. 8. ad 5. Circa quod testimonium aduerte, non bene referri à Rubio q. 8. ar. 7. ad 5. cum ibi nil tale dicat; sed id docet S. Th. loco à nobis relato. Deinde nõ bene explicat S. Thomam loqui de dispositionibus præuijs; cum expressè loquatur de cōtritione, quæ est dispositio simultanea gratiæ. Verba S. Thomæ sunt: *Dispositio non facit aliquid ad formam effectiue, sed materialiter tantum, in quantum per dispositionem materia efficitur congrua ad receptionem formæ: & sic cōtritio facit ad gratiæ infusionem*: de qua in solu. ad 3. immodè atè præmiserat, quod *cōtritio est dispositio ad gratiam simul existens cū gratiâ; sicut dispositio, quæ est necessitas, simul est cum formâ*. Ergo indubitatū est S. Thomam loqui de dispositione simultanea. Et in eadem quæst. 28. art. 7. ad 1. ait, quod calor consumatus simul introducitur cum formâ ignis.

5 Ratio est facilis; nam causa effi-

ciens nequit causari à suo effectu; alioquin idem in eodem infimo genere causæ causabit seipsum: & idè posset efficere suum esse, & posset esse pater sui: sed dispositiones simultaneæ in genere causæ efficientis causantur ab ipsa forma rei genitæ, quæ est posterior ipsa generatione, qua introducitur: nam à forma substantiali dimanant formæ accidentales: ergo dispositiones simultaneæ non causant effectiue generationem, nec formam substantialem.

6 Quod procedit etiam si dispositiones subiectarentur in materia prima: nam forma præcedens corrumpitur adueniente vltima dispositione formæ, quæ introducitur; & idè dispositiones vltimæ simultaneæ habent connexionem cum forma geniti, & ad earum introductionem oportet expoliari dispositionibus formæ, quæ corrumpitur: ergo dispositiones vltimæ, & comitantes non habent prioritatem sufficientem vt possint causare, neque formam substantialem, neque eius generationem. Quare in hoc puncto omnes concordant.

s. II.

Sententia negatiua.

7 Dissident verò circa dispositiones præuias, quas solum materialiter cōcurrere ad expulsiōem contrariarum, & formæ corruppendæ, & generationem totius, docent Scotus in 4. dist. 1. q. 5. & dist. 12. q. 3. Suarez disp. 14. Metaphil. sect.

sec. 3. n. 30. latius Rubio hic trac. 3. q. 11. & alij, qui dispositionibus præiis omnem vim effectiuam negāt.

Probant primo, quia id, quod actu non est, actu non potest efficere: nam existentia est necessāria conditio ad causandum: & præcipuè in causa efficiente, cū vnumquodque causet inquantū est in actu, vt n. 3. dicebatur: cum ergo dispositiones præiæ non sint in instanti generationis, non possunt generationem causare.

8 Secundo, agens naturale nō potest aliquid operari, nisi circa subiectū: sed dispositiones præiæ nihil efficiunt circa subiectū in quo recipiuntur: ergo non causant effectiue, sed materialiter, vel formaliter tantū. Minor probatur primo: nam S. Tho. 1. 2. q. 85. artic. 1. ad 4. ait, quod *accidens non agit effectiue in subiectū; agit tamen formaliter in ipsam, eo modo loquendi, quo dicitur, quod albedo facit album.* Quod & docet S. Th. 1. 2. q. 110. ar. 2. ad 1. & Quodl. 10. art. 3. ad 2. Secūdo probatur, quia agens naturale non intendit perse primo corrumpere, sed solum per accidēs ad alterius productionem: dispositiones autē præcedentes nullum effectum positiuum efficiunt toto tempore alterationis: nam calor productus in ligno non producit nouum calorem in eadem parte subiecti; alioquin seipsum intēderet: quod constat esse impossibile: ergo nullum habet effectū circa lignū, præter expulsionē aliquorū gradū frigiditatis: quos constat non expellere in genere causæ efficientis, quia repugnat solam expul-

sionem fieri ab aliquo agente; sed solum in genere causæ formalis: ergo dispositiones præiæ non causant efficienter generationem, etiā si accidentia recipiantur in materia.

§. III.

Vera sententia.

9 Dicendum tamen est, quod dispositiones præiæ, nō solum in genere causæ dispositiuæ materialis; sed etiam in genere causæ efficientis causant generationem substantialem. Id quod supponit cōclusio, quod causalitas dispositionū, sit causalitas formarum accidentalium, quibus præparatur subiectū, & materia ad recipiendum, cōmuniter admittitur, & à nobis est explicatum 2. p. Metaph. Controu. 1. n. 52. & facile patet, tum quotidiana experientia, quia videmus facilius introduci formā ignis vbi præcessit siccitas, & calor, quam si nō præcessissent: tum ratione, quia causalitas materiæ est recipere, & pati, & vt subiectum formarum se habere: sed quo melius fuerit disposita, præparata, & aptata, melius poterit recipere: ergo absque dubio dispositiones, quibus præparatur, & disponitur subiectum, vel materia, ad genus causæ materialis reducūt. Interuenire etiam causalitatē formālē perse notum est; siquidem accidētia ipsa formæ sunt: & duæ formæ contrariæ in genere causæ formalis incōpossibilitatem includūt.

10 Vltima ergo pars conclusionis (de qua sola est difficultas) est Thomistarū cōmunis cū Capreolo

in 1. dist. 3. q. 3. p. 127. & Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Nuño 3. p. q. 85. art. 2. dub. 2. conc. 3. Coqueti⁹ lib. 3. de Gratia disp. 9. c. 3. & M. Soto 2. Phys. q. 4. ad 3. ait: *Necessaris mirari possum, quomodo hoc Scotus negare potuit.* Thomistas sequuntur PP. Conimb. hic cap. 4. q. 18. ar. 3. Card. Toletus q. 7. post tertiam cōcl. & alij. Imò M. Ioan. Puteanus Augustinianus 1. 2. q. 113. artic. 2. dub. 5. in princip. dicit esse *communem doctrinā Phylsophorum.*

Ratione probatur primo: id quod est causa effectiua substantiæ, vt productæ per generationē substantialem, est causa effectiua ipsius generationis, qua producitur: sed accidentia in virtute substantiæ effectiue, licet instrumentaliter, producant substantiam: ergo accidentia, & alterationes præuiæ, per quas producuntur (vnumquodque in suo genere) sunt causa effectiua generationis substantialis. Maior partet primo, quia generatio est via, & ipsa productio substantiæ: ergo nequit causa producere substantiā vt genitam, nisi quia efficit generationem. Secundo, nam non alia ratione agenti principali tribuitur efficientia substantiæ, nisi quia causat principaliter generationem: ergo eo ipso quod dispositiones præuiæ causent accidentia, quæ sunt virtutes productiua substantiæ instrumentaltiter, ipsa in suo ordine dicuntur efficere substantiæ generationē. Prima verò minor latè est probata 2. Phys. q. 10. & 2. p. Metaph. Contr. 9. vnde S. Th. & omnes ibi relati, cōsequenter hanc cōclusionē docēt,

11 Secundo probatur: nā generatio substantialis debet habere aliam quam causam efficientē: non aliam nisi dispositiones præuias, medijs quibus vt instrumentis vna substantia aliam producit: ergo dispositiones præuiæ in virtute substantiæ substantiā producant, & eius generationem. Minor probatur: uā substantia sæpè est diuisa: constat autē, quod agens, & patiens debent esse simul, vt docet Phyls. lib. 7. Phys. tex. 10. & S. Thom. ibi initio lec. 3. & nos latè diximus 2. p. Metaph. Contr. 13. art. 3. sicut ignis nō producit ignem nisi per calorem, qui in absentia ipsius effectiue causat alterius generationem.

12 Respondet Rubio solut. ad 1. quod calor coniunctus cū igne generante est virtus ipsius, quæ agit in virtute substantiæ: at verò calor causatus in passio non est instrumentū, eo quod non se tenet ex parte efficientis, sed ex parte passi.

Sed contra est: vt causa efficiens dicatur causare debet esse in se, vel in sua virtute causatiua, quæ est ei⁹ existentia virtualis, vt diximus 2. Physic. q. 15. concl. 3. sed in instanti quo causantur generationes substantiales, virtus agentis non est approximata passio, nisi media qualitate introducta medijs dispositionibus: ergo istæ causant effectiue generationem.

13 Secundo, aut solutio loquitur de causa effectiua proxima: aut de causalitate etiam remota. Si primum, fatemur accidens coniunctū esse virtutem causæ efficientis; nō autem accidens separatum. Et sic intelli-

Intelligendus est Soto secūdo Phisicorum quæst. 1. ad 4. Si verò neget accidenti deciso causalitatem effectiuam mediatam, quæ remotè tribuatur causæ à quâ fuit accidēs productum, falsum est. In primis, quia vt ait S. Thomas in primo dist. 37. quæst. 1. art. 1. ad 2. *Virtus Solis primo imprimitur in corpore sibi coniuncto, & sic deinceps usque ad vltimum: & hæc virtus est lumen eius, per quod agit in his inferiorib⁹, vt Auicena dicit.* Quo ad hoc autē par est ratio de omni agēte remoto, & absenti formaliter, & præseti virtualiter. Deinde, aliqua causa efficiens debet hic assignari, media qua efficiencia eius causæ remotæ applicetur, & coniungatur effectui vltimo: sed non apparet alia, nisi alterationes medijs quibus qualitates præuix disponentes introducuntur: ergo illæ causant efficienter generationem,

14 Sed obijcies: nam sequitur, quod aqua agat ad sui corruptionem: hoc autem est falsum: ergo etiam est falsum, quod accidentia præuie disponentia agant effectiue ad expulsionem formæ ad generationem. Probatur maior: nam calor receptus in aqua, corrumpit effectiue aquam, quia est virtus agentis, quod corrumpit aquam: sed calor ille agit in virtute ipsius aquæ, siquidem illi tribuitur operatio accidentis, cui accidens inest, & dat accidenti esse; & ideo illi vt quod tribuitur operatio: ergo sequitur, quod calor effectiue agat ad sui corruptionem.

Respondetur primo negando

maiolem. Ad probationem negatur minor. Ad cuius probationem distinguo antecedens, illi tribuitur vt quod operatio accidentis, cui accidens inest, vt in subiecto proprio; concedo: cui inest vt in subiecto extraneo; nego. Hanc solutionem desumi ex Diuo Thoma secunda secundæ quæst. 23. articulo secundo ad tertium, & ex Carietano ibidem, notat Bañez hic cap. 4. quæstione nona articulo primo ad secundū, addens, quod formæ accidentales participatæ in subiecto extraneo, & alterius naturæ, referuntur in duplex agens vt quod: alterum, vt quod vtitur tantum illa; alterū, vt à quo proficiscitur, & cui est cōnaturalis. Vnde calor existens in aqua ab igne, non agit in virtute ipsius aquæ, licet ab ea sustentetur; quia aqua est subiectum extraneum, deferens, & quasiuens calore. Agit ergo principaliter in virtute ignis, cui est calor connaturalis. Alia facilius solutio assignabitur solutione ad secundū num. 19. & 20. quamuis ista veram contineat doctrinam, & pro alijs quæstionibus notandam.

s. III.

Vltimum fundamentum: & argumentorum solutio.

15 **T**ertium conclusionis fundamentum sumitur ex generatione viuientium, præcipue animalium perfectorum, quæ generantur ex coitu, in quibus virtus actiua est in semine maris, secundum Phylsophum primo de Generat. Anim.

cap. 2. & 20. quod explanās S. Tho. 1. p. q. 118. art. 1. ait, *quod ex anima generantis deriuatur quedam virtus actiua ad ipsum semen animalis, vel plantæ; sicut & à principali agente deriuatur quedam vis motiua ad instrumentum. Et sicut nõ refert dicere, quod aliquid moueatur ab instrumento, vel principali agente; ita non refert dicere, quod anima generantis cause tur ab anima generantis, vel à virtute deriuata ab ipsa, quæ est in semine.* ¶ Ex quo sic vrgetur ratio. Virtus, quæ est in semine, effectiue causat generationem substantialem viuētis: ergo & aliæ præuiæ dispositiones effectiue causant generationem substantialem. Antecedens probatur: nam principale generans non efficit in instanti generationis per se ipsum: ergo causat effectiue per suū instrumentū; quod agit in eius virtute, & in absētia, etiam si mortuū sit agens, à quo fuit decisum: sed instrumentum non est aliud nisi virtus seminis: ergo semini tribuitur effectiue instrumētāliter generatio substantialis, quæ generanti tribuitur vt causæ principali. Prima verò consequentiā est manifesta: nam sicut virtus seminis est instrumētum viuētis; ita calor est instrumentū ignis; & lux est instrumentum Solis; & sic de alijs. Et deinde, quia omnes præuiæ dispositiones, quarum terminus extrinsecus est generatio, eodem genere influxus ad eā debent cōcurrere in genere loquēdo.

16 Occurrunt Recentiores cum Scoto, dicentes, quod dispositiones dicuntur causare formā, in quā naturaliter influunt; eo quod intui

tu illarū Deus formam producit: quod genus causæ ad causam efficientem reduci solet.

Hoc tamen iā reieccimus 2. Physicorum quæstione 10. num. 26. & 27. & iam impugnauerat M. Soto 2. Physicorū quæst. 4. ad tertiu, his fere verbis: *Hoc tamen nescio equidem quomodo in Physica sustineri possit.* Et infra. Manifestissime ergo illa responsio contradicit Aristoteli. Imò, & Phylosopho Christiano: nam quæuis nostra nos fides docuerit Deum se solo posse facere id, quod facit per causas secundas, id tamen dicimus esse miraculum. Cum autē de rerum natura sermo est, nullatenus conceditur Deum sine causa secunda effectus producere naturales; alias in generationibus semper essēt miracula. Item sola anima rationalis est quæ à solo Deo producitur; animæ verò brutorū, si à solo Deo producerentur, non educerentur de potētia materiæ, nec esset differentia inter animā rationalem, & animam brutorum. Item Aristoteles 7. Metaph. tex. 31. expressè ait, quod semen potestate, & virtute continet formam; sicut ars artificis, licet realiter non sit domus, est tamen virtus faciendi domum. Et concludit M. Soto: *Certe nescio quomodo negari possit quin virtus seminis attingat ad productionem formæ.* Productio autem formæ substantialis,educta ab agente naturali de potētia materiæ, est ipsa substantialis generatio: ergo dispositiones præuiæ, in virtute substantiæ, causant effectiue instrumētāliter ipsam generationem substantialem.

Quo circa in simili euentu Con
inch. 2. 2. disp. 22. dub. 3. n. 46. ait,
*quod hoc est miserū pro phylsopho resu-
gū, quod euertit omnem rationem argu-
mentandi ab experientia: nempē in his
recurere ad primam causam.*

17 Alia via respōdet Rub. ad 2. di
cens negandā esse cōsequētiam: nā
est manifesta differentia, quia virt^o
feminalis nō operatur circa mate-
riā, vel subiectū in quo est: sed cum
sit in quibusdā partibus eiusdem se-
minis, operatur circa alias, in qua-
rū materia introducēda est anima.
Dispositiones verò præcedētes a-
lias generationes (de quibus loqui
mur) sunt in eodē passo, in eadēq;
materia, in qua introducēda est for-
ma: vnde cū nō agant in subiectū ef-
fectiuē, sed solum formaliter; ideo
nec possunt effectiuē expellere dis-
positiones contrarias, sed solum for-
maliter, & materialiter disponere,
non verò effectiuē causare formā
generationem.

Facilē tamē excluditur, quia nul-
la valet assignari disparitas, quæ ad
rē faciat: nam si virtus seminis, cū
sit accidēs, in absentia generātis ef-
ficat generationē substantialē in a-
lia parte sibi propinqua; nō est cur
calor in parte propinquiōri ipsi rei
genitæ existēs nō possit in alia par-
te causare formā ignis? Ergo efficit
ignis generationē: nā in omni acci-
dente est verū, quod in subiectū a-
gunt formaliter, sed in formam cō-
trariam etiam effectiuē: quod sup-
ponit S. Th. 2. 2. q. 24. ar. 10. de quo
latē M. Coquetius supra.

18 Ad primū prioris sententiæ iā
respondimus 2. Phys. q. 15. & 2. p.

Metaph. Cōtrou. 13. quod id quod
non est, vel formaliter, vel virtuali-
ter, nō potest causare: sed tamē cū
generatio sit termin^o alterationis,
talis est connexio vnus cum alia,
quod desinēte alteratione, incipit,
vel est generatio.

19 Ad secundū respōdetur, quod
forma in subiecto solū circa illud
exercet causalitatē formalem; sed
circa formam oppositā, sicut exer-
cet cōtrarietatē, ita potest exerce-
re efficientiam. In forma negatur
minor. Ad primam probationem,
vel concedatur id, quod authorita-
tes sonant: ex quo solum infertur,
quod efficientia dispositionū non
sit in subiectū, sed in formam cōtra-
riā, & in generationē substantialē:
quod solū nos intendimus. Vel di-
catur, quod licet accidētia ex pro-
prijs solum habeāt causalitatē for-
malem; tamen vt sunt virtutes in-
strumentariæ efficientis principalis
habent causalitatem effectiuam in-
strumentalem efficientem vt quo:
& hoc solū nos intendimus.

20 Ad secundam probationem
respondetur, quod vt docet S. Th.
1. p. q. 49. art. 1. *Malum, & corruptio
aeris, & aqua est ex perfectione ignis: sed
hoc est peraccidens; quia ignis non insen-
dit priuare formā aqua, sed inducere pro-
priam formam; sed hoc faciendo, causat,
& illud peraccidens.* Cum autem ca-
lor sit instrumentum quo ignis a-
git, & similiter aliæ qualitates per
alterationem inductæ; de his simi-
liter est dicendum, quod per se pri-
mo intendunt inducere propriam
formam, & formam agentis princi-
palis, peraccidens autem priuatio-

nem contrariæ. Imò & suum non esse, quia corrumpendo subiectū, desinunt esse. Quod expressit Sanctus Thomas Quodl. I. art. 6. ita cōcludens: *Forma verò accidentales, quæ prius inerant disponentes ad animam, corrumpuntur quidem; non perse. sed per accidens ad corruptionem subiecti. Vnde manent eadem specie, sed non eadem numero. sicut etiam contingit circa dispositiones formarum elementarium, quæ primitus materia aduenire apparent.* Ex quo patet, quod non est quoad hoc differentia inter formam animalium, & elementorum: & quod non est inconueniens, sed necessarium, quod accidens corrupto subiecto, per accidens desinat esse, vt etiam docet S. Thom. q. 2. de Charit. artic. 12. & Capreol. in 2. dist. 13. ad 2. Gregor. contra 2. pag. 313. & Caiet. c. 7. de Ente, & essentia q. 17. Nec ad hoc opus est causare aliam qualitatem, quia in ipsis dispositionibus est virtus agentis, & hæc accidentia sunt impossibilia cum accidentibus formæ expellendæ.

QVAESTIO IX.

Virum dispositiones vltimæ dimanent à forma ad quam disponunt?

1 **D**ispositiones vltimæ, & comitantæ formam substantialem, sunt in duplici differentia: aliæ solum dantur ad *ornatum*, & perfectionem subiecti; aliæ verò dantur ad *verè præparandam materiam* pro forma recipiendâ. Distinctio est S. Thomæ in 3. sentent. dist. 13. q. 3. art. 1.

vbi in exemplum dispositionis præparantis, adducit calorem disponentem ad formam ignis; & inter dispositiones ornantes, quæ faciunt ad bonitatem, & decentiam perfectionis, proponit pulchritudinem: nam *decor persona facit ad dignitatem regni.* Videatur S. Tho. 3. p. q. 7. art. 13. & latius q. 29. de Verit. art. 2. vbi distinguit dispositionem necessitatis, & dispositionem congruitatis.

2 Igitur multis difficile visū est, quod aliqua qualitas, seu vltima dispositio sit verè præparans, & ad aptans subiectum ad formam, & quod effectiuè, & formaliter consequatur ipsam formam: quamuis benè intelligatur, quod dispositio purè ornans, & perficiens, & necessaria ad naturalem conseruationem formæ, ipsam consequatur, & ab ea dimanet. Ita Suarez disp. 14. Metaphis. sec. 3. n. 28. Lorca 1. 2. sec. 6. disp. 38. Montef. to. 2. disp. 34. q. 4. §. 1. in fine num. 109. Auersa hic q. 37. sec. 6. & alij.

§. I.

Vera sententia auctoritate probatur.

3 **S**it tamen conclusio, dispositio nes vltimæ præcedūt formam in genere causæ materialis verè præparantes ad formæ receptionem; & simul ab illa dimanant formaliter, & efficienter. Hanc esse *totius Scholæ S. Thomæ* testatur, & sequitur M. Soto in 4. dist. 14. q. 2. art. 6. §. *Sed exurgit.* Et docuit Capreolus in 1. dist. 3. q. 3. ad 3. pag. 128. & in 4. distinct.

finct. 43. q. 2. ad 1. Aur. contra 2. pag. 329. unde sine fundamēto pro contraria citatur. Ex professo docent Soncinas lib. 8. Metaphis. q. 9. ad 2. & Bañez hic cap. 4. q. 10. art. 2. PP. Carmel. disp. 2. q. 8. Ioan. à S. Tho. q. 1. art. 7. & videndus Caiet. & alij Expositores. 1. p. q. 78. art. 6. ad 1. & 1. 2. q. 113. art. 8. vbi Vazq. disp. 211. c. 4. citans Maiorem in 3. dist. 18. q. 2. & Henricum Quodl. 1. q. 32. circa finem. Valentia, & alij, quos refert, & sequitur Alvarez lib. 7. de Auxil. disp. 66. & lib. 5. Respons. c. 14. & D. Gaspar Ram tota Relectione 6. & in Appendice ad eam, & alij innumeri.

4 Estque expressa S. Thom. q. 28. de Veritate art. 8. in fine corporis, vbi ait: *Est simile in rebus naturalibus de dispositione, qua est necessitas ad formam, qua quodammodo precedit formam substantialem, scilicet, secundum rationem causae materialis: dispositio enim materialis ex parte materiae tenet. Sed alio modo, scilicet, ex parte causae formalis forma substantialis est prior, in quantum perficit, & materiam, & accidentia materialia.* Hæc S. Tho. Vbi satis clarè accidentia eadem, quæ ponit in genere causae formalis dimanare à forma, docet in genere causae materialis dispositivæ precedere ipsam formam: sed quæ procedunt à forma sunt vltimæ dispositiones: ergo dispositiones vltimæ sunt priores forma in genere causae dispositivæ materialis, & ipsa posteriores in genere causae formalis, & efficientis.

5 Dices primo, S. Thomam ibi non meminisse causæ efficientis: unde non est cur ex isto loco præce-

dentiam in hoc genere causæ colligamus.

Facile hoc excluditur: nam forma substantialis est causa effectiva suorum accidentium, passionum quidem per naturalem sequelam; aliorum verò per propriam efficientiam, vt dictum est 2. Physic. q. 11. unde eo ipso, quod forma genitæ præcedat dispositiones in genere causae formalis substantialis, præcedit in genere efficientis.

6 Dices secundo, S. Thomam non asserere absolute, quod dispositio præcedit; sed cum limitatione solum dicit, quod *quodammodo præcedit, &c.*

Facilius respondetur, quod verba immediatè sequentia istorum sensum clarè declarant: quia enim causalitas materialis dispositiva est causalitas secundum quid comparativè ad causalitatem formalem, & effectivam; quia solum in genere causae præparativæ dispositiones præcedunt, & simpliciter sunt posteriores in alijs generibus causarum; ideò S. Thom. dixit, quod *quodammodo præcedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causae materialis*, ipso D. Thom. se declarante; & ideò nostra non indiget declaratione.

7 Præterea ipse S. Tho. in 4. sent. dist. 17. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ait: *In eodem instanti terminatur alteratio ad dispositionem, qua est necessitas; & generatio ad formam: & tamen secundum ordinem naturæ utrumque est prius altero aliquo modo; quia dispositio, qua est necessitas, præcedit formam secundum ordinem causae materialis; sed forma est prior secundum*

secundum ordinem causæ formalis. Et secundum hunc modum illa qualitas consummata est etiam formalis effectus formæ substantialis, secundum quod forma substantialis est causæ accidentalium. Hæc auctoritas, etiam nullo ponderante, intentum manifestè conuincit. Loqui S. Thomam de dispositione rigorosa, & contextus exigit: & quia ipse S. Thomas in 3. dist. 13. q. 3. art. 1. in corp. dixerat: *Alio modo disponit aliquid ad formam, sicut præparando materiam; ita quod præexistat in materia ante formam ordine sciendi; non ordine essendi; sicut calor disponit ad formam ignis; non quia medium cadit in eam, & materiam; sed materia appropriatur ad formam ignis per aduentum caloris.* Quod & docet S. Thomas 3. p. q. 7. artic. 13. ad 2. dicens: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistens.* Idem habet ibi quæst. 9. art. 3. ad 2. & 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad 2. & art. 7. & alibi sæpè.

§. II.

Rationes conclusionis.

8 **F**undamentum præcipuum huius conclusionis iam est satis stabilitum lib. 2. Physicorum quæst. 24. quod inter causas actu causantes causæ ad inuicem sunt causæ: sed accidentia realiter fluunt à forma; & illa nequit connaturaliter recipi, nisi quodammodo mediant accidentia: ergo dispositiones causant præparatiuè formam, & ab ea causantur efficièter, & formaliter.

9 **O**bjicies: nam axioma Phyllo-

sophorum, quod *causæ ad inuicem sunt causæ* intelligitur, & verificatur de causis in diuerso genere causantibus; non verò de causis eiusdè generis: alioquin idem secundum idem erit eiusdem causæ, & effectus: sed si nostra cõclusio esset vera, iam accidentia ista essent priora, & posteriora in eodè genere causæ: liquidè subiectantur in toto cõposito, & partialiter in ipsa forma; & ita ista esset prior illis in genere causæ materialis receptiuæ; & ex alia parte dispositio materiæ pertinet etiã ad causam materialem. Ex illo ergo axioma rectè intellecto potius destruitur, quã firmetur cõclusio.

Respondent, PP. Carn. n. III. quod repugnat aliquid esse prius, & posterius in eodè genere causæ proximo; nõ tamen in eodè genere remoto: forma autem est causæ materialis receptiuæ dispositio; illa verò sunt causæ materialis dispositiuæ; quæ nõ sunt eiusdem generis proximi: nam causæ materialis diuiditur tãquam in diuersas species in causam materialem receptiuam, & dispositiuam.

10 Hanc solutionem calumniatur Cabero dis. 2. du. 2. Primo, rogãdo cur implicet quod causæ materiales sint sibi inuicem causæ in eodem genere causæ proximo, & nõ in eodem genere causæ remoto: cur videlicet, idem non possit esse prius, & posterius in eodem genere causæ materialis receptiuæ? Secundo, quia in hac explicatione Thomistica non procedunt: quia tenentur concedere etiam in eodem genere causæ efficientis, & in eodè genere causæ

causæ formalis causas posse esse ad inuicem causas. In eadem herent salubra alij Nouiores, qui intrepide affirmant nullam Thomistarum ante PP. Carmelitanos hanc axioma tis explicationem docuisse.

11 Oporteret tamen, quod qui tam acriter Thomistas impugnant, Thomistas non oscitanter legant: hæc explicationem poterant vidisse apud Nazarium, Cabreram, & Mōtelinos, quos retuli 2. Phys. q. 24. n. 25. & docuerat Cornejo 3. p. q. 1. art. 3. disp. vnica ad 4. difficul. pag. 111. Verba M. Nazarij subijcio, vt euidētius appareat falli, qui putāt, aut primos, aut vnicos fuisse PP. Carmelitanos huius explicationis assertores. Igitur 3. p. q. 1. art. 3. §. *vt autem*, pag. mihi 113. ita ait: Secūdo sciēdum est idem posse esse effectum respectu eiusdē in eodem genere causæ; quamuis non in eadem atoma specie. Exempli gratia; accidentia sunt causa materialis ad esse subiecti; quia disponunt ad illud; dispositio verò reductiue pertinet ad causam materialem: & tamen subiectum causa materialis est accidentium, cum ea in ipso recipiat, & sustentet. Non eadem tamen est vtriusque species atoma causæ materialis, sed diuersa; vt patet ex modo causalitatis diuerso; illa enim rationem habent, & exercēt causæ materialis vt dispositiones; hoc autem vt subiectum: quorum rationes non solum absolutē, sed etiam in genere causæ materialis maxime distant. Idem etiam contingit in genere causæ finalis; bonū enim exercitus ad bonum ducis or-

dinatur, vt ad finem cuius, vt ait S. D. 2. 2. q. 39. artic. 2. ad 2. & tamen dux ordinatur ad bonum cuiuslibet militis, vt ad finem cui: quæ tamen rationes finis diuersæ sunt secundum speciem. Sic igitur in proposito, quamuis omnia ad Christū passibilem ordinētur, &c. Eadem in substantia alij Thomistæ docēt.

12 Per quæ replicæ euanescent; secunda quidem, quia conuincitur minus diligenter Authores legisse, qui nullum inuenit: cū tamen quatuor adduxerim, & alios possem referre. Prior verò, quia ex ipso essentialiter diuerso modo causalitatis habetur incōueniens cessare, & non sequi quod idem secundum idē causet seipsū. Et nobis sufficit, quod doctrina habeat verū in causis materiali, & finali. Quāuis etiā in causis formalibus causa intrinseca possit esse effectus formæ extrinsecæ, & se ad inuicem causare: vt Charitas est forma extrinseca aliarū virtutū, quæ quodāmodo sūt materia, & forma circa quā ipsa versatur: & in sentētia aliquorū, ad inuicē imperantur. Et quidquid sit de hoc; si liceret ad Theologica digredi, ipse Christ⁹ est causa efficiēs vt instrumētū cōiūctū cōuersionis panis in corpus Christi, & est effectus, eiusdēq; trāsstantiationis terminus: ergo in eodē genere efficiētis, causæ ad inuicē sunt causæ. Sed de exēplis, Theologis disputādū relinquamus (sicut gratia causat cōtentionē, & hæc etiā causat gratiā); omnia enim hæc cōtēdūt, vt pateat: hoc non esse nouū inuentū, sed satis peruium, & receptū assertum.

13 Alterum conclusionis fundamentum indicat S. Thom. illis verbis: *Sed materia appropriatur ad formam ignis per aduentum caloris.* Et formatur sic. Vltima dispositio verè determinat materiam vt recipiat hanc formam, cuius ipsa est dispositio: ergo verè præparat ad hanc formam recipiendam. Et alias ipsæ dispositiones emanant, vt à forma substantiali dimanant alia accidètia, ab ipsa forma ad quam disponunt: ergo sūt priores in genere causæ dispositiuae, & posteriores in genere causæ formalis, & effectiuae. Cætera patent: & primum antecedens probatur primo: forma substantialis, & qualitates eius accidentales sunt terminus extrinsecus actionum præcedentium: cum hoc ordine, quod substantia correspondet substantiæ, & qualitas qualitati, vt sit proportio inter causam, & effectum, agēs, & passivus: ergo substantia causatur propter connexionem huius actionis cum suo termino; & accidens hoc consequitur, quia similis dispositio præcessit. Sed hæc habet connexionem cum forma à qua dimanat: ergo via causalitatis dispositiuae, ideò hæc forma introducit, quia hæc dispositio præcessit.

14 Secundo probatur illud antecedens, forma naturaliter loquendo nō inducitur nisi in materia disposita: sed in instanti generationis intrinseco non sunt præuiæ dispositiones, quæ erant in corrupto: ergo intelliguntur præuiæ dispositiones, quæ manent in genito. Hæc est ratio S. Thom. quoad hanc vltimam probationem, in omnibus locis re-

latis, & quoad priorem videndus omnino S. Tho. q. vnica de Anima art. 12.

§. III.

Soluuntur argumenta.

15 **O**bjicies: forma substantialis vnitur materiæ absque omni medio, vt ait S. Tho. 2. Contrag. c. 71. alioquin non vnitur vt actus, & potentia substantialis, nec ex eis fit vnum ens perse: ergo non mediat inter materiam, & formam aliqua dispositio accidentalis. Patet consequentia, quia contradictoriè opponitur vniri absque medio, & vniri media aliqua forma accidentali.

Dices, nō mediare dispositiones in instanti reali in quo sūt prius, quæ forma; bene ramen in instanti rationis, & prioritate à quo. ¶ Sed cōtra: eo modo dispositiones præcedunt quo causant: sed causant realiter (alioquin erit solum conficta causalitas, & præcedentia:) ergo realiter præcedunt. ¶ Secundo, aut causant quando nō sunt: & hoc perse patet impossibile; præcipuè in formis, quæ non præcesserunt: ergo causant quando sunt. Sed sūt in ipsa forma, quæ antequam intelligatur ipsa causare, est in materia: ergo impossibile est, quod dispositiones præparent materiam pro susceptione formæ; & quod dimanet ab ipsa forma, quæ præintelligitur in materia.

16 Ad has replicas reducuntur multæ, quæ coarctantur: quæ vt diluantur, notandū ex dictis 2. Phisicorum

ficorum q. 20. quod causa naturaliter est prior suo effectu, non quidem semper prioritatem temporis, sed prioritatem naturæ; seu non prioritatem instantis *in quo* vnum sit sine alio, sed *quia* in eodem instanti vnum est ab alio.

17 Quod optime declarat M. Bañez hic cap. 4. q. 10. art. 2. ad 5. asserens illas prioritates esse reales, quia verè causant seclusa operatione intellectus; non tamen sunt instantia *in quibus*, sed *quia*, vel *à quo*. Vnde verum est, quod dispositiones sunt priores forma in genere causæ materialis: nam quia accidentia disponunt, & necessitant, forma introducit: non tamen infertur, quod in aliquo priori sint dispositiones sine forma. Nam instantia diuersa, non succedunt, nec sunt distincta in re, sed solum inadæquatè à nobis iuxta modos causandi diuersos diuersa instantia rationis assignantur: vnde non sunt instantia essendi, sed intelligendi: quia *omne prius potest intelligi sine suo posteriori, eo modo quo est prius*. Illud autem, quod in genere causæ formalis, & efficiētis est prius, absolutè est prius; quod verò est prius solum in genere causæ materialis, vel dispositiua, est prius secundum quid.

18 Ad formam argumenti concedo antecedens, & distinguo consequens; & concedo de dispositione quæ per prius vniatur materiæ, quæ forma accidentalis: nego verò de dispositione, quæ secundum quid intelligatur pro tunc præcedere, vt materia aptetur ad immediatè recipiendā formam substantialem.

Sed dices, forma est in illo subiecto, quod per illam disponitur: ergo si materia disponitur ad receptionem formæ substantialis per formas, & qualitates accidentales, iste immediatè erūt in materia prima: quod sæpè diximus esse falsum.

19 Respondetur negando maiorem: nam vt ait S. Thom. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3. nō oportet in eodem esse dispositionem, & perfectionem in rebus ad inuicem ordinatis, quia dispositio facta in priori ordinat ad perfectionem factam in posteriori: sicut motus imaginationis est dispositio ad perfectionem intellectus: & similiter motus in intellectu factus, potest esse dispositio ad motum affectus. Pariter dispositiones, quæ sunt in toto composito, disponunt materiam, præcedentes quidem determinando extrinsecè; committantes vero propter connexionem, quam habent ordine fiendi cum præcedentibus, & ordine essendi, cum forma, à qua dimanant.

20 Ad primam replicam concedo maiorem, & minorem; & distinguo consequens: ergo præcedunt pro illo priori intelligēdi, cōcedo: in illo priori essendi, nego. Ad secundam dicitur, quod causant quando sunt: sed in vno instanti sunt omnes causæ, & propriæ causalitates non sunt confundendæ, & prout inadæquate concipiuntur præscindendo proprium vnius causæ, vt condistinguitur ab alia, non intelligitur pro tunc, quod sibi conuenit ex vi alterius causalitatis: & ideo prout præparantes non intelliguntur

tur eſſentialiter dimanātes, vel inhærentes; licet in re, & cōmitanter nō poſſit dari præparatio ſine inhærentia, & informatione. Videātur, quæ in ſimili dicta ſunt lib. 1. Phyſ. q. 7. ad 4.

21. Alia totius difficultatis ſolutio traditur à D. Thoma quæſt. de Anima ar. 9. ad 5. & 1. p. q. 76. ar. 6. ad 1. quæ explicatur acutè à Caietano ibidem; & diligenter, & ſubtiliter fuſſè proſequuntur PP. Carm. dicta diſp. 2. q. 8. §. 5. omnino vidēdi. ¶ Argumenta alia, vel impugnant mutuam prioritatem cauſarum; vel quod accidentia ſubiectè tur in materia prima probare contendunt; & ideò omittenda nunc, quia non ſunt huius quæſtionis propria, ſuppoſitis principijs alibi ſtabilitis.

QVAESTIO X.

De corruptione ſubſtantiāli quid ſit?

DARI corruptionem ſubſtantiālem euidenti experientia eſt compertum; & eiſdem argumentis, quibus probatur dari generationem: nam cum ex natura rei materia ſublunaris ſit capax omniū formarum, & duas ſimul nō poſſit habere, neceſſe eſt quod vna adueniente alia recedat: & ideò vnius generationem committeretur alterius corruptio: & per continuas generationes, & corruptiones perpetuè conſeruatur eſſe materiæ primæ, vt dicunt Phyloſophus 1. de Gener. lect. 10. lit. f.

§. I.

Definitio corruptionis.

Definitur autem à Phyloſopho 5. Phyſic. & à D. Tho. ibi lect.

2. lit. e. *Corruptio eſt mutatio, quæ eſt ex ſubiecto in non ſubiectum: quia omnes nomine corruptionis concipiunt ſignificari mutationem contradiſtoriè oppoſitam generationi: ſed hæc eſt mutatio de nō ſubiecto in ſubiectum, ſeu de non eſſe in eſſe: vt enim notat S. Thomas lit. a. in fine, non accipitur hic ſubiectum, eo modo quo ſuſtinet formam: ſed omne id quod affirmatiuè ſignificatur, dicitur ſubiectum: iuxta Phyloſ. 11. Metaph. c. 10. ergo corruptio erit mutatio de eſſe, in non eſſe.*

3. Sicut autem generatio eſt duplex; quædam ſimpliciter; quædam ſecundum quid, vt expoſuimus q. 2. n. 2. & 3. & q. 4. n. 8. ita inquit S. Tho. quod *quædam eſt corruptio ſimpliciter, quæ ſcilicet eſt ex eſſe ſubſtantiāli in non eſſe; quædam vero eſt in oppoſitam negationem cuiuſcumque affirmationis; ſicut de albo in non album, quæ eſt corruptio huiusmodi, ſicut de generatione dictum eſt: nec ex ibi dictis ſpeciali indiget diſcuſſione.*

4. Solum aduerte, quod quidam, quibus familiare eſt definitiones pro libito conſingere, vt vident expedit ad proprias opiniones ſtabiliendas, antiquis definitionibus poſſe habitis, definiunt corruptionē dicendo, quod corruptio eſt *deſtitio rei in aliam*; in priori particula conuenit cum annihilatione, & ambæ requi-

requirunt suspensionē actionis immediate præcedentis. *Ly in aliam differentiæ vices gerit, & denotat, quod maneat subiectum, vel accidentia, aut aliquid aliud, quod loco illius producat. Ita Arriaga disp. 1. sec. 7. & alij Recentiores.*

5 Hæc definitio, qua facilitate de nouo adducitur, contemnitur: nam definitiones debent esse communes sapientum conceptiones. Deinde conuenit alijs à definito; nam materia prima, sicut est ingenerabilis, ita est incorruptibilis: & tamen definire potest Deo suspendente concursum, & manentibus accidentibus. Rursus, cum in mysterio Eucharistiæ per consecrationem *in carnem transi panis, & vinum in sanguinem; non est corruptio; sed transubstantiatio, vt Concilia loquuntur: & tamen est definitio rei in aliâ: ergo hæc non est definitio corruptionis. Nec plus valet aliorum definitio, qui dicunt corruptionem esse definitionem entis dependentis à subiecto: quia etiam est noua, & conuenit annihilationi formæ materialis.*

6 In definitione autem Philosophi in ipsa ratione communi mutationis, vel transitus, de quo ipse loquitur, supponitur, quod maneat idem subiectum: nam vt dicit S. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. *De ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius.* Vnde in generatione substantiali, & corruptione manet materia sub vtroque; termino opposito; & in corruptione accidentali manet idem subiectum, quod est compositum: & ideo corrup-

tio non est annihilatio, à qua etiã differt ex parte termini ad quem: sicut enim creatio dicit productionem prunam, & vniuersalem emanationem totius esse; ita & annihilatio creationi opposita, dicit definitionem in omnino nihil, vt docet S. Th. 3. p. q. 75. art. 3. & 1. p. q. 104. art. 3. & 4. vbi ad 3. aduertit, quod cum formæ, & accidentia definiunt esse, non annihilantur; non quia aliqua pars eorum remaneat; sed quia remanent in potentia materiæ, vel subiecti.

7 Obijcies, quod non est ens reale, non potest esse realis mutatio; cum non ens non possit esse hoc ens, quod est mutatio; & cui repugnat ratio communis, non potest conuenire ratio particularis. Sed corruptio est non ens; quia terminus eius ad quem tendit est non ens, & motus, & mutatio reducitur ad genus sui termini: ergo corruptio non est mutatio.

Respondet M. Bañez lib. 1. c. 3. ad 1. §. *His tamē, pag. mihi 40. quod corruptio, sicut quælibet alia mutatio, identificatur cum suo termino ad quem, scilicet, non esse formæ, quæ corrumpitur; quia hoc est commune omnibus moribus, quod identificentur cum suis terminis ad quos. Sicut ergo quælibet priuatio dicitur esse, non quia ponit, sed quia tollit, ita corruptio est, quia non est forma, quæ expellitur.*

8 Cæterum lib. 3. Phys. q. 2. §. 3. iam ostendimus motum distingui ante operationem intellectus à termino: licet dixerimus distinctionem illam esse modalem, & non entitativam:

tiuam: & hoc fortè solū vult hæc solutio. Secundo, non esse formæ etiam est post corruptionem; in illo autem instanti, quo verificatur, nunc est corruptio, si est realis mutatio, aliquid reale debet dari in quo fundetur ratio.

Denique, terminus ad quem corruptionis est nil, seu non esse; cum non esse autem non potest aliquid reale idètificari: ergo iam habetur, quod corruptio non est aliquid reale: ergo non est mutatio realis.

9 Dices, corruptionem esse quid reale priuatiuum, seu negatiuum; non quid reale positiuum. ¶ Sed contra, priuatio vitæ non est vita, nec priuatio boni est bonum, sed eius absentia: ergo priuatio entis est non ens: ergo implicat in terminis, quod sit ens reale, & sit ens priuatiuum.

10 Respondetur, quod sicut de priuatione diximus 1. Physic. q. 13. quod remotiuè formaliter est in rebus; per modum autem entis solū est per rationem: & quod distinguitur à materia prima, sicut non ens ab ente: ita pariter dicimus nunc de corruptione, quæ significatur vt via ad priuationem; quamuis in his instantaneis simul sit fieri, & factum esse: nam dicitur esse in reb⁹, quia realiter remouet esse formæ, quæ desinit; & prout hæc remotio significatur in fieri in exercitio dicitur corruptio. Et hoc solum intèdit M. Bañez, vnde & citat Caietanum, quem pro nobis retulimus loco citato.



s. II.

An corruptio sit actio distincta à generatione?

11 Sed circa dicta insurgit dubiū, **S**an corruptio sit actio: an verò carentia actionis? Esse carentiam actionis tenent, qui definiunt corruptionem per desitionem. Et insuper P. Suarez disp. 18. Metaph. sec. 11. & tenent PP. Carn. disp. 3. q. 1. n. 4. quia omnis vera actio transiens est vera efficiens, & productio: ergo est fieri alicuius facti esse: ergo corruptio non est actio. Deinde, nam sic se habet corruptio formæ, ac se haberet eius annihilatio: sed si desisteret per annihilationem, desineret Deo suspendente concursum: ergo corruptio non est actio; sed suspensio actionis.

12 Oppositum apertè indicat Caietan. 1. 2. q. 113. art. 6. ad 2. ita asserens: si namque est sermo de actione generatiua, & corruptiua sic dicendum est, quod est eadem secundum substantiam, & distinguitur secundum terminos: eadem namque actio est, qua calidum generat calorem, & corrumpit frigus, scilicet, calefactio, quæ in quantum terminatur ad expulsionem frigoris, dicitur corruptio actiuè, & in quantum terminatur ad calorem, dicitur generatio actiuè. Hæc ille. Idem docet Bañez hic cap. 3. q. 4. concl. 1. pag. mihi 50.

13 Hæc duo concordat M. Ioan. à S. Tho. hic q. 2. a. 2. diffi. 1. dicēs, quod corruptio non est formaliter actio, etiam mediata, sicut mediata ad actionem generantis consequuntur.

quantur passiones; nam nō esse nō indiget actione, etiam mediata. Est tamen actio virtualiter: nam qui facit aliquid incompossibile cū alio, dicitur effectiue virtualiter illud corrumpere: nam corruptio non est per meram suspensionem cōcurfus; sed ex impossibilitate orta ex eo quod forma terminans efficientiam, est impossibilis cum alia: & sic saluatur, quod actio est vna, & termini sunt duo, scilicet, esse vnius, & non esse alterius. Et hoc indicat S. Tho. 1. 2. q. 113. art. 6. ad 2. Et in 2. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 5. Et subtiliter tradiderat Soncinas lib. 8. Metaph. q. 15. art. 2. ad 1. declarans, quod non omne, quod corrumpitur consecutiue, corrumpitur per accidens: nam agens perse corrumpit formam, quę est ei incōpossibilis: nempē, perse secundo, & virtualiter. Quare ita oportet tenere, nisi de vocibus contendatur. Et sic clarius apparet differentia annihilationis, quę est mera suspēso concursus diuini, à corruptione, quę non inducitur ab agente naturali non operāte; sed potius efficiēte aliquid incompossibile cū alio: & sic rationes contrarię pro nobis sunt.

14. Secūdo dubitatur, an corruptio sit actio distincta à generatione? ¶ Respondetur, actionem esse vnam simplicē includentem duas mutationes, quarum vna est positua, altera priuatiua. Ita S. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 6. ad 2. & q. 28. de Ver. ar. 1. & Thomistę omnes. Insuper Suarez disp. 18. Metaph. sec. 1. n. 8. & Marfil. quęst. 5. de Generat. & pas-

sim alij. Et quod actio sit vna, constat ex dictis: quia ipsa positio formę, includentis alterius priuationem, est sufficiens vt generetur vnum, & corrumpatur aliud: ergo frustra ponerentur plures actiones. Imō licet in agētibz liberis voluntas destruendi possit esse positua; ipsa tamē destructio physica nō potest in exercitio esse actio formaliter priuatiua ad non esse terminata: & ideo, vel est mera suspēso cōcurfus, vt in annihilatione: vel est solumperse secūdo, & virtualiter terminus alterius actionis: & ideo corruptio non est noua actio distincta ab alterius generatione.

15. Quod autē sit noua mutatio, patet, quia sūt termini à quo, & ad quem omnino distincti: nam generatio est ab esse ad non esse; at vero corruptio est ab esse ad non esse: cū autē mutatio sit trāsitus à quoddā in quiddā, nō possūt nō differre trāsitus positius acq̄sitius, à trāsitu priuatiuo, seu deperditiuo.

16. Contra hoc tamē opponi possunt duo argumenta, quę in simili obijcit Scotus in 4. dist. 16. q. 2. in princ. Primo sic: idē simpliciter nō potest plurificari, & nō plurificari; alioquin idē, vt est idē, esset vnū, & nō vnum. Sed generatio vt actio, & vt mot⁹, seu mutatio sūt idē: ergo si est vna actio generatio, & corruptio, etiam erit vna mutatio.

Secundo: idem non separatur ab eodem; accipiēdo vniiformiter identitatem, & separationem; si realiter, realiter; & si ratione, ratione: alioquin idem, vt est idem, simuletur, & non erit; contra illud:

quodlibet est, vel nō est. Sed generatio, & corruptio possunt separari; vt in casu, quod forma vna inducatur, & alia non expellatur; sicut generatio lucis non est corruptio alterius formæ, sed sola expulsio tenebrarum, quæ nil sunt; & idem contingeret si diuinitus duæ formæ essent simul, quia generaretur vna sine alterius corruptione: ergo falsum est, quod generatio, & corruptio sint eadem actio.

17 Respondet facillè Caiet. 1. 2. q. 113. art. 6. in fine, quod idem in quantum idem, inconuenit multiplicari, & non multiplicari; sed in quantum aliquo modo differēs est à seipso, potest multiplicari, & non multiplicari. Similiter, quod est idem realiter, & conuertibiliter, impossibile est separari à seipso: sed quæ sunt idem realiter, & non conuertibiliter, possunt separari ex parte, qua non est conuertibilitas; vt patet de animali, & homine; de albedine, & albedine intensa: & sic est in proposito, quia dicimus generationem, & corruptionem esse vnam actionem, & hæc non plurificatur; nec separatur. Et rursum dicimus esse duas mutationes vnam positiuam, & aliam priuatiuam: & has fatemur multiplicari, & posse separari.

18 Ex quo perspicies quantum exarserit Cabero tract. 1. disput. 2. dub. 2. dicens oppositam sententiã esse luce meridiani clariorem; cum ita men in tanta luce ipse terminos ipsos quæstionis non viderit, & itotã cõfunderit, distinctionem prædictã non attendens: & ideò ipsius argu-

menta, nec apparentem continent difficultatē: nam probant id, quod nullus negat, quod generatio, & corruptio sint duæ mutationes. Et videtur, vel nobiscum in re tandē consentire; vel sibi contradicere: nam dubio primo inquit: *Rogabis primo, an corruptio sit vera actio, & respondetur negatiuè.* Et dub. 2. docet, quod generatio, & corruptio duæ sunt actiones. Nam si corruptio non est actio; quomodo ipsa, & generatio duæ sunt actiones? Cum negatio actionis non sit actio, nisi impropiè: quod non negamus.

19 Melius obieciēs: nam actio, in nostra sententia, explicata lib. 3. Phys. q. 3. non differt realiter à passione, & motu: ergo si actio est vna, & motus debet esse vnus: ergo nō dicitur nisi vna mutatio, si non est nisi vna actio generatio, & corruptio.

Respondetur in primis nos dixisse actionem passionem, & motum identificari quoad id, quod important in recto: non tamen quoad connotata in obliquo: vnde non sunt idem conuertibiliter: vnde negamus, quod actio sit passio in sensu formali. Et vna actio potest vnũ facere primario, & aliud secundario. ¶ Deinde, in motu propriè sũp to sunt duæ mutationes, ex quibus quasi partialiter integratur, sed motus est vnus: & ita sicut est vna actio, ita vnus motus; quod nos non negamus, sed solũ asserimus, quod mutationes sunt duæ. Quod optimè explicuit S. Tho. q. 28. de Veritate art. 1. ita dicens: generatio est mutatio de non subiecto in subiectum

atum: corruptio verò est mutatio de subiecto in non subiectum; & idè in abiectioe vnus affirmati, & adeptioe alteri⁹, oportet duas mutationes intelligere, quarum vna sit generatio, & alia corruptio, vel simpliciter, vel secūdum quid. Sic ergo, si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideretur ipse motus, idem motus figuratur per ablationem vnus, & introductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diuersa, tamè se inuicem committantes; quia generatio vnus non est sine corruptione alterius.

21 Instabis: cum aer illuminatur, est tantum vnica mutatio; quia tenebræ nihil sunt; & idè nulla forma corrumpitur, cum lux generatur: & tamen sunt quatuor termini inter se oppositi: ergo ex diuersitate terminorum non rectè inferitur diuersitas mutationum: ergo si actio trāsiens, & motus fuerit vn⁹, etiam mutatio erit vna: ac perconsequens corruptio erit eadem mutatio, ac generatio. Probat minor, quia non esse lucis, & esse illi⁹ sunt termini oppositi contradictoriè in generatione lucis; & esse tenebrarum, & non esse illarum, cum tenebræ expelluntur, etiam opponuntur contradictoriè.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguo minorem; sunt quatuor ex modo significandi; concedo minorem; quatuor ex parte rei; nego minorem; quia cum priuatio sit nil, eius negatio non est realis. Solutio est Sancti Thomæ quæst. 28. de Veritate artic. 6. vbi

post alia concludit: quædam verò opposita sunt, quorum alterum tantum est natura quædam; reliquum verò non est nisi remotio, vel negatio ipsius: sicut patet in oppositis secundum affirmationem, vel negationem, vel secundum priuationem, & habitum; & in talibus negatio oppositi, quod ponit naturam aliquam, est realis, quia est alicuius rei; negatio verò alterius oppositi non est realis: *Et idè hæc negatio negationis nihil differt secundum rem à positione alterius.* Videantur Cōradus 1.2. quæst. 113. art. 6. ad secundum, & Bañez hic cap. 3. quæst. 4. concl. 4. pag. 51. & cap. 4. quæst. 7. pag. 98. & quæ in simili diximus 1. p. Metaph. Controu. 9. num. 42. & 53.

QVAESTIO XI.

De comparatione corruptionis ad generationem.

TRia per ordinem in hac comparatione sunt disputanda. Primo de sensu illi⁹ axiomatis Philosophi hic textu 17. & 3. Physicorum textu 73. *Generatio vnus est alterius corruptio.* Secundo, vtrum aliqua illarum sit altera prior? videbitur. Tertio exponetur, an ita sit naturalis corruptio, sicut generatio?



s. I.

Qualiter generatio vnius sit corruptio alterius?

Circa primum, omisis opinionibus Nominalium impugnatis à M. Bañez q. 4. & à Toletò q. 3. quia parum habent verisimilitudinis.

2 Dico primo: si loquamur de istis in ratione actionis, & motus, tunc identicè generatio vnius est corruptio alterius. Ita S. Thomas, Caietanus, Soncinas, & Bañez, & Ioan. à S. Thoma relati quæst. 10. n. 12. Et iterum ipse M. Ioan. à S. Thoma quæst. 2. art. 2. difficult. 2. ex D. Thoma quæst. 28. de Verit. artic. 6. ad vltimum, dicente: quod generatio vnius dicitur à Philosopho corruptio alterius per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul; vel propter unitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur. Et ratio est assignata: quia vna actio positiva est generatiua vnius, & virtualiter alterius destructiua, vel ex consequenti, vt latè Suarez illa disp. 18. Metaph. sect. 11. & Authores communiter.

3 Dico secundo, loquendo de generatione, & corruptione in ratione mutationis, generatio vnius non est formaliter alterius corruptio: quamuis connaturaliter se inuicem committentur. Ita Authores pro priori conclusione relati. Et Capreolus in secundo dist. 13. art. 2. ad primum Greg. contra 2. & alij Thomistæ, quos citat, & sequitur PP. Carmel. Toletus, & Conimbric. & Fonseca; & esse Phyloso-

phorum communem, testatur Rubio tractatu 2. quæst. 3. Est D. Thoma quæst. 28. de Veritate art. 1. & 6. & in secundo dist. 34. art. 2. ad 3. & indicat 1. 2. quæst. 113. art. 6. ad secundum. Et patet ex dictis, quia sunt duæ mutationes habentes terminos ad quos realiter diuersos: ergo nõ possunt formaliter ad inuicem prædicari.

4 Hæc cum certa sint, & ipsis tyronibus peruia. M. Cabero tract. 1. disput. 2. dub. 3. quærens nodum in scirpo; & fingens hostem, quem inferiat, hæc scribere non est veritus: hic modus loquendi Ioannis à Sancto Thoma aduerfatur Thomistarum Scholæ, vt vel hinc colligas licere cuilibet Ordinis Dominici Magistro Thomistis aduerfari, nec ob id à Thomistarum Schola fore relegandum. Vt autem in præsentiarum Thomistis cõtradicare cognoscas audi PP. Carmelit. & c. Ita ille.

5 In quibus elige quid magis mirere; vel licentiam quam sibi assumit nostra calumniandi; vel negligentiam, quam incurrit in Authoribus ipsis, quos citat, euoluendis: nõ PP. Carmelitani in ipsius, ab ipso relata, quæstionis limine, ita scribunt: *Titulus non intelligitur de generatione, & corruptione vt actio, quia vt ex dictis quæst. 1. constat, generatio, & corruptio in ratione actionis non distinguuntur, quando quidem eademmet actione, per quam introducitur vna forma, expellitur alia.* Hæc illi. Eadem Sapientissimus, & Reuerendissimus M. Ioannes à Sancto Thoma. Nec Thomistarum vltus in hoc puncto dissentit. Oportet ergo, quod qui legit, intelligat; & argu-

argumentis, non dicitur in Scholis esse dimicandum. Hoc semel notasse sufficiat: deinceps, nec referre, nec refellere talia curabo: nam notum est, quod in quæstionibus à Sancto Thoma non determinatis; licet cuilibet Thomistarum sic, vel aliter opinari. Et sæpe sicut de rebus ipsis, ita de mente S. Thomæ est opinionum discordia: homines enim sumus, quibus non datur de omnibus euidentiã habere: & ita permittitur vnicuique in suo sè su abũdare. Eos autem, qui passim Angelicis contradicunt assertis, nõ mirum ab Angeli Doctoris Schola iudicemus extorres.

6 Illud tandem aduertendũ cum Bañez conc. 7. & Toletus concl. 2. quod loquendo de termino formali, corruptionem vnus semper sequitur generatio alterius: alioquin maneret materia sine forma: vel materia naturaliter desineret esse: quod est impossibile. Non tamen semper è contra; quoties generatur vna forma, destruitur alia; nam cum generatur humanum cadauer, corrumpitur quidem totum compositum, & dissoluitur vnio: forma tamen manet separata, cum anima sit immortalis. Quod agnouit Aristoteles 12. Metaphisicæ textu 17. dicens: *Si autem posterius aliquid manet, perscrutandum est: in quibusdam enim nihil prohibet; vt si est animalis: non omnis; sed intellectus.* Vbi videndus Sanctus Thomas lect. 3. litt. f. dicens: considerandum autem hanc sententiam esse Aristotelis de Anima intellectiua, quod nõ fuerit ante corpus, vt Plato posuit;

neque etiã destruitur destructo corpore, vt Antiqui Naturales posuerunt, non distinguentes inter intellectum, & sensum.

7 Obijcies primo, nam si à fonte aqua hauriatur, generatur nouum suppositum aquæ, quod antea non erat nisi in potentia: & tamen nihil substantiale corrumpitur: ergo generatione vnus non semper comitatur alterius corruptio.

Respondet Bañez ad 2. quod illa potius est totius homogenei diuisio, quam vera generatio. Videantur quæ dicta sunt 6. Phys. q. 6.

8 Secundo obijcies: si semper vnus corruptionem comitaretur alteri generatio, sequeretur, quod semper mundus haberet eundem numerum indiuiduorum, quia vno corrupto, aliud succederet: hoc autem videtur manifestæ experiẽtiæ refragari: ergo etiam comitanter corruptionem vnus non comitatur alterius generatio.

Respondet Toletus ad 4. quod nõ semper est idem numerus indiuiduorum, quia accidit materias multorum effici vnã, & vnã effici multorum per diuisionem; vt cum ex vno homine multi vermes fiunt, quia ipsius materia in multas diuiditur partes, quæ possint diuersas recipere formas: & è cõtra multa in vnum coniunguntur; multis enim nutritur homo, quæ in se conuertit. Numerus ergo non semper est æqualis. Hoc tamen verum est, quod tanta est materia omni tempore, quæ modo in plures, modo in pauciores diuisa partes, indiuiduorum auget, aut minuit numerũ,

Hæc tamē intelligēda iuxta ea quæ de vnitāte numerica materiæ primæ diximus libro primo Physico. rum quæst. 10. §. 3.

§. II.

An generatio, & corruptio habeant mutuum ordinem prioris, & posterioris?

9 **M**ulti Recentiores negant: sed non vno ducuntur fundamento. Quidam inuituntur in eo, quod corruptio nullo modo videtur prior generatione, sed omnino posterior: quia vna forma expellit aliam ratione impossibilitatis, quam habet cum illa; & ideo vna expellitur, quia alia introducit: ergo in nullo genere causæ corruptio præcedit, sed omnino subsequitur generationē. Secundo, quia non esse formæ præexistentis est effectus secundarius formæ introductæ: effectus autem secundarius nequit esse prior suæ causæ formali, cum effectus secundarius subsequatur primariū: ergo nullatenus corruptio præcedit generationem. Ita indicat Suarez disp. 27. Metaph. sec. 11. n. 21. & tenent Hurtado disp. 1. de Gener. sec. 9. Arriaga disp. 8. Physic. sect. 4. subsec. 1. & 2. vbi concl. 4. ait, quod causalitas, qua forma expellit sibi contrariam, non est ipsa forma expulsa, nec expellens; quia diuinitus possunt esse simul: causalitas autem, nec de potentia absoluta potest esse sine effectu. Est ergo ea causalitas expulsionis antiquæ, actus voluntatis diuinæ,

quo, attendendo ad contrarietatem nouæ cum præcedente, & vna existentia nouæ, vult cessare à conseruatione antiquæ. Et hic actus voluntatis diuinæ nequit esse sine expulsionē, quæ est effectus illius, & sine introductione formæ nouæ, quæ est causa. Subscribunt alij Recentiores, dicentes, quod non est alius modus, quo vna forma aliam expellat, nisi moraliter exigendo à Deo, vt concursus suspendat, quo formam antiquam conseruabat.

10 Per oppositum alij arbitrantur corruptionem substantialem esse se priorem natura generatione substantiali, & nullo pacto in re posteriore. Ita Paulus Aresius lib. 1. de Generat. quæst. 22. & Cabero tract. 1. disput. 2. dub. 4. quia forma substantialis non perit immediatè per introductionem formæ oppositæ; sed per ablationem dispositionum, quibus conseruabatur. Dispositiones autem prius auferuntur, quam opposita introducatur: ergo prius vna forma substantialis corrumpitur, quam alia generetur. Et addunt non esse eandem rationem de formis accidentibus, quia non petunt dispositiones contrarias præparantes subiectum, vt introducantur. Deinde, quia vt dicit Arriaga disp. 3. Physic. sec. 6. subsec. 6. nõ repugnat simul esse in materia de lege ordinaria duas formas substantiales nõ exigentes contrarias dispositiones: ergo formæ substantiales solummodo se expellunt per contrarias dispositiones.

11 Dicendum tamen est: in genere causæ materialis priorē esse corruptio-

ruptionem, quam generationē; in genere verò causæ finalis, efficiētis, & formalis, priorem esse generationē: & ideò simpliciter, & absolute generatio dicitur prior. Ita S. Th. q. 28. de Ver. ar. 7. & in 4. dist. 17. q. 1. ar. 4. q. 3. & 1. 2. q. 113. ar. 8. ad 1. vbi ait: *Ex parte Solis, prius est illuminare, quam tenebras remouere; ex parte autem aeris, prius est purgari à tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ: licet vtrumque sit simul tempore.* Sequuntur cōmuniter Thomistæ ibi. Imo M. Bañez hic c. 4. q. 7. post 2. concl. asserit, oppositum esse errorē in *Phylosophia*. Et P. Rub. trac. 2. q. 5. dicit, nostram sententiam esse fere communem in *Schola*, & veram. Et vt cōmunem *Phylosophorū* tradit P. Vazq. 1. 2. disp. 211. c. 2. & 4.

12 Facileque probatur ex dictis q. 9. de mutua prioritate, & posterioritate dispositionū, & formæ: nā vna ex dispositionibus materiæ, est quod auferantur formæ substantiales, & accidentales incōpossibiles cū forma generanda: nam vt ait S. Tho. illo art. 7. *Denudatio materiæ à forma contraria, est quadam dispositio ad formam susceptionem.* Pariterque colligitur ex dictis 2. *Phys.* q. 24. de mutua dependentia causarum. Et ideò amplius probare nō est necesse.

13 Quæ in contrarium obijciuntur, in æquiūoco laborant ex non penetrata differentia prioritatis in quo vnū sit sine alio; & prioritatis à quo; ratione cuius, quæ sunt simul, vnū potest pendere ab alio. Et quia non discernitur propria causalitas vniuscuiusq; causæ. Et ideò, vt ait Rubio, neganda est consequentia,

quia de vno genere causa trāsīt ad aliud. Quam solutionē, quia Nouiores, rationibus solidis nō valēt impugnare, cōiitijs futilibus nō cessāt impetere: de quibus nil curamus.

14 Specialiter in forma ad primū, concessio antecedenti, negatur cōsequentia: nam ex illo antecedenti infertur quidem simpliciter præcedere generationē; nō tamē deducitur, quod secūdū quid, & in genere determinato causæ materialis dispositiue, nō præcedat ablatio impedimēti, seu purgatio materiæ, vt idonea sit ad susceptionē formæ.

15 Pariter ad secūdū cōcedo maiore; & distinguo minore, effectus secūdarius nequit esse prior primario in genere causæ formalis, cōcedo; in genere causæ materialis præparatiuæ materiæ, nego minore: & distinguo cōsequens, corruptio nō potest esse prior, inter ea, quæ se tenēt ex parte agentis, cōcedo; inter ea, quæ se tenēt ex parte passi, seu materiæ, quoad remotionē impedimentorū nego: si enim aer nō prius naturæ ordine purgaretur à tenebris, nō cōsequeretur lumen: quod est exemplum: S. Thomæ.

16 Id autē, quod Arriaga, & alij docent, quod causalitas expulsiva formæ physicæ, est actus diuinæ voluntatis, incredibile mihi videtur, & totā *Physicā* subuertēs. Primo, quia ipsi nō negabūt, vltra causā primā, causas secūdas verē, & proprie efficere: nā id esse de fide, & lumine naturæ euidentissimū, ostendimus 2. p. Met. Contr. 9. art. 1. vbi adduxim⁹ S. Tho. in 2. dist. 1. q. 1. art. 4. dicētē, quod opposita positio stulta est, quia

ordinem tollit uniuersis; & propriam operationem à rebus; & destruit iudiciū sensus. Sed eadem inconuenientia sequuntur ex positione (quam nunc impugnamus) quia si expulsio est à causa prima sola, frustra essent operationes, & virtutes naturales, & aqua non extingueret ignem; sed Deus ad eius præsentiam: ergo, &c.

17 Secūdo, qui physicè ponit aliquid includens priuationem alterius, vere dicitur physicè illud corrumpere: sed causæ secundæ verè causant aliquid impossibile cū altero, vt videmus ad sensū, in frigore, & calore, & in alijs huiusmodi: ergo verè causant causæ secundæ corruptionem.

Tertio, effectus primari⁹ formæ non est ipse actus diuinæ voluntatis: ergo nec effectus secundarius: quamuis neuter possit fieri sine Dei voluntate: quia *sine ipso factum est nihil*; & quia Deus operatur omnia in omnibus.

18 Quarto, qui inducit formam oppositam cōtradictoriè priuationi, physicè dicitur priuationem remouere: vt Sol physicè remouet tenebras in genere causæ efficientis, & lux in genere causæ formalis: ergo qui physicè causat formam physicè impossibilem cum alia, physicè eam expellit. Consequentia patet ex Philosopho 10. Metaphis. & S. Tho. lec. 6. docentibus, quod contrarietatis principium est oppositio priuationis, & habit⁹, & ab ista prima contrarietate alia cōtraria deriuantur, in quantum contraria priuationem includunt.

19 Euasionem autem illam de causalitate morali, reiecim⁹ 1. Physic. q. 3. n. 33. quia incongruum est, vt voces vix receptæ à Theologis in causalitate Sacramentorum exponenda, velint in Physica ingerere ad causarum efficientiam physicam confundendam. Deinde, eodem genere influxus, qui membratim diuidit animal, causabit mortem, ac generās causat animam rationalem: quod est absurdum: cū cadauer educatur ex materia; & anima à solo Deo creetur. Demum eodem genere influxus causæ principalis, extinguet ignem, qui orat vt à Deo extingatur; ac qui aquā igni apponit: quod in pugnatione non eget. Sed in re perse nota probāda immorari nō expedit. Quod autem diuinitus effectus secundarij aliquando valeant impediri, nō tollit, quod ex natura rei causis proprijs non debeant attribui.

20 Ad argumentum secūdæ sententiæ respondetur, quod cū corruptio causetur ex cōsequenti, ad alterius generationem substantialem; sicut ad istam ex parte agentis concurrat primo, & radicaliter substantia; & proximè virtus accidentaliter operatiua; quibus ex parte termini correspondent proximè, accidentales dispositiones, & vltimatè ipsa forma substantialis, & substantia perse primo intenta. Ita causa prima, & principalis corruptionis substantialis est, qui inducit formam substantialem includentem priuationem substantialem alterius, & causa instrumentalis, & forma proxima sunt accidentales dispo-

dispositiones cum præcedentibus in-
compossibiles: & omnibus in suo
genere effectus debet attribui. Vn
de S. Tho. q. 28. de Veritate art. 8.
ad 7. ait, quod *per calorem in summo
expellitur forma aqua; & ita non sunt si-
mul.* Dixerat autem in corpore ar-
ticuli, quod *ex parte causa formalis
forma substantialis est prior; licet dis-
positiones in genere causæ mate-
rialis antecedant.* Et vniuersaliter
dixerat art. 7. quod *nihil prohibet ali-
quid altero esse prius, & posterius secun-
dum diuersum genus causæ. Sed tamen il-
lud est prius simpliciter dicendum ordi-
ne natura, quod est prius secundum gen-
us illius causæ, quæ est prior in rati-
one cau-
sali: quæ ad intentum ibi late
applicat; videatur 1. p. q. 5. ar. 4.*

§. III.

*An corruptio sit perse intenta à
natura?*

21 **C**irca tertium, quidam abso-
lutè negant corruptionem
perse intēdi à natura, aut ab aliqua
causa efficiēti. Quod tribuitur Hē-
rico in Summa ar. 4. 1. & tenent Cō-
imbr. c. 4. q. 16. art. 5. quia appetit⁹
naturæ est ad bonum: quia nemo res-
piciens ad malum operatur: corruptio
autem est ad malum, & ad non es-
se: ergo solum per accidens, & se-
cundario à natura intenditur. Et to-
tum hoc videtur docere S. Thom.
1. p. q. 19. art. 9. dicens: *Non enim a-
gens naturale intendit priuationem, sed
formam, cui coniungitur priuatio alteri⁹
forma.* Et rationem assignat ad 1.
quia *malum non ordinatur ad bonū per-*

se, sed per accidens.

22 Per oppositum Rubio hic tra-
ctatu 2. q. 2. absolutè docet corrup-
tionem esse de secundaria intentio-
ne naturæ. Et probatur primo: nam
vt docet S. Thom. 1. 2. q. 85. art. 6.
*Corruptiones, & defectus rerum sunt na-
turales; non quidem secundum inclinatio-
nem, quæ est principium essendi, & perfe-
ctionis, sed secundum inclinationem mate-
ria: eo quod est pura potentia ca-
pax formarum impossibilium,
& idē sicut perse primo inclina-
tur in formas, perse secundo incli-
natur in corruptionem eius, quam
habet. Sed cuiuslibet potentia passi-
uæ naturali correspondet agēs na-
turale proportionatum; ne illa po-
tentia sit frustra: ergo datur agēs,
quod perse secundo intendat cor-
ruptionem: & ita erit de secunda-
ria intentione naturæ.*

Secundo probatur; quia videtur
expressa S. Thom. qui in 4. dist. 36.
q. 1. art. 1. ad 2. ait: *Nihil prohibet esse
aliquid contra naturam quantum ad pri-
mam intentionem ipsius, quod non est con-
tra naturam, quantum ad secundam eius
intentionem: sicut omnis corruptio, & de-
fectus, & senium est contra naturam, vt
dicitur in secundo Cali. & Mundi, quia
natura intendit esse, & perfectionem; non
tamen est contra secundam intentionem na-
tura: quia ex quo natura nō potest conser-
uare esse in uno, conseruat in altero, quod
generatur corruptione alterius.*

23 Litem hanc faciliè componit
Ferrara tertio Contragēt. cap. 94.
Bañez hic cap. 3. quæst. 1. ante solu-
tionē argum. pag. mihi 38. & Tho-
mistæ communiter, quos citant, &
bene exponunt PP. Carmelitani

hic disp. 3. quæst. 3. asserentes corruptionem nullo modo intendi perse à natura particulari; bene tamen ab agente, seu natura vniuersali; non perse primo; sed perse secundo. Ita Sanctus Thomas prima parte quæst. 22. artic. 2. ad secundum, dicens: *Corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem: sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis, in quantum defectus vnius cedit in bonum alteri, vel etiam totius vniuersi: nam corruptio vni est generatio alterius, per quam species cõseruatur.*

24. Rationem vtriusque partis assignat Sanctus Thomas tertio Contragentes cap. 94. nam *particulare agens tendit ad bonum partis absolute, & facit eum quanto meliorem potest: vniuersale autem agens tendit ad bonum totius.* Sed ad bonum vniuersi conducunt corruptiones, vt sic reluceat eius diuersitas, & pulchritudo; ex bono quidem perse; ex malo autem per accidens: ergo corruptiones non sunt de intentione agentium particularium: sed bene de intentione agentis vniuersalis perse secundo: vnde Sanctus Thomas quæstione prima de Malo artic. 3. ad 18. ait: *Corruptio dicitur mutatio naturalis secundum naturam vniuersalem, quæ mouet ad generationem, vel corruptionem; ad generationem quidem propter se; ad corruptionem autem in quantum generatio sine corruptione esse non potest.* Per

quæ defacili argumenta vtriusque partis diluuntur: de quibus latius Authores re-

lati.

QVAESTIO XII.

*Vtrum in corruptione substantia-
li fiat resolutio vsque ad materiam primam?*

Iteri resolutionem vsque ad materiam primam, est nihil manere in genito eorum, quæ prius fuerant, nisi ipsam materiã. Ultra materiam autem solum sunt formæ substantiales, quantitas dimensiuæ, & alia accidentia, seu dispositiones. Vnde bene deducit M. Soncinas libro 8. Metaph. quæst. 9. quod non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, non potest esse, nisi ex triplici causa; aut quia manent in materia dispositiones, quæ erant cum forma, quæ abijcitur: aut quia manet quantitas, seu dimensiones, quæ præerant; aut denique, quia manet aliqua forma substantialis, quæ prius erat in materia. Idcirco sub titulo prædicto tres celebres quæstiones continentur. Prima de pluralitate formarum substantialium in eodem composito. Secunda de subiecto quantitatis. Tertia de subiecto aliorum accidentium: hinc enim dependet, vtrum eadem accidentia, quæ erant in corrupto, maneant in genito? Et exinde facile quæstionis præsentis habebitur solutio.

2. Verumtamem, quia omnes tres quæstiones abunde sunt à Thomistis disputatæ, præcipue à M. Bañez hic cap. 4. à quæstione 6. vsque ad 10. per duodecim articulos, & ab alijs, quos citat M. Araujo septimo Meta

Metaphis. quæst. 5. art. 4. vsque ad 7. Et de subiecto quantitatis, & reliquorum accidētium copiosè discussuimus 2. part. Metaphis. Controvers. 3. Ideò huic loco opportuna pro alijs quæstionibus intelligendis perstringemus: & solum priorem, & vltimam quæstionem expressè discutiemus.

§. I.

De pluralitate formarum in vno composito substantiali.

Plures formas substantiales dari in eodem composito, plures affirmant: licet non vna via defendant. Quidam arbitrantur formas multiplicari iuxta diuersitatem prædicatorum essentialium. Ita Auicembron in libro Fontis vitæ (relatus à D. Thoma hic lect. 10. littera. e.) qui dicebat in materia esse ordinem formarum, ita quod primo aduenit materiæ forma secundum quam est substantia; & postea alia secundum quam est corpus; & postea alia secundum quam est animatum corpus, & sic de alijs. Sequitur Ioannes de Gandauo 2. Metaph. quæst. 10. & primo de Anima q. 8. & Paulus Venetus 7. Metaph.

4. Existimantur alij in materia esse formam corporeitatis ab alijs formis realiter distinctam, materiæ conuam, & ita ingenerabilem, & incorruptibilem. Sic Auicena lib. 1. Sufficientiæ cap. 1. B. Albertus lib. 2. Metaph. tract. 2. Nimphas 1. de Generatione n. 28. Ocham Quodl. 2. q. 6. & 10. & alij. Imò Socinas lib. 8.

Metaph. q. 8. *disputationis gratia*, soluit omnia, quæ obijciuntur cõtra hanc opinionem; licet dicat, quod opposita est *rationabilior opinio*.

5. Tertio, in solo homine formam corporeitatis ab anima rationali realiter distinctam esse, docuit Hæricus Quodl. 2. q. 2. & 3. & Quodlib. 3. q. 13. & 14.

6. Quarto, alij dicunt eam requiri in omnibus, & solis viuētib. Ita Scotus in 4. dist. 11. q. 3. art. 2. & dist. 10. q. 4. Antonius Andreas. 7. Metaph. q. 17. & communiter Scotistæ, Paulus Aresius lib. 1. de Gen. disp. 2. q. 10. sec. 3. Dandinus 2. de Anima text. 111. Digres. 8. parte. 3. Coninch. 3. p. q. 76. art. 2. dub. vni. co. Cabero hic disp. 1. proœniali. dub. 3. vsque ad 6. qui duo vltimè irridet formam cadaueris, & formam embryonis, vt communiter explicatur: sed potius materia prima est primū subiectum in quo organica forma recipitur, & in ista recipitur anima rationalis: & forma organica, quæ antea erat, manet post mortem, vt experiētia videtur cõpertum. Opiniones aliæ de animarū pluralitate in eodē homine, omittuntur vt huic loco minus opportunæ.

7. Dico tamē primo: in cõposito substantiali nō sunt tot formæ realiter distinctæ, quot sunt prædicata quidditatiua. Sumitur ex Phyl. 3. Metaph. text. 20. & 1. de Anim. text. 90. & 7. Metaph. text. 43. & D. Th. eisdē locis. Et expressè 1. de Gen. lect. 10. litt. e. & quæst. de Anima. art. 9. in princ. & cõmuniter acceptatur: est 1; adeò certa, quod P. Suarez dis. 15. Metaph. sec. 10. n. 5. dicit, quod.

quod opposita sententia antiquata iam est, & ut omnino improbabilis reiecitur.

8 Rationes octo prosequitur M. Socinas lib. 8. Metaph. q. 12. ex quibus tres sunt faciliores. Primo ergo probatur: nam praedicari in primo modo dicendi per se de specie, non solum conuenit generibus substantiarum, sed etiam accidentium: sicut color praedicatur per se de albedine, & omne genus praedicatur in quid de speciebus: sed in accidentibus genus non importat formam realiter distinctam a forma specifica; ut est per se notum, & a contrariis admissum: ergo nec in substantiis.

Secundo: eadem forma est per quam homo est substantia, & est ens: ergo eadem erit per quam est animal, & homo. Consequenter patet; quia par est utriusque ratio. Antecedens uero probatur, nam physice loquendo, illa forma per quam homo est ens, uel est accidentalis, uel substantialis: nam in re non potest abstrahere ab utroque. Forma accidentalis non potest dare esse hominis: ergo est substantialis.

9 Tertio, si formae dantes esse genericum, distinguerentur realiter ab illis, quae dant esse specificum, sequitur, quod genus non possit praedicari in quid, & in recto de specie: consequens est plane absurdum: alioquin haec esset falsa: homo est animal: ergo per eandem formam physice omnia haec praedicata conueniunt. Maior patet, quia pars nequit in recto, & per se praedicari de toto.

Ultimo probatur ex vulgari illo proloquio, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: hic nullam esse plurificandi formas, abunde explicuimus lib. 2. Logic. q. 13. quia compositio metaphisica non est realis, sed rationis: nam ut ait S. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. ad 4. non oportet secundum diuersas rationes, & intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diuersitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio unum, & idem secundum diuersos modos apprehendere potest.

10 Obijcies: idem non potest esse simile, & dissimile alicui secundum eandem formam realiter: sed homo, secundum quod animal, est similis equo, & secundum quod homo est ei dissimilis: ergo alia est forma per quam est homo, & alia per quam est animal.

Retorquent hoc argumentum Socinas ad 3. & Bañez ad 2. nam ex illo sequitur, quod in albedine sint plures formae: nam est similis nigredini, in quantum est color, & est ei dissimilis, in quantum est albedo.

Respondetur ergo, quod nullum est inconueniens, quod per eandem formam aliqua conueniant in genere, & differant in specie; quia conuenire in genere, est conuenire secundum quid, & differre in specie, est differre simpliciter: & bene patet, posse aliqua conuenire secundum quid, & differre simpliciter. Imò si in aliquo non conuenirent, non dicerentur differre, sed esse primo diuersa: nam *ibi quaeritur differentia, ubi est conuenientia*, ut ait S. Thomas 1. p.

q. 90. art. 1. ad 3. & alijs locis relatis lib. 1. Log. q. 24. n. 2. Et Suarez disp. 13. Metaph. sec. 3. n. 20. asserit, quod est magnus error in *Metaphisica*, & *Physiologia*, propter modum nostrum concipiendi confusum, vel distinctum, ex quo sæpè oritur generū, & differentiarū multiplicatio, reales, ac phycas formas distinguere.

11. Dico secūdo, non datur forma corporeitatis cōiua materiæ, realiter distincta à formis specificis. Ita S. Tho. 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. & 2. & de Spiritualibus Creaturis art. 3. ad 17. & 18. & alijs locis citatis, & referendis. Sequitur omnes Thomistæ; & cōmunitur eam approbare fere omnes Authores, pluribus relatis, ostendit Suarez n. 12. Alios referunt PP. Carmel. disp. 2. quæst. 3. Sumitur ex *Physiologia* quinto *Physicorum*, & alijs locis ibi à nobis relatis q. 1. p. 12. & 14. vbi probat generationem non esse motum, quia huius subiectū est ens in actu; subiectum autē generationis est ens in potentia: ergo generatio non supponit in materia formā illi cōiuam, qua constituitur ens actu corporeum. Colligiturque ex *Physiologia* hic cap. 4. text. 24. & 7. *Metaph.* text. 43.

12. Probaturque à posteriori, quia si in materia est forma, qua cōstituitur in esse corporis, ab ea inseparabilis, nulla superest via ad probandum dari materiam primam, vt puram potentiam substantialem: consequens est contra *Physiologia* primo. *Physicorum* text. 69. & cōtra ea, quæ ibi diximus quæst. 5.

ergo non datur talis forma corporeitatis. Maior probatur, quia transmutatio substantialis fuit principiū veniendi in cognitionem materiæ primæ: si ergo materia numquā denudatur à forma corporeitatis, nō potest ab ea transmutari: vnde nullum esset principiū veniendi in cognitionem materiæ: quia eā negantes, dicēt, quod corporalia nō sūnt ex aliqua pura potentia; sed ex ente in actu; quod dicitur esse corpus. Hoc argumentum esse manifestam secundum Aristotē aduersus formam corporeitatis, notat Soto 1. *Phys.* q. 7. art. 1. in fine. Videatur S. Tho. 1. p. q. 66. art. 2. in corp. & ad 3. Aliæ rationes à priori conclusionem sequenti proponuntur.

13. Sed contra hanc arguitur primo: forma spiritualis nō potest dare esse corporeum; eo quod effectus formalis est forma communicata. Sed anima nostra est spiritualis: ergo non potest dare esse corporeū: ergo forma corporeitatis est alia à forma specifica.

Respondet S. Tho. de Spiritual. Creat. art. 3. ad 16. quod licet anima non habeat corporeitatem in actu; habet tamen virtutem, sicut Sol calorem.

Sed contra primo: nam in genere causæ formalis nemo dat formaliter, quod formaliter non habet: ergo si anima formaliter non est corporea, non potest dare esse corporeum. ¶ Secundo, Sol est causa efficiens caloris; anima verò est causa formalis: ergo exemplum nō est ad rem. ¶ Tertio, esse corporeum non potest provenire formaliter, nisi

nisi à forma corporea: sed anima nō est forma corporea: ergo non potest dare esse corporeum: ergo hoc prouenit à forma corporeitatis realiter distincta ab anima.

14 Respondetur, quod benè potest aliquid præhaberi eminenter, & præhaberi in genere causæ formalis: nam ipsa forma potest esse eminenter, & æquiualens pluribus, ut latè S. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. Lux ta hoc ergo est intelligenda solutio S. Thomæ. Et ad primam replicam dicitur, quod in genere causæ formalis potest aliquid præhaberi in actu, & aliquid præhaberi in virtute: vnde quamuis anima entitatiuè, & ut quod non sit corporea; potest esse corporea virtualiter, & eminenter, & ut quo in quantum est forma corporis.

Ad secundam, vel dicatur, quod exemplum solum adducitur ad explicandam in genere continentiam eminentialem; non curando de distinctione specifica causæ efficientis, & formalis. vel quod lux est forma, media qua Sol causat calorē, quem continet eminenter. ¶ Ad tertiam dicitur, animam virtualiter esse corpoream, quia est radix corporeitatis; faciendo quidem corp^o de genere substantiæ, quæ est radix quantitatis: de quo Caiet. & Bañez hic q. 6. art. 2. ad 1.

15 Secūdo arguitur: agens naturale non excludit à materia, nisi tantū illas formas, quæ sunt impossibiles formæ generadæ: sed forma corporeitatis non est impossibilis alicui alteri formæ speciali; stat enim cum formis elementorum, &

mistorum omnium, & animatorū: ergo forma corporeitatis nunquam abijcitur à materia.

Respondetur concedendo maiorem; & distinguo minorem, forma corporeitatis solum ratione distincta à formis specialibus, concedo; realiter ab eis distincta, nego: quia ut ait S. Thom. 1. p. quæst. 66. artic. 2. ad 3. *Forma corporeitatis non est vna in omnibus corporibus; cum nō sit alia à formis, quibus corpora distinguuntur.* Ad probationem bene respondet Soncinas ad 3. docēs, quod aliquā formam esse impossibilem alteri stat dupliciter: vno modo ex speciali natura ipsarum formarū, quia scilicet, vel sunt contrariæ, vel disparatæ: alio modo vna est alteri in composibilis ex parte subiecti, & ex vniuersali ratione formæ substantialis. Et hoc modo omnes formæ substantiales sunt impossibiles, quia materia non potest per plures actuari: licet enim corporeitas sit eū qualibet forma; non tamē stat cum aliqua, quæ sit ab ea distincta.

s. II.

Neque in viuentibus sunt plures formæ.

16 Dico tertio, neque in viuentibus dantur duæ, aut plures formæ substantiales. Ita S. Thomas 1. p. q. 76. art. 4. & lib. 2. Contrag. c. 38. & quæst. de Anima art. 11. & Quodlib. 1. art. 6. & Quodlib. 11. art. 5. & sæpissime alibi locis relatis in Tabula aurea, verbo, *Forma*. n. 146. & sequuntur omnes, qui præ-

præcedentes assertiones tenent, ex
ceptis relatis num. 6. Et oppositam
sententiam esse contra Aristotelē,
& veram Philosophiā docet Vaz-
quez 3. p. quæst. 76. disp. 186. c. 2.

17 Ostenditurque primo: nam si
præter animam rationalem admit-
titur in homine remanere aliā for-
mam mixtionis, vel organizatio-
nis, propter experientiam acciden-
tium, vel operationū harumforma-
rum, quas dicūt esse ante aduentū,
& post recessum animæ; pariter ad-
mittendum essent, in vno eodem-
que homine esse plures animas, ve-
getatiuam, sensitiuam, & rationa-
lem: nam omnium istarum opera-
tiones experimur. Sed consequens
admitti non possē à Catholicis, cō-
stat ex lib. de Ecclesiast. Dogmat. in-
ter opera S. August. to. 3. cap. 5. &
refertur à D. Tho. 1. p. q. 76. art. 3.
Et in quarta Synodo Constantino-
politana (quæ est octaua generalis;
373. Episcoporum sub Adriano se-
cundo, & habetur to. 4. Concilio-
rum in principio) canone 11. ita di-
citur: *Apparet quosdam id temporis in-
tantum impietatis venisse, ut hominem
duas animas habere impudenter dogmati-
zarent. Tales igitur impietatis inuento-
res, & similia sapientes, cum vetus, & nouum
testamentum, omnesque Ecclesie Pa-
tres, vnā animam rationalem habere
hominem assenerent, Sancta, & Vniuersa-
lis Synodus anathematizat.* Hæc ibi.
De quo latius Expositores S. Tho.
1. p. q. illa 76.

18. Secundo eandem conclusio-
nē probat S. Th. Quodl. 1. art. 6. in
hac forma. *Impossibile est in vno,
& eodē esse plures formas substan-*

tiales: & hoc ideò quia ab eodē ha-
bet res esse, & vnitatem. Manifestū
est autē, quod res habet esse per for-
mā: vnde, & per formam res habet
vnitatē. Et propter hoc vbiq̄que
est multitudo formarū non est vnū
simpliciter. Nec animal bipes esset
vnū simpliciter, si ab alio esset ani-
mal, & ab alio bipes, vt Phyloso-
phus dicit. Hæc S. Tho. ex Phylos.
3. Met. text. 18. ¶ Tertio proba-
tur à D. Tho. 1. p. q. 76. art. 4. in arg.
sed contra. Vnius rei est vnum esse
substantiale: sed forma substantialis
dat esse substantiale: ergo vnius rei
est vna tantum forma substantialis.
Vt euasiones præcludantur, reco-
lantur quæ dixim⁹ lib. 1. Phys. q. 7.
§. 3. ad excludendas existentias par-
tiales:

19 Quarto à priori cōclusionem
probat S. Th. in cor. illi⁹ art. & sæ-
pissimè alibi: quia forma substantia-
lis dat esse simpliciter; & ideò per
eius aduentū dicitur aliquid simpli-
citer generari; & per eius recessum
simpliciter corrūpi: ergo si ante a-
nimam præexisteret in materia alia
forma substantialis, per quā subie-
ctū animæ esset ens actū, sequere-
tur, quod anima nō daret esse sim-
pliciter; & per consequens, quod nō
esset forma substantialis: & quod
per aduentū animæ nō esset genera-
tio simpliciter, sed solū secundum
quid: quæ sūt manifestè falsa, vt pa-
tet ex dictis q. 2. & 4. seqq.

20 Dices formā, cui aduenit ani-
ma, esse incōpletā, imperfectam, &
viā ad aliā; & ideò forma superue-
niens est substantialis, & secūdū eā res
generatur simpliciter.

Sed contra, accidētia quæ superueniunt formæ embrionis ante aduētum animæ rationalis, adueniūt formæ imperfectæ; & tamen non sūt formæ substantiales, quia non dant primum esse: ergo pariter diceretur de anima si adueniret formæ substantiali. ¶ Secūdo, ex multis animabus non fit vnum ens perfecte: & tamen sūt entia incompleta: ergo quod forma prior sit imperfecta, si est substantialis, & dans esse simpliciter, non sufficit vt anima det esse simpliciter. ¶ Tertio, omne compositum ex materia, & forma, est ponibile directè in genere substantiæ: ergo est ens completum. Patet consequentia ex dictis lib. 2. Log. q. 6. n. 6.

21 Iterum dices, formam substantialem dare esse simpliciter, id est, esse substantiale, & nō accidētale, quod est esse secundum quid. Non tamē omnis dat primum esse; quia forma perfectior supponit esse imperfectioris.

Euasionem hęc acutè præcludit Caietanus, 1. p. q. 76. art. 4. quia ad placitū exponit terminos, & nō secundū vsū Philosophorum, quia fieri simpliciter est fieri nullo addito, hoc est, vt in exercitio nullo adiectiuo superaddito verificetur, hoc fit; nam cum generatur homo, verificatur, quod homo fit, absque adiectiuo aliquo; cum dealbatur verò, non dicimus, homo fit; sed homo fit albus. Et in artificialibus, cum construitur domus, absolute dicitur, quod fit: cum decoratur verò, solum dicitur, quod fit alba, aut pulchra: ergo si forma sub-

stantialis aduenit enti in actu per aliam formam, iam de illo verificatur, quod est: ergo non potest de illo verificari, quod fit, sed quod fit tale: quod est fieri secundum quid.

22 Nec hoc potest subterfugi (verba sūt Caietani) nisi concedēdo, quod de vno, & eodem potest absolute, & absque adiectione aliqua cōcedi, quod est, & fit. Quod quantæ stultitiæ sit, eis relinquo iudicandum. Et hoc bene nota, quoniam in hoc lumine videbis clarè multa secreta apud Aristotē, & cōplures tenebras apud alios. Hactenus Caietanus.

23 Præter rationes istas communes ad excludendam pluralitatem formarum substantialium in eodē cōposito substantiali; duæ aliæ militant peculiariter contra sententiā Scoti, quas proponit Soneinas lib. 8. Metaph. q. 1 i. quarum prima, & quinta in ordine sūt. Quælibet forma est impossibilis illi quam cōtinet virtualiter: sed anima sensitiua continet virtualiter corporeitatem, & organizationem: ergo forma corporeitatis, & organizatio- nis realiter distinctæ, sūt realiter impossibiles in eodem. Maior à Scoto conceditur, & patet ex dictis. nu. 14. Minor verò probatur, quia anima sensitiua brutorum est extensa, quia sola anima rationalis est spiritalis, & tota in toto, & tota in qualibet parte. Imò animæ animalium imperfectorum sūt extensæ, & diuisibiles, iuxta Philosophum 2. de Anima tex. 20. docentem, quod in animabus annulosis sūt

sunt duæ animæ in potētia, quæ re-
ductur ad actum per diuisionem:
ergo anima sensitua in brutis po-
test dare esse corporeum, & exten-
sum, & organicum: ergo frustra ad
hoc alia formā exigitur.

Respondet Coninch. n. 23. ad 3.
negando maiorē: nam si quidquid
est altero perfectius, contineret in
se omnem eius perfectionem, cum
anima sit perfectior accidentibus;
sequeretur eam horum continere
in se perfectionem; & consequen-
ter hæc esse superflua animali.

24. Cæterum maiorem illam ne-
gari nō posse ab his, qui tuētur sen-
tentiam, contra quam nunc milita-
mus, bene probauerat Sencinas,
quia pro nūc dicitur vna forma cō-
tinere illam formam, cuius effectus,
& operationes potest causare, &
supplere ipsa circumscrip̄ta. Et ideo
dicunt, quod quia forma mixti in
animati, & forma elementi conti-
net virtualiter formam corporeita-
tis, quia effectus corporeitatis sunt
esse quantum, & esse extensibile,
quæ omnia efficiunt prædictæ for-
mæ; ideo in mixto inanimato, & in
elementis dicunt ipsi non esse for-
mam corporeitatis distinctam rea-
liter à proprijs formis eorum, sed
in eis est tantum vna forma: ergo
semel admisso, quod anima conti-
net omnes gradus, & perfectiones
aliarum formarum, etiam in viuē-
tibus tantum erit vna forma.

25. Deinde, frustra ponuntur ad
effectus formales, quos vna forma
causare potest, plures formæ: sed
potest causare omnes, quos conti-
net: ergo non loquuntur conse-

quenter admittendo, quod conti-
neat effectus formarum inferiorū,
& negando quod illos causet.

Nec instantia vrget: nam substā-
tia est radix accidentium; non autē
est forma per seipsam vt quod imme-
diate causans in genere causæ for-
malis ea quæ accidentia causant;
vt anima dat effectus, quos nunc
intendimus: ergo transitur de ge-
nere in genus; & ideo parum vr-
get paritas.

26. Vltima ratio est: nam ipsi ad-
mittunt posse dari materiam sine
forma: illi autem materiæ non est
cur non possit immediate vniri ani-
ma sensitua, Leonis v. g. non pro-
ducta ibi alia substantiali forma;
quod esse possibile videtur mani-
festum, quia vnumquodque potest
produci nō producto eo à quo rea-
liter est distinctum. In hoc casu in-
quiritur, vtrum illud compositum
ex materia, & anima sensitua, sit
animal, vel non? Si est animal; er-
go est corpus de genere substātiæ.
Consequentia patet, quia arguitur
ab inferiori ad sumum superius affir-
matiue: ergo habet formam corpo-
reitatis. Et tamen in casu posito so-
lam habet animam sensitiuam: er-
go hæc dat per seipsam, quod da-
ret forma corporeitatis organica
radicaliter. Negari autem nequit,
quod tunc esset animal: nam ani-
mal est substantia animata anima
sensitua: sed illa esset substantia a-
nima sensitua: ergo esset animal.
Ex isto autem casu possibili bene
argui ad casum præsentem; patet,
quia nullus casus variat consequen-
tiam formalem; cum hæc teneat

in quibuscumque terminis, vt diximus lib. 3. Dial. cap. 1.

27 Respondet Cabero ad. 3. animam, nec Dei absoluta potentia posse immediate recipi in materia prima; quia talis formæ est incapax; eo quod de essentia animæ est, quod sit actus corporis organici; & materia prima corpus organicum non est: & ubi effectus formalis est impossibilis, non potest recipi forma.

Secundo dicit, quod dato quod uniat anima immediate materia, non constituet hominẽ, sed solum viuentem adiectiuẽ: sicut anima vnitur pedi, & pes non est homo.

28 Prior euasio durissima est: nã est certum secundum fidem, quod anima rationalis est forma corporis, quamuis ipsa sit spiritualis: ergo cum potentia, & actus sint proportionata, poterit immediate vniri materia. Secundo, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. sed Verbum, cum sit actus purus, potuit carni vniri; ergo anima valet vniri materia.*

29 Tertio, totam æquiuocationem abstulit S. Thomas. 1. p. q. 76. art. 4 ad. 3. dicẽs, quod forma, quæ dat solum primum gradum perfectionis materia, est imperfectissima: sed forma, quæ dat primum, & secundum, & tertium, & sic deinceps, est perfectissima: *& tamen materia immediata.*

Quarto ibi in sol. ad 1. explicat quod anima est actus corporis quia facit corpus; eo modo loquendi,

quo calor est actus calidi, & lumẽ est actus lucidi; non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem: de quo in libris de Anima.

Denique argumentum non procedit solum in homine; sed in alijs animalibus: quorum animas diuinitus nõ posse immediate vniri materiæ, non video quo argumento valeat probari: sed tantum est fuga, vt euadatur vis argumenti: videatur S. Thomas art. 7. ad 3.

30 Alia euasio præcluditur à D. Thom. ibi art. 8. docete, quod quia anima requirit diuersitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum, & ad partes: sed ad totum quidem primo, & perse, vt ad proportionatũ perfectibile, ad partes autem per posterius. Et hinc infert ad 3. quod nõ oportet quod pars animalis sit animal. Nunc autẽ loquimur de materia capaci toti? animæ: vnde non est simile.

31 Argumenta omnia sunt iam diu à Thomistis soluta: sed ne imperfecta maneat resolutio, oportet ea proponere. Sed ne opus sit repetere, paululum cogimur stylum mutare, & post omnes cõclusiones simul diluenda reseruare.

9. III.

De subiecto accidentium.

32 Dico quarto, nullum accidens prædicamentale, vt in subiecto quod in hæsiõis, est immediate in materia prima. Ita S. Thom. 1. p. q. 76. art. 6. & q. 77. art. 6. & alibi sæpe:

sc̄p̄d̄: est cōmunis Thomistarū, præcipuē vidēdi Capre, in 2. dist. 13. q. vnica ad arg. cōtra 2. & 3. Caiet. c. 7. de Ente, & essentia q. 17. Bañez hic c. 4. q. 9. ar. 1. & 2. vbi refert verba B. Alber. Mag. hic trac. 2. c. 6. & tenent Durand. in 1. dist. 8. 2. p. q. 4. Vazq. Fōseca, Rubio trac. 3. q. 7. & alij. Et ratione probatur primo: nā subiectum quod accidētis debet esse substantia per se existēs: sed materia prima sine forma non est actu perse existens: ergo materia prima nō est immediatum accidētū subiectū. Maior patet, quia accidēs est entis ens, vt docet Phyl. 7. Met. text. 2. & distinguitur à substantia, quia illi debētur esse perse; accidēti verò cōuenit esse in alio. Secundo, nā pri^o est in se esse, quā alia sustinere. Et deniq; quia prius est esse simpliciter, quā esse secundum quid. Minorē verò ostēdimus lib. 1. Phys. q. 7. quia actus vltimus nequit cōmunicari immediate pure potētia, nisi illius fiat capax per formam, seu actu formali, cui propriē tribuitur formaliter dare esse.

33 Secūdo probatur ratione, qua in simili vtitur Author Opusc. 32. apud D. Tho. c. 4. & in proprijs terminis prosequitur Durād. n. 16. Si accidētia immediatē reciperentur in materia prima, ex illa, & forma substantiali nō fieret vnum ens perse: sed hoc est apertē falsum: ergo accidētia nō recipiuntur immediatē in materia prima. Probatur maior: ex materia, & accidēte non fit vnum perse; nā ex rebus primo diuersis, vt sunt substantia, & accidēs, nō fit vnum perse: sed non potest

maiorē perfectatē vnionis habere cum forma, cum qua mediatē vnitur, quā cum illa cui vnitur immediate: ergo nec cum forma substantiali faciet vnum perse. Alias rationes vide in Met. illa Cōtrouerf. 3. à num. 20. vsque 33.

§. III.

Non sunt eadem numero in corrupto, & genito.

34 **D**ico quinto, nullum accidēs idem numero perseuerat in genito, quod erat in corrupto. Tenent Authores pro præcedēte relatione. Et PP. Conimb. hic c. 4. q. 18. ar. 2. & esse valdē probabilē tuetur Tolet. q. 7. cōc. 4. propter autoritatē S. Th. quāuis oppositū velit esse probabiliorē. Nostra cōclusio est expressa S. Th. lib. 2. de Gen. lec. 4. lit. c. in fine. Et li. 1. lec. 10. lit. d. dubiū mouet his verbis: *Sed dubitatur virū eadē passio numero, qua sit altera pars cōtrarietatis, possit esse in generato, & corrupto?* Et posita ratione dubitandi ad vtramq; partē, respondet: *Dicendū ergo, quod non manet idē numero, sed id quod prius erat corripitur per accidēs corruptione subiecti, recedēte forma, qua pri^o erat talis accidētis; & aduenit simile accidens consequens formam de nouo aduenientem, vel accidentem.* Hæc S. Th.

35 Cum verba hæc nullā, vel apertē, admittant expositionē, mirum est, quæ subterfugia aliqui que fierint ne autoritate S. Th. præmātur; vel poti^o, quæ opposuerint obstacula, ne ei^o luce illuminētur. Raphael Auerfā q. 37. sec. 6. parum cōsiderate hæc scripsit: sed hæc opera apud eosdē Thomistas nō sunt mag

næ authoritatis, & dubitatur an fuerit ab illo met cōscripta, vel ab illo adhuc iuniore dictata. Quibus hæc attexit Caber. disp. 2. dub. 4. testimonium, inquit, ex libris de Generatione, desumpta, ab ipso Angelico Doctore imberbe conscripta sunt; & ideò non valent authoritate tantum, ac alia eiusdem Doctoris Angelici scripta.

36 Illa tamē ferēda nō esse, ut potē nec impugnatione quidē digna; qui Doctoris Sācti doctrinā, vel alimine salutauerit, planē intelliget. Referant quæso Thomistarum, vel minimū, qui tale quid somniauerit. Quin potius Eruditissimus M. Sixtus Senēsis lib. 4. Bibliot. verbo *Thomas Aquinas*, nō minus elegāter, quam verē, hæc scripsit: *Theologorū fuit, ac Philosophorū omnīū, quos in hanc usque diem Scholasticorū Academia protulit, sine ulla cōtrouersa Princeps: quippe qui primus omnīū Latinorū Philosophorū, nō minus incredibili, quā felici assensu omnē Aristotelis Philosophiam commētaris lucidissimis illustrauit.* Hæc ille. A quo sententiam, & verba mutuari M. Ferdinandus Castillo lib. 3. Historiæ Ordinis Prædicatorum cap. 15. Bellarminus, & Pizamanus, Possseuinus, Fernādez, & alij, quos eruditē nouissimē congerit noster M. Gundisalvus Artiaga in vita Angelici Doctoris cap. 19. vulgari quidē lingua, sed non vulgari eruditione conscripta, & Patrū sententijs quasi margaritis ornata. ¶ Libros de Generatione nominatim omnes, quos viderim, Scriptores Vitæ S. Thomæ, ipsius indubitatos agnoscūt, ut patet in D. Antoni. 3. p. tit.

18. c. 10. §. 2. & M. Castillo c. 31. & in omnibus alijs. Omitto pluribus stabilire, ne videar de asserto præcipitanter prolato, serio, & ex professo reiiciendo curare.

37 Quantæ autem sint authoritatis scripta Philosophica Angelici Doctoris; de ipso benemeritus, in vtriusque Thomæ scriptis verfatissimus M. Ioannes Claueria grauter pōderat in lib. inscripto *S. Thomas, & eius Theologia*, trac. 2. p. 3. à pagin. 210. vsque 244. præter ea quæ incōparabili eruditione scripsit M. Graulina toto opere inscripto *Cherubim Paradisi*, & sæpissimē alibi. Claudam verbis S. August. epist. 29. ad Hieron. *Infelix est, qui non tantos, & tā sanctos studiorū tuorū labores, & digne honorat, & de his Domino Deo nostro (cuius munere talis es) gratias agit.* Et infra; *cuius doctrina, in nomine, & adiutorio Domini tantū in Latina lingua Ecclesiastica litteræ adiuta sunt, quantum nunquam antea potuerunt.*

38 Demum, ut penitus videant, quam negligenter Doctoris Angelici scripta legant, non grauiabor testimonium, quæ alibi iam citauimus, nūc trāscribere, ut appareat ab eius mente ipsos longissimē distare. Igitur Quodlib. 1. ar. 6. ita cōcludit S. Th. *Formæ verò accidentales, quæ prius inveniunt disponētes ad animā, corrumpuntur quidē, non perse, sed per accidēs ad corruptionē subiecti: unde manēt eadē species, sed nō eadē numero: sicut etiā contingit circa dispositiones formarū elementariū, quæ primitus materia aduenire apparent.* Hæc ibi. Quæ verba adhuc expressiora vidētur, quā adducta ex lib. de Generatione. In q. vnica de Ani. art. 3. ad. 19.

ait: Cū ergo ex hoc aere fit hic ignis, calor manet idē specie, sed augmētatus; nō tamē idē numero, quia non manet idē subiectū. Euidētissimū ergo est cōclusionē nostram esse ad mentē S. Th. cuius alia testimonia retuli illa Controuer. 3. n. 67. vsque 69.

39 Duplici ratione D. Tho. probatur: prima continetur illis verbis: quia nō manet idē subiectū. Et formatur lic: destructo subiecto inhātionis, naturaliter accidentia destruuntur: sed accidentia inhārent in toto cōposito: ergo illo corrupto, naturaliter illa non manēt. Maior patet, primo à simili in artificialibus: nā destructo fūdāmēto ædificij, totū penit⁹ corrui, & à fundamētis cadit. Secūdo, quia potissima causa cōseruationis accidētis est subiectū dās ei esse: ergo destructo subiecto, accidētia illius destruuntur.

40 Secūda ratio assignatur à D. Th. 3. p. q. 77. art. 1. non potest esse, quod idē numero accidēs transmigrat de subiecto in subiectum, quia ab illo indiuiduatur, vel saltē est ei ita affixū, vt ad aliud nō possit migrare; licet sibi simile possit causare. Sed si accidēs corrupti manet in genito, idē numero, esset migratio accidētis; vt notum est: ergo naturaliter fieri nequit, quod idē numero maneat.

41 Respondet Toletus ad 3. ne gando minorem, quia manet idem subiectū inhātionis, puta materia, quæ eadem est in genito, & corrupto: repugnat autem, quod accidētia transeāt de materia in materiā.

Sed contra; quia nunc loquimur ex suppositione præcedentis con-

clusionis: ergo si repugnat accidētia migrare de materia in materiā, eo ipso quod hæc ponatur illorum subiectū, etiam repugnabit, quod maneāt in genito, eo ipso, quod illorum subiectum sit totum compositum.

42 Aliter respōdet Hurtado disput. 1. de Gener. sec. 5. §. 4. & disp. 6. Phys. sec. 6. & alij Recentiores, quod adhuc in sententia asserente omnia accidētia recipi in toto cōposito, asserendū est non omnia perire cū illo; quia pereūte causa non perit effectus, si in eodē instāti succedat alia habēs virtutē cōseruādī talem effectū. Sed in instāti, in quo perit forma corrupti, succedit forma geniti cum virtute recipiēdi accidētia vtrique communia, vt nos cōcedimus: ergo nō est cur accidētia omnia pereant. Maior probatur à paritate caloris, qui, pereūte igne, à quo fuit productus, conseruatur à Sole denuo applicato: cur ergo nō dicemus idē de accidētib⁹, quæ recipiebantur in corrupto, nēpe quod cōseruantur a forma geniti denuo adueniente loco formæ corrupti?

Responderi solet esse disparē rationem inter causam materialē, & efficientem; quia cum causa materialis sit intrinseca suo effectui, maiorem cōnexionē habet is cū illa, quā cum efficiente, quod est illi extrinsecum: & ideo potest cōseruari idem effectus ab efficiente denuo adueniēte: nō verò potest recipi in subiecto succedente loco prioris.

43 Sed cōtra: in primis causa materialis non est causa intrinseca ref-

pectu effectus in illa recepti, quia causa intrinseca est illa, quæ manet intra effectum tamquam pars illius: causa autem recipiens effectum, nō est pars effectus recepti, vt constat. Secundo, in nostra sententia forma substantialis dat existentiam materiæ tamquam causa intrinseca illi: & nihilominus pereūte vna forma substantiali, nō perit materia, quia loco prioris formæ succedit alia habens etiā vim cōmunicandi existentia eidem materiæ: ergo pariter in præsenti. ¶ Cōfirmatur: tã intrinsecè pēdet forma substārialis à materia, quam accidentia à subiecto: sed vna, & eadem forma substārialis potest transire de vna parte materiæ, quæ illam antea recipiebat, ad aliã, quæ denuo eandem recipiat: cum in nostra sententia anima equi (& aliorum animalium perfectorum) sit omnino indiuisibilis, & quæ informat partes amissas per diminutionem, informat acquiras per nutritionem: ergo etiam accidens poterit transire de vna forma, quæ antea erat partiale subiectum illius, ad aliam in qua denuo recipiatur.

44. Respondetur primo, concedendo maiorem, & negando minorem, quam à nobis concedi, falso nobis imponit: quin potius omnes Thomistæ, cum D. Thoma, dicimus, quod (naturaliter saltem loquendo) idem numero effectus nō potest diuisim dependere à duplici causa efficiēte, vt patuit lib. 2. Physic. q. 23. & 2. p. Met. Controu. 16. art. 4. vnde ad causas secundas proximas respiciendo, idēmet calor, qui causatur ab vno igne, non cau-

fatur ab alio: sed solū indirectè cōseruatur remouendo prohibens cōtrarium à quo posset corrumpi, vel directè intendendo, vel extēdēdo in alia parte subiecti, modo suo loco explicādo infra q. 16. & 17. Vnde adhuc sola attēta causalitate efficiēte, eo ipso quod pereat substātia à qua conseruabantur accidentia, non possunt perseuerare eadem numero in corrupto, quæ erant ingenito. Et hanc solutionē assignauerat M. Ioan. à S. Tho. q. 1. de Gener. art. 6. ad 2. videndus.

45 Respondetur secundo, quod quidquid sit de causa efficiēte, est peculiaris ratio de dependentia accidentium à subiecto, tum, quia vt docet S. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. *accidentia indiuiduantur per subiectum, quod est substantia*: vnde subiecto variato, non possunt manere eadem numero, cum ab ipso numerū accipiant. Tum, quia in omni sententia subiectum est fundamentum, in quo sustentatur accidens; & ideò est miraculū, quod sit sine illo: & hoc fulcrum nō est extrinsecū, sed cui intrinsecè inhærent: & hac de causa variato subiecto, necesse est accidentia variari. ¶ Quod vltèrius probatur, quia magis dependent accidentia à subiecto, quā subiectū ab accidente, cū substātia sit perfectior, & minus depēdēs, quā accidēs: sed videmus substātia corrūpi accidētibus eius corruptis, etiā si alia succedāt: ergo destructa substātia, accidentia naturaliter manere non possunt.

46 In hoc ergo sensu admitti potest solutio in argumēto relata. Ad primam replicam dicitur, quod acci-

accidentia non habent materiā ex qua componantur; sed solum materiā in qua recipiantur, vt ait S. Thomas 8. Metaph. lec. 4. & 1. 2. q. 55. artic. 4. vt latè diximus 2. p. Metaph. Controu. 3. art. 1. vnde accidentia intrinsecè inhaerent subiecto; licet ex illo non componantur vt ex parte intrinseca.

47 Ad secundam respondetur, concedendo maiorem, & minorem; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est duplex. Prima, quia materia prima essentialiter est pura potentia, quæ non satiatur vni forma substantiali; vnde omnes formas substantiales sublunares respicit vt actus inadæquatos, vt colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 66. art. 2. ad 2. & ideo omnes se habent inslar vnius actus materiæ; sicut omnes actus potentiæ visiuæ se habent vt vnus terminus adæquatus potentiæ. At verò subiectum vnum est causa indiuiduationis adæquata vnius accidentis; & accidens non est de se indifferens, vt hoc numero sit in diuersis subiectis: & ideo non est simile. ¶ Secunda ratio discriminis est, quia ex materia, & forma fit vnum perse, & vna existentia totius existunt; & respectu potentialitatis materiæ, est quasi per accidens, quod esse tribuatur ab hac forma, vel ab illa: at verò ex subiecto, & accidente non fit vnum ens perse: & ideo cum à subiecto sustentetur, non est per accidens ad eius consistentiam, quod subiectum varietur.

48 Confirmatio posset in ipsos retorqueri, quia naturaliter vna anima, nec ipsa anima rationalis, po-

test de vno corpore ad aliud migrare, vt est certum secundū fidem, & oppositum in vera Philosophia est *erroneum*, vt ait S. Thom. 2. Contr. c. 44. rat. 6. ergo si ipsi fatētur, quoad hoc eandem esse rationem de accidentibus, ac de anima, destructo subiecto, accidentia non manent.

49 Deinde dicitur, quod accidēs non est dimidium in cōposito, & dimidiū in genito: & ideo quoad hoc paritas tenere non potest. ¶ Denique dicitur, quod animæ perfectæ propter suam eminētiam possunt dare esse omnibus partibus, nam omnes sub illa adunātur, & possunt in eodē esse cōmunicare. Vnde inde argumentū nō trahitur ad accidentia debilissima; siquidē sūt entis entia à subiecto dependentia.

§. V.

Conclusio principaliter intentā.

50 **D**ico vltimo: in generatione substantiali fit resolutio omnis formæ substantialis, & accidentalis, & sola manet materia prima cōmunis corrupto, & genito. Ita Philosophus hic tex. 23. docens, quod quando totū mutatur in totū, *nullo manente subiecto sensibili*, est generatio substantialis: quod non esset verū, si maneret aliqua forma, vel accidentia aliqua, medijs quibus sentiretur. Videatur S. Th. lec. 10. cuius verba afferūt, & latè pōderant PP. Carm. disp. 3. q. 6. Deinde in cap. de Subsantia docet, quod destructis primis substantijs *non est possibile aliquid aliorum esse*: ergo corrupto toto indiuiduo, non manent formæ, nec eius accidentia.

51 Ratio ex dictis est manifesta: nam fieri resolutionem vsque ad materiam, est nihil manere in genito eorum, quæ præfuerunt in corrupto, nisi solam materiam primam communem forme, & priuationi, vt vtriusque subiectum. Sed nulla forma substantialis rei corruptæ manet in re genita, vt patet ex tribus primis assertionibus: nec vllum accidens manet idē numero, vt ostensum est cōcl. 4. & 5. ergo in corruptione substantiali fit resolutio omnis forme substantialis, & accidentalis vsque ad materiam primam.

s. VI.

Soluuntur argumenta.

52 **C**ontra hanc conclusionem, & consequenter contra omnes alias, varia solent congeri argumenta; sufficiet præcipua breuiter diluere. In primis Gregorius in 2. dist. 12. quæst. 2. art. 2. Marsilius primo de Generat. quæst. 7. & alij Nominales sex medijs arguunt: tria obijciemus. In primis arguunt auctoritate Aristotelis, qui hic tex. 24. docet, quod in corporibus quæ ad inuicem transmutantur, quādoque manet eadem passio in generato, & corrupto, sicut quādo ex ære fit aqua. Ambo sunt diaphana, id est transparentia, vel frigida. Et lib. 2. text. 25. dicit elementa symbola facilius transmutari, quia vnā qualitatem habent communem, vt aer, & ignis, vterque enim est calidus, & sola humiditas contraria est.

Respondet S. Thom. lib. 1. lect.

10. litt. d. quod non manet idē numero, sed specie; quia *aduenit simile accidens consequens formam de nouo aduenientem*. Et ad secundam auctoritatem respondet S. Thomas lib. 2. lec. 4. littera. c. *Dicendum, quod illud accidens, sine illa qualitas, non remanet eadem specie.*

53 Sed instabis: nam iuxta hoc non videtur saluari intentum Philosophi, quod in symbolis facilius sit transmutatio, quā in disymbolis, nam in vtroque casu per accidens ambæ qualitates corrumpuntur: ergo non videtur quod propter hoc, quod maneant eadem specie, talis transmutatio debeat esse facilius: cum oporteat corrumpi ambas qualitates, sicut in transmutatione non habentiū symbolum.

Respondet S. Thomas his verbis: considerandum est, quod qualitates elementorum causantur ab ipsis formis substantialibus ipsorum. Illa ergo elementa, quæ maiorem conuenientiam habent in qualitatibus, necessario habent maiorem conuenientiam in formis substantialibus; & per consequens in dispositionibus materiæ, facilius ad inuicem transmutantur. Et licet oporteat ambas qualitates corrumpi; tamē quia qualitas symbola minus resistit; imò nullo modo; contraria vero resistit; ideo facilius est transitus. Hæc S. Thomas.

Sed præcipuam responsionem, quā nomine Caietani refert, sic impugnat Golez. rat. 5. Ego miror Caietanum, qui potest sibi talem conclusionem persuadere: nā qui corrumpit indiuiduū; etiam corrumpit speciem

speciem in eo existentem : si ergo ille primus calor destructus est, etiam species in eo. Hæc ibi.

54 Hanc tamen esse *crassam intelligentiam* notat M. Bañez hic cap. 4. q. 10. art. 1. ad 2. quia quando dicimus, quod accidentia remanent eadem specie, & non numero; nō est sensus, quod idem accidens corrumpatur quoad indiuiduationem, & non quoad essentiam, vel speciem in eo contentam: hoc enim contra dictionem implicat. Sed sensus planus est, & expressus à D. Tho. quod corrupto subiecto, totaliter accidentia peraccidēs destruuntur: sed quia agens non intendit, quod sit annihilatio, sed alterius generatio, formam deuo genitam consequuntur accidentia similia in specie, quā uis numero differentia.

55 Secundo arguunt, si accidentia non manent, sequitur, quod aliquid corrumpitur sine corrupente: quod est impossibile. Probatur sequela; cum aer in ignem conuertitur, si calor aeris non manet, non est à quo corrumpatur: non enim corrumpitur à calore ignis; quia calor non destruit calorem: non à siccitate; quia siccitas, & calor non sunt contraria; ergo non habet corrumpens.

Respondet S. Tho. lec. 10. litt. d. in fine, dicens: *Nec est inconueniens, quod simile corrumpat suum simile peraccidens corrumpendo subiectum, vel materiam: sicut enim maior flamma consumit minorem.* De quo latius S. Tho. q. 2. de Virtut. art. 12. & 1. 2. q. 53. art. 1. exponens varias causas corruptionis accidentiū, quia aliquando cor-

rumpuntur à cōtrario, manēte subiecto; aliquādo è contra ad corruptionem subiecti, omnia, quæ in ipso sustentabantur, & inhærebant, destruuntur. Nec est inconueniēs, quod peraccidens, & consequentiū aliquid à dissimili, & contrario producat.

56 Tertio arguunt Nominales, & Suarez disp. 14. Metaph. sec. 3. m. 20. & alij frequenter: nam experimur in cadauere esse eadem accidentia, quæ erant in homine uiuo, ut est eadem quantitas, eadem dimensio, eadem figura; & aliquādo idem calor: quæ non possunt esse causata à forma genita; quia potius repugnant illi, quam eam sequantur: ergo eadem accidentia manēt in genito, & in corrupto.

Dices, illa accidentia uideri eadem, sed esse diuersa: & ideo sensus esse ratione corrigendos.

Sed cōtra, in rebus fidei plus debemus Deo dicenti credere, quam rationi propriæ tribuere: in rebus autem naturalibus, cum omnis intellectiua cognitio oriatur a sensu, potius sensibus debemus intellectus cognitionem comparare. ¶ Secundo, quia sapissimè nulla potest assignari causa, quæ de nouo formā cadaueris inducat; præcipuè quando animal strangulatur, vel caput ei subito præinditur: ergo tunc manent aliquæ formæ, quæ antea erant; non solum accidentales, sed substantiales. ¶ Tertio, quia species formæ speciales exigit dispositiones: quæ hic non adsunt: ergo nō introducitur forma cadaueris: ergo manet forma organica, quæ antea erat.

Denum obijcit Coninch in fine n. 23. dicens, *ex principijs fidei euidenter sequi carnem mortuam, & viua esse viuoce carnem: nam nisi caro Christi viua, & mortua dicatur viuoce caro Christi, nullo modo proprie dici poterit eadē caro sup̄ta ex Virgine, posita in sepulchro, & eleuata in cælum. Quod tamen nemo Catholicus auderet negare. Quod si Aristoteles contrarium dicat, per fidem corrigendus est. Hæcenus ille.*

57 Respondetur cum Caietano c. 7. de Ente, & essentia q. 17. ad 3. quod figura, & cicatrix, & alia huiusmodi, producuntur consecutiue, & peraccidens, à generante formam cadaveris; quod est eorū subiectum. Hanc autem formam dari constat, quia non datur corruptio sine generatione, & illa primo, & perse intenditur à agente particulari. Nec est verū, quod sola illa accidentia generentur consecutiue, quæ sequuntur formam: nam multa accidentia sequuntur compositum ex necessitate materiæ, quæ vt *quis* est radix illorum, & sunt aliquantulum opposita ipsius formæ. Non ergo illa accidentia sunt eadē numero, sed similia, quæ sequuntur cadauer ex necessitate materiæ: quia agens naturale non potest tam cito dispositiones per tot transmutationes radicas corrumpere totaliter, & idè similes dispositiones sequuntur: & quia non sunt facientes forma geniti; idè ad corruptionē properatur.

58 Ad primam replicam dicitur sensus non falli in sensibilibus per-

se; bene tamen posse falli in sensibilibus peraccidens. Distinguere autem inter indiuiduationem huius, & illius accidentis est sensibile per accidens: quod directè solo percipitur intellectu. Recolantur, quæ diximus sup. q. 2. n. 14. Et ratio est, nam idè, aut diuersam sunt passionnes entis, vt est obiectū intellectus, & Metaphisica perse hæc considerat; & idè sunt extra propriū obiectum sensus. Sicut si Deus toto tēpore præcedente instās determinatum, conseruaret albedinem, & immediatè illam destrueret, & aliam eiusdem gradus in eodem subiecto produceret; non perciperet sensus definitionem vnus albedinis, & alterius introductionem; ita contingere in præsentivera Philosophia affirmare cogit, nam destructo subiecto, accidens illius manere nequit. De quo plura M. Bañez illa q. 10. ad 3.

59 Ad secundam respōdet Caiet. 1. p. q. 76. ar. 4. ad 1. dub. 2. & 2. de Anima c. 1. probabiliter posse suffineri, quod omnia cadauera sūt eiusdem speciei; quia hæc est forma imperfecta, & comunis via à viuo quolibet ad formam elementi. Et iuxta hoc dici posset, bene posse formam eandē secundū speciem à diuersis causis produci. Sicut Auerrois 2. Cælitex. 46. dicit, quod calor potest generari à lumine, & à motu, & ab alio calore. Ignis generatur ab igne, & à Sole, & à silice. Et probabilè est, quod animalia producta ex semine, & putrefactione sūt eiusdem speciei: de quo latè Sonci. 7. Met. q. 21. & Ferrara 3. Contrag. c. 69.

60. Secundo respondet Caietan⁹ posse sustineri cadauera esse diuersarum specierum. Quod iudicat esse probabilius Bāñ z hic c. 4. q. 6. ar. 2. ad 4. eo quod Phyl. 2. de Gen. tex. 48. docet, quod ex diuersa proportione qualitatum primarum, resultant diuersa mixta specie. Quæ diuersitas etiam concurrat ad diuersa cadauera, cum aliquando prædominetur calor, aliquando frigiditas. Et rursus, quia formæ, quæ sunt viæ, & dispositiones ad alias, non constituent species completas, sed reducuntur ad illas. Vnde S. Tho. hoc libro lec. 8. lit. b. ait: alia est forma incompleta, quæ neque perficit aliquam speciem naturalem, neque est finis intentionis nature, sed se habet in via generationis, vel corruptionis. Et infra ait: uniuersæ etiam ex parte corruptionis sunt multæ formæ mediæ, quæ sunt formæ mediæ incompletæ: non enim separata anima, corpus animalis statim resoluitur in elementa; sed hoc fit per multas corruptiones medias, succedentibus sibi in materia multis formis imperfectis; sicut est forma corporis mortui, & post modum putrefacti: & sic tandem fit vltimum complementum successiuè. Hæc S. Thomas.

61. Per quæ patet ad tertiam; tenendo enim omnia cadauera esse eiusdem speciei, non opus est speciebus dispositionibus, quæ enim sufficiunt ad tollendam vitam, sufficiunt ad inducendam formam corporis mortui. Afferendo verò esse diuersarum specierum, etiam sunt diuersæ dispositiones, formæ, organizationes, & accidentia diuer-

sa, quæ mortem inducunt, & talis forma non inducitur nisi tali præuia alteratione. Et rationem assignat S. Tho. 8. Metaph. lec. 4. in fine; quia quacumque materia se habet ad diuersa secundum ordinem, non potest ex posteriori redire in id, quo præcedit secundum ordinem: sicut in generatione animalis, ex cibo fit sanguis, & ex sanguine semen, & menstrum, ex quibus generatur animal; & non potest mutari ordo, scilicet, ut ex semine fiat sanguis, aut ex sanguine cibus. Et infra cum Philosopho subdit: *Similiter est de mortuo, & vino, & de oculo, & uidente.* Videantur quæ diximus 1. Phyl. q. 4. n. 5. & quæ docet Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad arg. contra 3. & Soneinas octauo Metaphisicæ quæst. 15.

62. Vltimæ replicæ censuram contemnet, qui legerit Caietanum 3. p. q. 50. art. 5. docentem, quæ S. Thomas tradit de unitate numerali Corporis Christi uiui, & mortui (quod est unitas materiæ, & suppositi; & non formæ, & accidentium) esse *veritatem perse notam*; & oppositum dicit Caietanus esse *manifeste alienum à Philosophia*, non agnoscente corruptionem sine generatione. Et sufficit, quod illa sententia Philosophi secundo de Anima textu 9. & septimo Metaphisicæ textu 35. approbetur à Diuo Thoma tertia parte quæstione 50. articulo quinto, & prima parte quæstione 76. articulo 8. & ab omnibus eius Discipulis, quorum plures citat Nazarius tomo 3. in tertiam partem illo articulo quinto Controuer. vnica,

vt de censura illa nõ curemus: in nõ vt in obijcientem retorqueamus: nam P. Vazq. 3. p. q. 76. disp. 186. cap. 2. nu. 23. docet doctrinam illã aucto magnificatam à Coninch, ad *uersari Aristoteli, & veræ Philosophiæ*: vera autem Philosophia nil dicit fidei Christianæ contrarium. Sufficit ergo, quod maneat eadem caro, identitate materiæ, & suppositi Verbi, vt absolutè dicam⁹, quod corpus crucifixum, fuit mortuum, sepultum, & resurrexit.

63 Sex argumenta obijcit Tole- tus, quæ tangunt alias difficulta- tes, vel ex dictis nullam continent difficultatem; & ideò sufficere referre primũ, quod sit ordine quartum. Illi debent accidentia inhæ- rere, de cuius potentia educuntur: sed accidentia educuntur ex potẽ- tia materiæ, loquendo de acciden- tibus sensibilibus: ergo in ea inhæ- rent. Maior videtur certa, quia vix potest intelligi, quomodo si ali- quid ex sola materia extrahatur, nõ sit in ea. Minor verò probatur; nam calor in aqua non potest ex- trahi ex forma, cum sit forma op- posita, & determinata ad frigidita- tem: ergo extrahetur ex materia, & ex potentia comuni ad oppo- sita.

Respõdetur cum M. Bañez q. 9. art. 1. ad finem, dupliciter: primo negando maiorem, quia aliquid e- duci de potentia materiæ, non est extrahi ab ipsa, vt sit in ea subiecti- uè; sed tantum est produci ad ex- tra cũ dependentia à materia, quæ concurrat simul in genere causæ materialis, vel mediatè, vel imme- diatè.

64 Secundo, concessa maiori, ne- gat minorem: nam hæc est differẽ- tia inter formam substantialem, & accidentalem; quod forma substã- tialis est proprius actus materiæ, de cuius potentia educitur, & in qua subiectatur immediatè; forma ve- rò accidentalis est actus compositi de cuius potentia educitur. Et hæc doctrina est S. Th. de Spirit. Creat. art. 3. dicentis: *In hoc consistit ratio acci- dentis, quod sit in subiecto; ita tamen, quod per subiectum intelligatur aliquid ens actu, & non in potentia tantum.*

Posset tertio responderi, quod totum compositum est subiectum quod accidentium; de quo subiecto nunc præcipuè curamus; licet ma- teria prima sit principium quo radi- cale accidentium corporaliũ, seu ratio illa recipiendi, vt sumitur ex D. Tho. in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 3. & alijs locis relatis 2. p. Metaphil. Controu. 3. n. 34.

65 Quinto arguitur ex P. Suarez illa disp. 14. sec. 3. n. 13. materia pri- ma habet in se sufficientem entita- tem existentem, & subsistentẽ, qua in se sustineat formas substantiales materiales: ergo etiã vt sustentet, seu materialiter causet quantitã, & alia accidentia. Probatũr conse- quentia; tum, quia non minus, in nõ plus esse videtur sustinere formam substantialem; neque ad id est minus necessaria subsistentia, & existẽtia, vel actualis entitas. Tũ etiam, quia sicut materia dicitur pẽdere à for- ma, ita potest dici pẽdere à quan- titate, quia sine illa conseruari ne- quit: ergo sicut hoc nõ obstat, quo minus materia sustentet formam, ita

ira etiam non obstabit, quo minus sustentet quantitatem. Refert, & impugnat solutiones, quas non approbamus, & ideo in eis defendendis non immoramur.

Comunis Thomistarum solutio est negare, quod arguens supponit, quod materia prima includat aliquem actum; quia est pura potentia; & ideo non potest dare esse accidenti, nisi prius ipsa recipiat a forma substantiali, ut late diximus 1. Physic. q. 6. & 7.

Adhuc tamen, hac admissa doctrina, posset argumentum instaurari; & inquiri, cur materia existens per existentiam formæ, non possit recipere accidentia: Nam potius videtur, quod materia exigens pro conditione, quod sit actuata forma substantiali, sit immediatum accidentium subiectum.

66 Ut respondeatur notandum, quod iam diu M. Astudillo in presertim q. 2. docuit subiectum accidentium materialium esse materiam primam, non secundum se consideratam, sed ut informatur forma substantiali; ita ut informari forma substantiali, se habeat ut conditio necessaria, sine qua non reciperet accidentia. Putat esse opinionem D. Tho. in q. de Anima art. 9. & de Spirit. Creat. art. 3. & 1. p. q. 7. 6. ar. 6. & alibi saepe docentis, quod forma adueniens materię habenti esse substantiale, est accidentalis. In cuius confirmationem sex argumenta proponit M. Bañez q. 10. toto art. 2.

67 Ipsam tamen M. Bañez, cum communi Thomistarum, docet ibi conclus. 4. quod forma substantialis, non

solam est conditio, sed ratio formalis recipiendi accidentia; quia forma est causa formalis existentie materię, & totius compositi: unde cum ratio essendi potissimum a forma sumatur, ab illa etiam esse accidentium orietur, & sustentabitur. Concedimus tamen materiam esse subiectum quo radicale aliquorum accidentium: & ideo dicuntur materialia. Et hoc probant argumenta M. Astudillo.

68 In forma ergo ad principale argumentum, distinguo antecedens, materia habet entitatem per modum purę potentie receptivę actus; concedo: per modum entis communicantis actum; nego antecedens, & consequentiam: cuius probationes diluantur ex doctrina S. Th. 1. p. q. 77. ar. 6. docentis, quod *actualitas per prius invenitur in forma substantiali, quam in eius subiecto: & quia primus est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in suo subiecto. Sed e converso actualitas per prius invenitur in subiecto forme accidentalis, quam in forma accidentali: unde actualitas forme accidentalis causatur ab actualitate subiecti.* Ex quo patet, quod causa materialis forme substantialis, non dat actualitatem, sed recipit: subiectum vero forme accidentalis dat, & recipit actualitatem, licet secundum diversam rationem: *Ira quod subiectum in quantum est in potentia, est susceptivum forme accidentalis; in quantum autem est in actu, est eius productivum, ut ibi subdit S. Tho. & sic cessant ambę probationes consequentie, & approbatur relata solutio, & satisfactum est replicę.*

s. VII.

Quid de potentia absoluta?

69 **Q**Uæ hucusque diximus procedunt ex natura rei. Quod si inquiras, utrum Deus possit tacere quod accidentia subiectæ tur in materia prima, ut in subiecto quod?

70 Respondet M. Bañez q. 9. artic. 1. ad 7. quod si materia nuda sumatur, implicat contradictionē, quod in ea tamquā in subiecto quod accidentia exillant, quia est incapax illorum; sicut Angelus incapax albedinis. Si vero sit actuata per formam substantialem, bene potest fieri, quod sit subiectum quod accidentium: nam ut sic iam existit, & habet aliquod esse. Et de facto materia est ratio recipiendi, & subiectū partiale quo recipiuntur accidentia in cōposito: unde diuinitus potest esse subiectum quod; sicut quæritas, quæ de facto est subiectum quo, per miraculum in Eucharistia est subiectum quod: à fortiori enim id quod competit accidenti, potest conuenire substantiæ. Recolatur scripta 1. Phys. q. 8.

71 Sed & ulterius inquires, utrum diuinitus eadem numero accidentia, quæ erāt in corrupto, possint permanere in genito? Videatur enim quod non; quia diximus 4. Phys. q. 7. n. 41. cū pluribus Thomistis, quos ibi retulimus, non posse idem numero accidens poni in duplici subiecto distincto; eo quod accidens à subiecto indiuiduatur.

72 Respondetur, quod seruato modo cōnaturali indiuiduationis accidentium, ex parte facti repugnat, quod sint eadem numero, & quod eorum sit destructum subiectū. De quo videatur Aegidius Columna Quodlib. 4. q. 9. Si autem diuinitus aliter indiuidentur, sicut accidentia possunt esse sine subiecto; ita quæ præfuerūt in vno, possunt eadem numero conseruari in alio subiecto, iuxta dicta 4. Phys. q. 7. n. 29. & 42. Hæc latius non prosequor, quia quæstiones de potentia absoluta inuitus exagito.

73 Solet hic inquiri, utrum generatio sit in instanti? Sed difficultate caret ex dictis lib. 5. Phys. q. 1. n. 12. & à n. 28. vsque 31. & videatur S. Thomas in 1. dist. 37. q. 4. art. 3.

QVAESTIO XIII.

Quid sit alteratio? & quomodo duplex?

1 **C**APITE quarto agit Philosophus de Alteratione, & in quinto disputat de Augmentatione; cū tamē alteratio terminetur ad qualitatem, & augmentatio ad quantitatem; videtur ordo Philosophi præ posterus, quia quantitas proprius quior est substantiæ, quam qualitas; imo accidentia referuntur ad substantiam media quantitate: & hæc de causa in Prædicamentis ipse Aristoteles prius egit de Quantitate, quam de Qualitate: ergo inconuenienter modo tribuit primatum qualitati.

Respondet bene M. Bañez in cōment.

ment. cap. 4. in fine, quod veteres Philosophi (de quibus mentionē fecimus q. 2. nu. 4.) existimauerunt alterationem, & generationē esse, idem: quare prius oportuit hunc errorem destruere, quam reliquorū motuum naturam inuestigare. Deinde, loquendo de alteratione cōmuniter prout reperitur in spiritualibus, qualitas, ad quam est alteratio, nobiliter accidens est quam quantitas, ad quam terminatur augmentatio. Accedit quod alteratio videtur affinitatem habere cū generatione; eo quod qualitas communiter sumpta, dicit formam qualificantem: in quo conuenit cum differentia, & cum substantia: nam differentia predicatur in *quali*, & pariter substantia, iuxta dicta lib. 2. Logicę q. 25.

3 Prior tamen ratio solidior est, quia licet in Prædicamentis præcipue attendatur ordo subtilitatis quoad aliqua; tamen re vera quantitas inter omnia accidentia corporalia propinquior est substantiæ, vt ex D. Tho. diximus lib. 2. Log. q. 13. in principio; & idē nisi obitaret ratio prædicta; & quia alteratio est dispositio notior quoad nos, non incongruē post generationem substantiale non posset tractari de motu ad quantitatem.

§. I.

Definitio alterationis.

4 **C**um ex dictis, & quotidiana experientia contet dari alterationes: vt quid sint, intelligatur,

notandum, quod sicut differentia essentialis facit *aliud* in essentia diuersum; ita differentia accidentaliter facit *alteratum*, id est accidentaliter distinctum. Hoc, quod generaliter conuenit cuilibet accidenti, peculiariter conuenit qualitati, cuius est alterare, & determinare substantiā, iuxta dicta lib. 2. Logicę q. 25. vnde quilibet motus ad qualitatem terminatus potest dici alteratio.

5 Quia tamen qualitas non alterat substantiam, nisi in quantum hæc patitur: sicut passio accipitur dupliciter, vt diximus libro 2. Phys. q. 8. n. 33. ita alteratio alia est pure perficiens, alia corruptiua, & abiciens. Distinctio est S. Thom. in 1. dist. 37. q. 4. art. 1. ad 2. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. ad 5. vbi ait, quod cū alteratio passiuæ includat in intellectu suo passionē; sicut duplex est passio, ita, & duplex est alteratio: Dicitur enim communiter passio vno modo omnis receptio, secundum etiā quod intelligere pati dicitur: & sic etiā alteratio secundū istam passionē consistit in qualibet variatione circa receptionem alicuius qualitatis. Et hoc modo potest esse alteratio etiam in substantijs pure intellectualibus: & sic alteratio potest esse in charitate. Alio modo dicitur proprie passio, quādo abijcitur aliquid à substantia: & hoc est ex actione contrarij trāsmutantis. Et secundum istam passionem alteratio dicta non est nisi circa sensibilia, &c.

6 Igitur de alteratione duplex circumfertur definitio. Nam M. Bañez cap. 4. q. 2. §. ex his omnibus, ait.

ait, quod *alteratio est motus ad qualitatem manente eodẽ subiecto sensibili*. At verò PP. Carmel. disp. 4. q. 1. nu. 4. definiunt dicentes: *Alteratio est motus substantia completa mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem qualitatem habentem luitudinem cum contrarietate*. Sumitur ex Phyl. text. 23. & D. Tho. lec. 10. & 1. 2. q. 50. art. 1. ad 3. & 7. Phyl. lec. 5. Vel vt ait M. Ioan. à S. Tho. q. 3. art. 1. *Alteratio est motus ad qualitatem sensibilem, mediam, aut extremam*. Quæ definitiones idẽ vocibus diuersis declarant.

7 Per priorẽ particulam cõuenit alteratio cum augmẽtatione, & latione; & differt à generatione substantiali; quia ista est instãtanea mutatio, residens in materia prima; at verò alteratio est motus residens in toto composito. Per subiectum autem sensibile idem cõpositum denotatur; quia materia quauis maneat sub vtroque termino mutationis, non tamen vt ens actu, & substantia completa.

8 Per hoc autẽ, quod dicitur motus ad qualitatem differre ab alijs generibus motuum, qui terminantur ad quantitatem, vel ad locũ. Quia tamen non omnis qualitas terminat alterationem strictẽ sumptam, sed solũ qualitates tertie speciei, ad hoc denotandum aliæ particulæ superadduntur: quia vt ait S. Tho. 1. 2. q. 52. art. 1. ad 3. alteratio primo quidem est in qualitibus tertie speciei; in qualitibus verò primæ speciei potest esse alteratio per posterius; facta enim alteratione secundũ calidum, & frigidum, sequitur animal alterari secundum sanũ,

& egrum: & similiter facta alteratione secundum passiones appetitus sensitiuũ, vel secundum vires sensitiuas apprehensiuas, sequitur alteratio secundum scientiam, & virtutes, vt dicitur 7. Phyl. tex. 20. Hæc ibi.

9 Demum per vltimas particulas excluduntur à ratione alterationis strictẽ sumptæ productio lucis, & figuræ, & aliarum qualitatum, quæ nõ habent cõtrarium. Omnes hæc conditiones ad alterationẽ requisitas, optimẽ cõplectitur S. Th. in 3. dist. 15. q. 2. ar. 1. q. 1. dicens; non quilibet motus est passio, sed solum alteratio, proprie loquendo, vt dicit Phyl. in 1. de Gener. tex. 24. quia in hoc solo motu aliquid à re abijcitur, & aliquid imprimitur, quod est de ratione passionis; motus enim localis est secundum id quod est extra rem, quod est loc⁹ (iuxta dicta lib. 4. Phyl. q. 4.) motus autem augmenti est secundum hoc, quod ex eo quod iam est, scilicet nutrimento, producitur augmẽtatum in maiorem quantitatem. Ad hoc autẽ, quod sit alteratio requiritur ex parte alterati, quod sit res perse subsistens; aliter enim subiectum mot⁹ esse nõ potest: & quod sit corpus; quia solum tale mouetur, vt in 6. Phyl. tex. 32. lec. 5. probatur: & vltèrius, quod habeat naturã contrarietati subiectã; quia *alteratio est motus inter contrarius qualitates*. Ex parte verò terminorum alterationis requiritur, quod vna qualitate expulsa, alia introducatũ; sic enim de qualitate in qualitatem transitur. Hæc omnia S. Thomas.

10 Objicies: nam habitus erroris pertinet ad primam speciem qualitatis, sicut, & scientia cui opponitur contrariè: & tamē nil illi deest vt terminet alterationem; siquidē habet contrarietatem, & potest intendi, & remitti; ac per consequens alterari: ergo non in solis qualitatibus tertiæ speciei est propriè alteratio.

Respondetur primo, ex dictis, istas excludi à ratione alterationis, quia non habent subiectum sensibile corporale. Secundo respōdetur cum D. Thom. lib. 2. de Anima lec. 11. littera. f. quod cum aliquis ab errore reducitur ad scientiam veritatis, est ibi quædam similitudo alterationis, quæ est de contrario ad contrarium; nō tamen verè est ibi talis alteratio: nam alterationi, quæ est de contrario in contrariū, vtrumque per se, & essentialiter cōpetit, scilicet, quod sit à contrario, & quod sit in contrarium; sicut enim dealbatio non est nisi ad albū; ita non est nisi nigro, vel medio, quod respectu albi est quoddammodo nigrum. Sed in acquisitione scientiæ accidit, quod ille, qui acquirit scientiam veritatis, prius fuerit in errore; absque hoc enim potest adduci ad scientiam ve-

ritatis: *Vnde non est vere*

alteratio de contra-

rio in contra-
rium.



§. II.

Diuiditur alteratio.

11 **T**Ria genera, vel tres species subalternas alterationis, cōmuniter distinguunt Authores, præcipuè relati Thomistæ: nempe, alterationem simplicem, intensionem, & remissionem. Pro intelligenda vocum proprietate, notandum, sæpè contingere penuria vocum aliquam speciem eodē vocabulo significari, ac genus immediatum cōmune ipsi speciei, & alijs sibi immediatè oppositis: est vulgare exemplum; nam dispositio diuiditur in habitum, & dispositionē, iuxta dicta lib. 2. Log. q. 26. §. 2. & tamen inter se specie distinguuntur, & dispositio est gen^o ad illas qualitates. Ita pariter in præsentī alteratio, quæ est genus, & vna specierum eodem vocabulo nuncupantur.

12 Ratio ergo diuisionis talis est: nam motus specificantur, & distinguuntur ex terminis, iuxta dicta lib. 5. Phys. Sed qualitas, vel consideratur in prima sui productione quando educitur de potentia subiecti; vel quando post primā productionem transit de imperfecto esse ad perfectum; vel quando è contra ab esse perfecto reducitur ad esse imperfectum. Prima dicitur simplex alteratio; alia vocatur intensio; alia verò est, & dicitur remissio. Cū igitur ali^o stat^o qualitatis nō detur, sufficiens, & adæquata erit relata diuisione. ¶ Cuius species sic definiuntur à M. Bañez c. 5. q. 2. in fin. *Alteratio est motus*

motus ad productionē totius qualitatis de nouo, eodē manente subiecto sensibili. *Intensio* est motus ad esse perfectius præexistentis qualitatis, eodem manente subiecto sensibili. *Remissio* est motus ad esse imperfectus qualitatis præexistentis eodem manente subiecto sensibili. De quibus latius q. 15.

14 Secundo obijcies; quia non producitur qualitas nisi in subiecto; nec in illo nisi intensa, vel remissa, nēpe, vel magna, vel parua: ergo sufficiūt duæ species alterationis; & ideò frustra tres ponūtur.

Respondetur, quod intensio non significat motum ad qualitatem perfectam utcumque, sed formaliter terminatur ad perfectionem, quæ aduenit terminata prima productione: & ideò ultra illā sūt aliæ species iā assignatæ. De quo plura PP. Carn. el. disp. 4. q. 2. à nu. 22. vsque ad 26.

15 Tertio arguitur ad probandum quod dētur plura genera alterationum; nam qualitates extenduntur ad diuersas partes subiecti in formā das; & habitus extenduntur ad diuersa obiecta: & istæ nec sunt simplices alterationes, nec intensiones & remissiones: ergo dantur aliæ species alterationis.

Respōdet M. Ioānes à S. Thoma q. 3. ar. 1. in fine, quod extensio qualitatis ad distinctā partem subiecti, perinde se habet ac nouæ qualitatis productio; & ideò non est motus distinctus à prædictis. Extensio verò habituū est alteratio largo modo, vel sicut est extensio per diuersas partes continui, in sententia, quod

fit per additionem formalem. Vel est additio virtualis, & reducitur ad intensiōem circa inadæquata obiecta.

16 Clari⁹ dici potest ad secūdā partem argumēti, quod eo modo, quo in spiritualibus sunt alterationes, extensio habituum est eius intensio secundum se; aliæ verò sunt intensiōes in ordine ad subiectū: & ideò sub intensiōe vt sic cōprehenduntur; & illa quæ est in ordine ad obiectū, vocatur extensio, seu intensio formæ secundum se; alia vero quæ est in ordine ad subiectum, retinet nomen intensiōis. Quod desumo ex D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. vbi cōcludit, quod dupliciter potest intensio, & remissio in habitibus, & dispositionibus considerari: vno modo secundum se, prout dicitur maior, vel minor sanitas, vel maior, vel minor scientia, quæ ad plura, vel pauciora se extendit: alio modo secundum participationē subiecti, prout, scilicet, æqualis scientia, vel sanitas magis recipitur in vno, quam in alio secundum diuersam aptitudinem, vel ex natura, vel ex consuetudine. Videatur S. Thomas. 1. 2. q. 66. artic. 1. & q. 1. de Virtut. art. 11.

QVAESTIO XIII.

Quæ sint capacia intensiōis, & remissionis?

s. I.

Status quæstionis.

Intensio est qualitatis augmentum, sicut remissio est eius diminutio: vnde ait S. Tho. in 1. dist. 17.

quæst. 2. ar. 1. quod *augeri nihil aliud est quam sumere maiorem quantitatem: unde secundum quod aliquid se habet ad quantitatem; ita se habet ad augmentum.* Diximus autem lib. 2. Logic. q. 14. num. 11. quod in spiritualibus ipsa perfectio dicitur metaphoricè quæritas virtutis; sicut in corporalibus quantitas molis est quantitas dimensio sua. Aduertit autem Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 52. ar. 1. quod augmentum, sicut, & alia ad quantitatem pertinentia, à quantitatis corporalibus ad res spirituales, & intellectuales transferuntur, propter cõnaturalitatem intellectus nostri ad res corporales, quæ sub imaginatione cadunt. Quod ergo in corporalibus est quantitas, in spiritualibus est perfectio, iuxta illud Sancti Augustini 6. de Trinit. cap. 8. & lib. 8. cap. 1. *In his quæ non mole magna sunt, idem est esse maius, quod melius.*

2 Præterea notandum ex eodem D. Thoma ibidem; quod perfectio formæ dupliciter potest considerari. Vno modo secundum ipsam formam; alio modo secundum quod subiectum participat formam. Inquantum igitur attenditur perfectio formæ secundum ipsam formam; sic non dicitur ipsa esse parua, vel magna; puta, magna, vel parua scientia, vel scientia. Inquantum vero attenditur perfectio formæ secundum participationem subiecti, dicitur magis, & minus, puta magis, & minus album, & sanum. Non autem ista distinctio procedit secundum hoc, quod forma habeat esse præter materiam, aut sub-

iectum: sed quia alia est consideratio eius secundum rationem speciei suæ, & alia secundum quod participatur in subiecto. Hæc omnia transcripsi ex D. Thoma, quia clarissimè ab ipso explicantur: & omnibus ad sequentia intelligenda indigemus.

3 Tertio notandum ex dictis libro 2. Logicæ quæst. 12. n. 6. quod non est idem vnam formam esse alia perfectiorem (sive essentialiter, sicut vna species excedit aliam; siue individualiter; & gradualiter, sicut vnum indiuiduum excedit aliud eiusdem speciei) ac esse capacem intensiois, & remissionis: nã ad hoc exigitur, quod vnam, & idem indiuiduum participet speciem quandoque magis, quandoque minus perfectè, vt supponit Sanctus Thomas 1. p. quæst. 93. artic. 3. ad tertium. Ad primum vero sufficit, quod eadem species, vel idem indiuiduum, inuariatum manens, excedat, vel excedatur ab alio; siue in differentia continente speciem, siue in differentia indiuiduali, qua differt ab his, quæ sub eadem specie continentur.

4 Ex dictis elicitur quarto notandum cum M. Conrado 1. 2. q. 52. ar. 1. §. *notat*, & M. Lorca 2. 2. quæst. 24. artic. 4. num. 5. tria quoad præsens debere considerari in formis; nempe habere varios gradus perfectionis sub vna ratione formali specifica, & essentiali, ratione quorum indiuidua eiusdem speciei æqualiter perfecta sunt; ad eum modum proportionalè, quo

species sub eodem genere sunt æquales. Secundo potest considerari, quod formæ possunt accipere augmentum secundum hos gradus post primam productionē: & hoc Philosophi vocant formas *intendi*, & *remitti*. Tertio hinc consequenter provenit quoad modum loquēdi, & modum significandi in rigore dialectico, quod aliquæ formæ possunt prædicari secundum magis, & minus. Nos modo non loquimur de perfectione specifica, & individuali formarum; quam Deus contulit ad pulchritudinem, & ornatum vniuersi: de quarum principio alibi opportunius discretur, nempe disputando de principio in diuiduationis. Sed præcipue disputamus de radice intensiōis formarum.

5 Igitur Durandus in primo distinct. 17. quæst. 6. num. 5. & Lorca num. 6. quos sequuntur multi Recentiores, arbitrantur non oportere, nec posse assignari causam, quare istis formis, potius quam illis, cōueniat intensio, & remissio, quia hoc pronenit ex earū naturis; sed dumtaxat posse assignari causas extrinsecas, quia subiectum aptum est hanc varietatem recipere, & quia est agens potens eam inducere.

6 Addit Lorca rationem probabilem ex parte finis: nam quia substantia pertinet ad primam constitutionem rei, oportuit, vt esset fixa, & inuariabilis. Et pari ratione, quæ substantiæ proxima sunt, vt naturales potentia, quæ quodammo

do etiam ad primam constitutionē rei pertinent.

Subdit num. 7. quod ratio propter quam aliquibus conuenit prædicari secundum magis, & minus, & alijs non; hæc erit: quia magis, & minus denotat essentiā in æqualitatem; & idē non conuenit substantiæ; nec cōuenit formis abstractè significatis, quia abstractum denotat essentiā; conuenit tamen formis accidentalibus, si significetur concretè; quia solum enuntiat accidentalem participationem.

7 Rationes etiam omnes adduci solitas cur substantiæ, quæ de facto existunt non sint capaces intensiōis, impugnat Arriaga disput. 3. sectione 6. vbi concludit, non esse repugnantiam vllam in forma aliqua substantiali intensibili, quæ, & potentias haberet intensibiles, & etiam cæteras passiones (quod ante Arriagam docuerat Ocham, quem citat, & sequitur Biel in 1. dist. 17. q. 6. art. 2. corol. 1.) Quæ tamen de facto dantur non esse capaces, quia nulla est ratio vt multiplicemus eas substantiæ partes; nec mihi alia solidior occurrit hac de re probatio. Ita ille.

8 Altius tamen, & subtilius totū hoc speculatus est Doctor Angelicus, ex cuius doctrina, & Disci-

pulorum eius, sequentes

subijcio conclu-

siones.

§. II.

Substantia incapax intensiōnis.

Dico primo, substantia non est intensibilis, & remissibilis. Sumitur ex Philosopho cap. de Substantia. Et traditur à D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. illis verbis: *Esse substantiale cuiuslibet rei in indivisibili consistit; & omnis additio, & subtractio variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur 8. Metaph. unde impossibile est, quod forma substantialis quacumque recipiat magis, & minus.* Idem habet 1. p. q. 93. art. 3. ad 3. & 1. 2. q. 52. at. 1. & communiter ab omnibus Philosophis recipitur, contra Auerroem, qui 3. de Cælo tex. 67. posuit formas elementorum recipere magis, & minus. Quod esse impossibile probat S. Tho. illa solut. ad 4.

9 Ratio S. Thom. sic in forma proponitur: id quod dat speciem oportet esse fixum, & ut sic in indivisibili consistere: sed forma substantialis dat substantialem speciem: ergo non suscipit magis, & minus: ergo est incapax intensiōnis, & remissionis. Maior patet ex illo octavo Metaphisicæ textu 10. species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio, vel diminutio variat speciem. Minor etiam constat ex dictis lib. 1. Physic. q. 11.

10 Dices, rationem hanc nimis probare, videlicet, quod omnes formæ eiusdem speciei sint æquales in perfectione; & tamen experimur contrarium in quantitibus, & qualitibus, & in ipsis formis substantialibus. Imò adhuc ipsas a-

nimas racionales esse inæquales in perfectione substantiali, docet S. Tho. 1. p. q. 85. art. 7. & in 2. dist. 32. q. 2. art. 3. quod sequuntur ibi Capreolus, & Caietanus dicit esse cæcos, qui hoc non vident: ergo cum indivisibilitate in constitutio speciei, stat intensio, & remissio in forma substantiali.

Respondetur, quod inæqualitas individuorum provenit ex diversitate materiæ, vel ex diverso modo quo forma recipitur in materia; nã ab ista sumitur inæqualitas eorum, quæ sunt sub eadē specie. Cũ quo stat firmam esse maximam assumptionem, quia intelligitur in sensu formali, ut declarat Caiet. 1. 2. q. 52. art. 1. stat enim bene, quod materia liter aliunde habeat latitudinem; sed tamen prout specificam consistit in indivisibili, quia cõstituit speciem, ut ultimum, & terminus; ultimo autem, & termino, ut sic, repugnat latitudo, ut latè profequitur Caiet. & docet S. Tho. Quodl. 1. art. 6. ad 3.

11 Obijcies iterum: nam calor, & albedo, & alia huiusmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud, secũdũ suũ esse specificũ cõsistunt in indivisibili, ratione iã dicta, ut illo art. 1. ait S. Th. & tamen intēduntur, & remittuntur ex diverso modo, quo participantur in subiecto: ergo pariter dici posset de substantia, quod secũdũ suã speciem cõsistere in indivisibili; & tamẽ forma substantialis ex modo actuandi materiã haberet latitudinẽ graduum; & posset intēdi, & remitti.

12 Circa hoc argumentum ad-

uerte, quemdam Neothericum Cōplutensem, illo vti aduersus M. Ioānem à S. Thoma, vt probet longē esse à mēte Angelici Doctoris Thomistæ interpretationem, qui ex eo quod forma substantialis est à qua sumitur species rei, probat substantiam non posse suscipere magis, & minus. Cum tamen dicat S. Thomas; *huiusmodi est calor, & albedo*. Subdit verò Modernus prædictus. Aliter ego non iuratus Thomista, sed Angelico Doctore ex animo deuotus, et corde deditus, etc. mentem Angelici Doctoris interpretor de intentione obiectiua, etc.

13 Hæc, et alia huiusmodi futilia esse, nec apparentem continere difficultatē, facile animaduertet, qui Angelici Doctoris articulum integrum legerit. Primo enim de omnibus formis non specificatis ab extrinseco, docet, quod secundum se non habet latitudinem: *Et huiusmodi sunt calor, & albedo, & alia huiusmodi qualitates quæ non aiuntur in ordine ad aliud. & multo magis substantia, quæ est perse ens*. Priora verba intelligenda de extensione obiectiua, nemo est qui ambigat. Sed ista non citantur à M. Ioanne à S. Thoma; sed totus integer articulus; in cuius medio hæc ait D. Thomas: *Si verò consideremus qualitatem, vel formam secundum participationem subiecti, sic etiam inueniuntur quædam qualitates, & forma recipere magis, & minus, & quædam non*. Huiusmodi autem diuiscatis causam simpliciter assignat ex hoc, quod substantia secundum seipsam non potest recipere magis, & minus, quia est ens perse: & ideo omnis forma, quæ substantialiter

participatur in subiecto, caret intentione, & remissione; unde in genere substantia nil dicitur secundum magis, & minus. Hucusque Sanctus Thomas. Cuius verba, si nouus iste deuotus eius Discipulus legit; mirum est qualiter non retulit, vel legisse dissimulauit: aut cur tanta luce cecutiuit, quod affirmauit, solum maiorum autoritate esse firmum, substantiam non recipere magis, et minus; non verò ad hoc eos aliquam efficacem rationem assignasse? Si legere fastidiuit? Mirum est quomodo ausus est impugnare: inquit enim Sanctus Hieronymus præfat. in Pentateuchum; *legant prius, & postea despiciant, ne videantur, non ex iudicio, sed ex odij præsumptio: ignorata damnare*.

14 Sensus ergo Sancti Thomæ, iuxta germanam Discipulorum eius vnanimem intelligentiam, nempe Caietani, et Conradi, et aliorum ibidem. Bañez hic capite 4. quæstione tertia conclusionem sextam. Patrū Carmelitarū disputatione quarta quæstione secunda. Magistrī Ioannis à Sancto Thoma quæstione quarta articulo primo, est satis planus, quod quotiescūque forma indiuisibiliter se habet ad subiectum, participatio eius latitudinē non habet. Hoc autem interuenire inter formam substantialem, et eius materiam, aut subiectum, probat Sanctus Thomas magis explicans simpliciter rationem, & ei vires addens, cum subdit; *Dubius igitur modis potest contingere, quod forma non participatur secundum magis, & minus. Vno modo, quia participas habet speciem*

ei^{us} secundum ipsam: & inde est, quod nulla forma substantialis participatur secundum magis, & minus. Et propter hoc Philosophus in 8. Metaph. textu 10. dicit, quod sicut numerus non habet magis, neque minus, sic nec substantia, quæ est secundum speciem, idest, quantum ad participationem formæ specificæ; sed siquidem, quæ cum materia, idest, secundum materiales dispositiones inuenitur magis, & minus in substantia.

15 In hac ratione S. Thomæ dicit Caietanus esse sermonem de specificatione subiecti, non in tali, aut tali specie; sed simpliciter; quod solum inuenitur in forma substantiali; ceteræ enim specificant secundum quid. Vnde solutum manet penitens argumentum, quia formæ illæ accidentales, & specificant secundum quid, & per accessum ad extrinsecum latitudinem habent, quædam in ordine ad subiectum, aliæ per accessum maiorem, vel minorem ad specificationem extrinsecum: à quibus omnibus libera est substantia, quæ est ens perfecte: & ideo non suscipit magis, & minus. Tres alias rationes conclusionis assignat Toletus quæstione quarta.

16 Dico secundo, substantia, proprie loquendo, capax intensiõnis, & remissionis, implicat contradictionem. Colligitur ex dictis, quia nulla est imaginabilis substantia, cui non debeat esse perfecte; hoc enim esse illi essentiale diximus lib. 2. Logic. q. 9. Sed eo ipso, quod sit perfecte non habet extrinsecum per ordinem ad quod, seu per accessum ad

quod, habeat magis, & minus; nec per hoc, quod forma substantialis respiciat materiam, intrinsecè recipit magis, & minus, ut quandoque sit maior, quandoque sit minor eadem perseverans: ergo non restat modus quo forma substantialis intendatur. Vnde sequetur contradictio, quod perfectio adueniens esset substantialis, ut supponitur; & non esset substantialis; quia non daret primum esse simpliciter. Et sicut implicat materia prima intensibilis, quia est subiectum primum; ita repugnat forma substantialis suscipiens magis, & minus, quia est primus actus, constituens, & dans esse simpliciter: seu, ut ad intentum ait S. Thom. quæst. de Virtut. art. 11. *quia dat esse substantiale.*

17 Obijcies, multos opinari eadem materiæ posse dari duas substantiales formas: ergo pariter possunt dari eidem formæ diuersi gradus perfectionis substantialis successiue, ut sit quandoque maior, quandoque minor.

Potest argumentum retorqueri. Primo, nam probabilior, & communior Thomistarum opinio affirmat implicare contradictionem plures formas substantiales eandem informare materiam.

18 Secundo, quia & si nos oppositum iudicemus probabile; tamen diximus 2. p. Metaph. Controu. 16. n. 113. implicare contradictionem, quod forma substantialis uniatu^r composito substantiali; quia esset unio substantialis, & non substantialis, sed accidentalis. Quod pariter dicendum de incremento for-

mæ substantialis: nam ex vna parte esset incrementū purè extrinsecū ex parte accidētū; & ex alia parte ponitur esse intrinsecū: quod repugnat post cōstitutū esse perfe. Habere autem perfectius esse, vel perfectiorem uatum accidentalem, non sufficit ad intensiōem propriè dictam formæ substantialis. Sed quid quid circa hanc conclusionem teneatur; nullum est fundamentum, vt de priore conclusione dubitetur: & ideò de illius ueritate præcipuè curamus.

§. III.

*Etiam quantitas intensiōis
incapax.*

19 **D**ico tertio, quantitas continua, & discretæ, non est incapax intensiōis, & remissionis. Ita S. Th. 1. 2. q. 52. ar. 1. & priorè partē probat dicens: *Quia quantitas proprie qua est substantia; & figura etiam consequitur quantitatem; inde est, quod neque etiam in istis dicitur aliquid secundū magis, & minus.* Cuius rationis sensus est, quod quantitas ex propria ratione habet extendere partes substantiæ, in xta dicta lib. 2. Logicæ q. 13. & 14. & inde habet, quod sit prima eius dispositio, & quod omnia accidentia corporalia referantur ad substantiam media quantitate; & quod hæc sit subiectū quo omnium illorum, vt ait S. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. ergo est incapax intensiōis, & remissionis. Probatur cōsequentiā: nam intensio in hoc differt ab extensione, quod in ista, id quod additur, est in diuersa parte subiecti: at uerò intensio petit,

quod perfectio, vel additio, quæ sit ad formā, sit in eadem quasi parte; & respectu huius quantitas est incapax incrementi: ac per consequens est incapax intensiōis. De quo plura Soncinas 8. Metaphil. quæst. 27.

20 Occurrit tamen M. Lorca 2. 2. vbi sup. n. 6. dicens: de quantitate nonnulli affirmant expertem esse intensiōis, & remissionis, quia proxima est substantiæ. Sed ego puto idem cōtingere quātitati, quod contingit formis, quibus conuenit intensio, & remissio; licet alio nomine appelletur, non intensio, & remissio; sed *extensio, augmentum, & diminutio.* Nam intensio formarum est intra propriam entitatem maiorem rem perfectionē acquirere: & hoc ipsum cōuenit quantitati; nam propria ratio quantitatis extensio est; atque adeò magis extendi est magis perfici. Hæc ille.

21 Cæterum falsum omnino est, quod motus augmenti, & intensio solis uocibus differant: imò sunt motus genere diuersi ex terminorū diuersitate, vt constat ex Phyl. sopho 5. Phyl. & ex dictis hic q. 13. Laborat etiam in æquiuoco nō distinguens quantitatē mollis à quantitate uirtutis: quæ tamen solum analogicè conueniunt in ratione quantitatis, vt iam dictum est n. 1. Denique euasio ista bene præcluditur Opusc. 48. apud D. Tho. trac. 2. c. 4. vbi ita dicitur: Non solum autem de quantitatibus sic consideratis; sed simpliciter loquendo de Quantitate (vt linea, superficies, & corpus) uerum est, quod nō sufficit

cipit magis, & minus. Cuius ratio est, quia perfectio, & imperfectio quātitatis est secūdū maiorē, vel minorē extēsiōē, secūdū quā ali quid dicitur maius, aut minus: non autem maior, vel minor extēsiō est causā sufficiens, quod aliquid dicitur magis, vel minus; quia nō dicitur esse secundum extēsiōem; vt patet in alijs formis, in quib⁹ est extēsiō, & non intēsiō; sicut in formis inanimatorum, & brutorū, quorum formæ sunt extēsiæ, & nō dicuntur secundum magis, & minus. Hæc ibi.

22 Secunda pars cōclusionis traditur à D. Thoma illo art. 1. docente, quod formam non participari secundū magis, & minus, alio modo potest contingere ex hoc, quod ipsa indiuisibilitas est de ratione formæ: vnde oportet, quod si aliquid participet formā illam, quod participet illam secundum rationē indiuisibilitatis. Et inde est, quod species numeri non dicuntur secundum magis, & minus, quia vnaquæ que species in eis constituitur per indiuisibilem vnitatem. Et eadem est ratio de speciebus quantitatis cōtinuæ, quæ secundum numeros accipiuntur, vt bicubitum, & tricubitum: & de relationibus; vt duplum, & triplum: & de figuris, vt trigonum, & tetragonum. Et hanc rationem ponit Aristoteles in Prædicament. cap. de Qual. Videantur quæ diximus lib. 5. Phys. q. 1. §. 4. & quæ de relatione, & sex vltimis prædicamentis scribunt PP. Carmelit. hic disput. 4.

quæst. 5.

§. III.

Quenam qualitates sint intensibiles?

23 **L**oquendo de intensiōe physica, iam diximus, quod perse primo solum est in qualitatibus tertiæ speciei. Sed quia modus augmenti, & intensiōis communis est qualitatibus spiritalibus, & supernaturalibus, iuxta illud ad Phylip. 1. *Oro vt Charitas vestra magis, ac magis abundet.* Et Apocal. vlt. *Qui iustus est, iustificetur a huc.* Ideo sic generaliter loquendo de intensiōe, vidē dum quibus qualitatibus conueniat?

24 De habitib⁹, & virtutibus notum est esse qualitates capaces intēnsionis, & remissionis: & id experimur in scientijs, & artibus: experimur item qualitates aliquas tertiæ speciei esse aliquando intensas, aliquando remissas, vt calorem, & frigus; colorē, & raritatē, & sic de alijs. Quare duo manent dubia; alterum, an etiā propriæ passiones sint capaces intensiōis; & remissionis? & aliud, cur potius istæ, quam illæ qualitates secundæ, & tertiæ speciei sint capaces intensiōis? Nam qualitates quartæ speciei iam exclusimus ab intensiōe, & remissionē.

25 Dico quarto, aliquæ propriæ passiones sunt, quæ non suscipiunt magis, & minus; aliæ verò quæ latitudinem admittunt, & sunt capaces intensiōis, & remissionis. Ita Caiet. 1. 2. q. 5. 2. art. 1. in fine. Alber

tus Magnus tract. 2. de Differentia cap. 2. Astudillo hic q. 7. concl. 4. quos omnes refert, & sequitur M. Bañez hic cap. 4. q. 3. concl. 7. (vnde non videntur ipsum legisse; qui pro sententia Caietano opposita retulerunt) PP. Carmel. disp. 40. q. 4. n. 40. M. Ioann. à S. Tho. q. 4. art. 1. post secundam conclus. & alij. Et in re videtur consentire Suarez disp. 46. Metaph. sec. 2. nu. 12. licet dicat esse incertum.

26 Et prior pars patet: nam intellectus, & voluntas, & alia potestatis, quæ consequuntur immutabiliter substantias, propter propinquitatem cum ipsis non suscipiunt magis, & minus, sicut nec ipsæ substantiæ. Et ideo Opusc. 48. apud D. Thomam tract. 2. c. 4. in medio dicitur, quod forma substantialis vni formiter se habet in omnibus generabilibus eiusdem speciei. Et idem, & eodem modo potest concludi de proprijs passionibus, quæ simul cum subiecto producuntur, & subiectum respectu earum aliquomodo se habet actiue, vt supra dictum est. Tamen igitur formæ substantiales, quæ propriæ passiones, & quia agens ad eas producendas non se habet diuersimode; & quia subiectum eas recipiens semper eodem modo est dispositum; ideo non suscipiunt magis, nec minus.

27 Secundam partem probat Caietanus: nam aliquæ propriæ passiones consequuntur subiectum mutabiliter; & sic nihil prohibet eas suscipere magis, & minus, vt durum, & molle; nam alteratione facta fit magis durum, aut magis molle: cõ-

stat autem, quod esse durum est passio ferri, vel lapidis; & esse molle est passio ceræ, vel butyri: & hæc aliquando duriora, aliquando molliora sunt.

28 Alia exempla subiicit Bañez: nam esse coloratum est passio corporis mixti; & tamen color corporum mixtorum intenditur, & remittitur. Qualitates item, quæ sunt elementorum proprietates, experimur intendi, & remitti, vt frigiditatem, & siccitatem terræ. Et certissimum est, quod propriæ passiones accidentium, quæ possunt intendi, & remitti, etiam ipsæ sunt capaces intensiõis, & remissiõis: nam intensa, & remissa essentia albedinis, necesse est vt eius passio intēdatur, & remittatur; & sic albedo minus intensa minus disgregat visum.

29 Dico quinto, qualitates omnes de quarum ratione non est indiuisibilitas, vel indiuisibiliter à subiecto participari, possunt intendi, & remitti. Ita S. Thomas locis relatis: & patet inductione in habitibus, & dispositionibus, in sciētijs, & virtutibus, quas hoc modo intendi, & remitti constat. Item primas, & secundas qualitates hoc modo intēdi, & remitti experimur. ¶ Ratioque est facilis: nam accidentia sunt entis entia; & ideo essentialiter dicunt ordinem ad subiectum; quod quandoque, vel ex se, vel ex contrarijs dispositionibus, vel in determinatione, & minori virtute, potest esse actuatam forma perfectè, vel imperfectè.

30 Dico vltimo: qualitates, quæ non specificantur ab extrinseco,

seco, non possunt secundum se intendi, & remitti: secus vero, quæ ab extrinseco specificantur. Ita Sãctus Thomas 1. 2. quæst. 52. artic. 1. quod egregiè ibi declarat Caietanus, & sequuntur omnes Thomistæ, & alij Expositores. Prior pars patet, quia vt sic nil habet variabile; cum specificans sit intrinsecum, & vt sic inuariabile: vnde calor, & albedo secundum se non recipiunt magis, & minus, sed solum secundum diuersam participationẽ subiecti. Quod non est dicere, quod in subiecto ipsa forma non perficiatur; sed quod radix huius variationis non est a forma secundum se, sed à modo participandi in subiecto, vt notat S. Thom. 1. 2. q. 53. artic. 2. ad 2.

31 Secunda pars etiam est manifesta, nam qualitatib⁹, quæ specificantur per ordinem ad extrinsecũ, conuenit latitudo secundum se ipsas; & ideò possunt secundum se ipsas diuersificari, & in plus, & in minus, quia possunt magis, vel minus accedere ad illum terminum. Et hæc etiam vocatur extensio qualitatis ad noua obiecta: de quibus latius Authores relati.

QVAESTIO XV.

Verum qualitatum intensio fiat per additionem?

1 Celebris est hæc quæstio, & propter difficultatem, quã semper experimur in quidditatibus rerum, & modis earum perscrutandis; & propter Doctorum dif-

cordiam, & varietatem in re ipsa, & in mente D. Thomæ explananda; & ideò quæstio diligentius pro nostro modalo est disputanda. Ne autem multitudo sine ordine, confusionem pariat; ad duas capitales omnes sententias reducemus, & vnãquamque in varios dicendimodos subsceabimus.

§. I.

Additio qualitatis variè defenditur.

2 **M**ulti affirmant intensiorem qualitatum fieri per additionem qualitatis ad qualitatem. Ita Scotus in 1. dist. 17. q. 3. & 4. & in Quodlib. quæst. 20. Aureolus in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. & ibi Gregorius Arimino, & Alfonso Toletanus, Ocham, & Gabriel Biel quæst. 6. & 7. Niphus 8. Metaph. disp. 11. cap. 3. Suarez disp. 46. Metaph. sec. 1. & 3. Vazquez 1. 2. disp. 82. cap. 3. & 4. Lorca 2. 2. sec. 3. disp. 14. & ibi Malderus. Toletus 1. de Generatione cap. 3. quæst. 4. Rubio, & Huttado, qui disput. 5. sec. 4. inquit, quod in hanc conspirarunt hac temporestate vniuersi Theologi, ac Philosophi, si à paucis Thomistis discedas.

3 Quia tamen non facilè percipitur qualiter in eadem parte subiecti plures formæ accidentales solo numero distinctæ possint relidere, & facere vnum ens perse; ideo est inter authores huius sententiæ acerbellum, & magnum dissidium in natura graduum, seu formarũ, quæ adduntur, explicanda. Quod non debz

debemus speculationi Recentiorū (vt aliqui eorum in vanum gloria tur) sed multis retro sæculis iam erat magna partium contentione disputatum, vt patet in multis Antiquorum sententijs, quas circa hoc refert, & impugnat late, & subtiliter Gerardus Senensis in. 1. dist. 17. q. 2. per sex primos articulos.

Sed quod præcipue modo inter hos authores cōtrouertitur est, an formæ partiales, seu gradus, qui adduntur in intensiōe, sint inter se similes, eiusdemque rationis, & homogenei; an vero dissimiles, & diuersæ rationis, & heterogenei? & an sint inter se subordinati; vel non?

4. Formas, seu gradus esse eiusdem rationis, & homogeneos, expresse docuit Biel illa q. 7. art. 1. & Nilphus vbi supra cap. 4. & latius Vazquez illa disp. 82. cap. 6. & Rubio trac. 3. q. 5. citas fere omnes, qui pro principali sententiā relati sūt; sed nō omnes fauēt. Sequitur Arriaga disput. 3. sec. 3. dicens cōmunem inter Recentiores, quāuis illorū probationes inefficaces sibi videātur. Malderus 2. 2. q. 24. ar. 5. idem tener. Expresse etiam Vazquez. n. 26. & Rubio n. 157. & 158. negant graduum subordinationem.

5. Gradus vero esse æthereogeneos, & subordinatos, docuit Aureolus prædicto artic. 2. latius Suarez illa sec. 1. n. 38. & 39. Hurtado disp. 5. sec. 2. & Coninch. 2. 2. disp. 22. dub. 3. n. 34. Lorca 2. 2. sec. 3. disput. 14. indubio appēdice, retractās oppositam sententiā, quam docuerat 1. 2. sec. 3. disp. 12. Hanc sequi-

tur Cabero trac. 1. disp. 5. dub. 3 & alij.

6. Rursus Ripalda lib. 6. de Ente super. disp. 129. sec. 1. n. 19. ait, quod intensiō fieri potest per gradus similes, & æquales; quamuis re ipsa fiat per dissimiles. ¶ Alij Neotherici ponunt qualitates supernaturales fieri per gradus similes; naturales vero per dissimiles. Alij vero è contra.

7. Demū alij dicunt, quod ex gradibus alij sunt similes, alij dissimiles; alij subordinati, alij non subordinati, & quod subordinatio graduum nō infert illorum inæqualitatem.

8. In alio etiā pūcto est inter hos authores dissidium: nam Vazquez n. 27. contendit partes intensiōis nō vniri termino aliquo indiuisibili. Suarez vero sec. 4. n. 9. & alij frequenter ponūt indiuisibilia terminatiua, & cōtinuatiua, quib⁹ gradus terminentur, & copulētur. ¶ Quæ omnia ideò retuli, non solū vt de omnibus lectorē instruerē; sed vt appareat hęc sententiā nō esse adeo facilē, vt à nonnullis iactatur; siquidem in ea exponenda tot sciantur scopuli, & tot difficultatum anfractus inuoluuntur.

§. II.

Authores, & modi expl. cādi sententiam negatiuam.

9. Quamuis negatiuæ sententiæ, Recentiores opponant obcuritatem, & solitudinem, & falsitatem; ab omnibus his vindicatam vere

vere, & fideliter dare conabor. Igitur quod intēio qualitātū non fiat per additionem qualitatis ad qualitatem, seu gradus superueniētis ad gradum præexistentem, hi omnes docent. Ex nostris Ioannes de Neapoli Variarum q. 4. punc. 1. §. 3. & latē Capreolus in 1. distinc. 17. q. 2. Caiet. 2. 2. q. 24. art. 5. & 1. 2. q. 52. ar. 2. ibi Conradus, Medina, & Martinez, & Serra. Araujo 2. 2. q. 24. ar. 5. dub. 2. ibi Bañez, & 1. de Gener. c. 4. q. 5. Altudillo q. 9. Soto 4. Physic. text. 84. & in Logica c. de Qualitate. Flandria 8. Metaph. q. 4. Soncinas q. 21. & 24. labellus q. 6. & Aquarius, & Zanardus 8. Metaph. q. 10. Ioannes à S. Thoma hic q. 4. art. 2. & 2. 2. q. 24. disp. 15. artic. 1. Melchior Coronado 1. de Gener. q. 8. Hyacinthus Choquetus lib. 1. de Gratia disp. 19. per tria capita. *Ceterique alij Discipuli Sācti Doctoris, tam antiqui, quam iuniores, vt testātur PP. Carmel. disp. 4. q. 8. num. 99. Et quoad sententiam negatiuam, etiā consentit Durandus in 1. dist. 17. q. 7. licet in modo defendendi discrepet à Thomistis.*

10 Ex sacra Familia S. P. Angustini Aegidius Columna *Quodlib.* 2. q. 14. & 1. de Gener. q. 18. & 23. & in 1. dist. 17. cuius sententiam, & dicendi modum acuratē defendit eius fidissimus assecla Gerardus Senensis in 1. dist. 17. q. 2. art. 7. & sequentibus. Sed omnino sententiā, & nostrum dicēdi modum iam diu docuit Thomas Argentinas in 1. distinct. 17. q. 2. art. 2. & Iacobus Viubiensis *Quodlib.* 2. q. 2. & modo docet Aragon 2. 2. q. 24. artic. 5. di-

cens *verissimam*. Deinde ex PP. Societatis P. Gregorius de Valentia ibi punct. 3. concl. 4. Fauet apertē S. Bonau. in 2. dist. 27. art. 2. q. 2. Hēricus *Quodlib.* 14. q. 3. & *Quodlib.* 5. q. 5. & in summa ar. 66. q. 2. Gothfredus *Quodlibet.* 7. q. 7. Pefantius 2. 2. q. 24. artic. 5. disp. 1. concl. 2. & Montelinos vbi infra, & alij. Videat ergo equus censor, an sola incedat opinio, tot strenuum militū armis valata, & argumentis armata, & munita; & tantorum Doctōrum auctoritate ornata, & protectā? Præterquam quod ostēdemus esse S. Thomæ, qui pro decem millibus computatur.

11 Nec est quod alij de claritate glorientur; cum diuinū S. Thomæ ingenium, priorem opinionem referens, in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. ingenū fateatur, & dicat: *primam autem positionem non possum intelligere*. Si Doctōr Angelicus intelligere non valet; credemus ne gloriātibz se cuiusdam habere? Verius dicemus cum eodem S. Doctōre ipsorū positionem *ex falsa imaginatione* procedere.

12 Imo adeo varia sunt hominū iudicia, quod opinio S. Thomæ, tā inuisa Recētioribz, adeo fuit grata eximio Doctōri Primario Complutensi Ludouico Montelinos to. 1. 1. 2. disp. 34. q. 3. vt n. 57. dicat: *Ex diēctis autem sequitur, quod nec p. r. potentiam Dei absolutam possit intelligi intēdi habitus per additionem realem: nam supposito, quod indiuiduatio intrinseca accidētis est per ordinem ad subiectum, implicat esse distinctionem indiuidualem inter duo accidentia eiusdem*

eiusdem speciei, & in eodem subiecto. Hæc ille. Nos nolumus potentiam Dei immensam, & in perscrutabilem nostris rationibus metiri, quia alium modum indiuiduandi posset Deus accidentibus conferre. Sed vt Naturalis Philosophiæ tractatores, rerum essentias, & modos earum inuestigare conamur, iuxta id quod modo eis conuenire experimur.

13 Licet in reijcienda priore sententia omnes Authores relati conueniant, non tamen in propria opinione declaranda omnes concordant. Dicunt ergo quidam maiorem radicationem fieri per destructionem qualitatis imperfectioris, & aduentum perfectioris. Ita Durandus illa q. 7. à n. 25. vsque 40. Gothofredus vbi supra, & alij antiqui.

14 Secundus modus dicendi est Aegidij, sed quia variè intelligitur, placet ipsius verbis eum proponere: inquit ergo *Quodl. 2. q. 14. Forma igitur intenditur, & remittitur secundum subiecti dispositionem, & secundum gradus in esse, non autem secundum gradus in essentia.* Quod prosequitur ibi, & 1. dist. 17. q. 4. & 5. vbi Gerardus q. 2. art. 7. nouem deductis in conuenientibus, intendit probare formam accidentalem non augeri in sua essentia. Et art. 9. ait, quod illud esse, secundum quod forma accidens talis augetur, non est aliud quam participatio illius formæ in subiecto: & est effectus formalis ipsius formæ; seu est quidam modus subiecti statim sub forma. Quod quinque rationibus probare conatur.

15 Tertius dicendi modus est,

quod formæ essentia est simplex, & inuariata; verificatur tamè ipsam intèdi, quia successiue actione agens perdit existentiam, seu inesse imperfectum, & acquirit aliud esse perfectum. Tribuitur Astudillo dicta q. 9. & re vera docet Capreolus q. 2. ad argumenta Gregorij contra 5. pag. mihi. 323. dicens, licet vnum esse sit dissimile alteri; tamè forma, quæ successiue habet talia dissimilia esse, augetur, & fit maior, quam prius; quia licet sint dissimilia; non tamen specificè, cum non sint sub aliqua specie, sed sint modi specificæ rationis, quorum vnus est alio perfectior, & perfectior continet imperfectiorè, & vltra. Et paulo ante dixerat: quod quia vnum esse est perfectius quam aliud: *unde adueniens re vno esse desinit aliud.*

16 Quarto, omnes alij Authores nostra sententiæ supra relati, expressè ponunt intensiorem fieri per additionem perfectionis realis, absque corruptione formæ, vel existentie præexistentis; sed vel noua terminatione, vel nouo modo, aut quouis alio nomine vocetur. Vnde Coquetius cõc. 5. dicit, *hoc esse commune inter Thomistas, & in S. Doctoris sententia omnino certum.* Quomodo autem modus, seu perfectio ista superaddita sit intelligenda? infra exponetur quæst. 16.

17 Denique (vt nihil prætermittamus) refert Cabero Thomistarum nomine sententiam, quæ dicit nihil de nouo per alterationis intensiorem motum prodaci; sed ipsam qualitatem sine additione modi magis radicari, quia & si sit entitatiue indiuisibi-

uisibilis, propter virtuales diuisibilitatē, potest terminare motū alterationis: ita vt istæ qualitates habeant veluti sinus, seu explicaturas; & interdum quasi explicantur intensione, & interdū remissione quasi cōplicatur: ad quæ præstanda qualitas modis superadditis non eget; sed quasi applicatione, vel cōnotatione agētis, vel actus. Hūc dicēdi modū tribuit D. Th. qui in 1. dist. 17. q. 2. a. 2. ait; *quādo charitas augetur, nil ibi additur.* Et Caiet. 1. 2. q. 52. ar. 2. dub. 2. dicenti, quod quando qualitas intenditur *nulla interuenit corruptio.* Et ait Cabero, tenere non infirmæ notæ Thomistæ. Sed vellem vt proprijs nominib⁹ notaret, quia ego nullum, ex his qui lucubrationes suas typis mādārūt, inueni, qui expresse ita teneret: nam de vtroque Thoma euentissimè ostendam ab hoc dicēdi modo lōgissimè distare. Vnde Mōtesinos. n. 63. notauerat, immerito hunc modū dicēdi tribui Caietano. Et n. 68. ait, quod per intensiōnem *non produci aliquid reale S. Thomas neque somniauit.* Aliqualiter videtur fauere Soci nas 8. Metaph. q. 21. §. & *ideò*, et in fine corporis. Ipse tamen se declarat ad 1. & 2. ita vt solum neget additionem realitatis, non vero additionem modi. His de mente Doctorum præmissis, iam de re ipsa procedat disputatio.



§. III.

Impugnatur intensio per additionem gradus ad gradum.

18 **D**ico primo, intensio non fit per additionem partialis qualitatis, seu per additionem gradus ad gradum. Ita Philosophus 4. Phys. textu 84. vt refert, & ad nostrum intentum applicat S. Thomas ibi lec. 14. littera. K. & 1. 2. q. 52. ar. 2. in arg. *Sed contra.* Et in 1. dist. 17. q. 2. artic. 2. quæ autoritas Philosophi, quia variè à Recentioribus eludatur, diligenter à PP. Carmel. ponderatur disp. 4. quæst. 8. §. 2. ibi videatur.

Conclusio nostra est expressa S. Thomæ locis relatis, & q. 1. de Virtutibus art. 11. & 2. 2. q. 24. art. 5. & sæpissimè alibi, vbi docet intensiōnem qualitatum, non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem: sed gradus qualitatis, qualitas est: ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum.

19 Respondent Lorca n. 10. vsq; ad 15. Hurtado, & alij, quod S. Thomas non negat omnem additionē; sed solum additionē qualitatis cōpletæ. ¶ Secundo, solum intendit, quod forma non perfe fit, sed compositum; & ideò non additur forma in abstracto; sed solum concretū fit magis calidū addita parte caloris in subiecto.

Harum, & similibus solutionum difficultatem bene præuiderūt Authores primæ sententiæ: è quibus Vazquez n. 18. ait, quod S. Thom.

in nostram sententiam *vehementer in-
tiner.* Et Sua. ez. sec. 3. n. 5. postquã
tentauit S. Thomam in suam per-
trahere sententiam, videns hoc An-
gelico Doctore non congruere: sic
demum ingenuè fatetur, quod dif-
ficile talis expositio ei accomode-
tur. Et videndus Salas. 1. 2. trac. 10.
disp. 4. sec. 4.

20 Nec video qualiter ab eo,
qui S. Thomam sincere legerit, pos-
sit de mente eius dubitari. Primo,
quia eam additionem rejicit, quam
alii Theologi, & Philosophi in intē-
sione fieri ponebant, vt ipse ibi re-
fert. Sed nullus opinatus est in intē-
sione manere duas qualitates tota-
les; alioquin non esset intensio, sed
qualitatum coaceruatio: ergo qua-
litatum partialium additionem S.
Thomas excludit. ¶ Secundo, in
augmento quantitatis non additur
noua quantitas totalis, sed solum
partialis; & tamen S. Thomas con-
tendit istos falso imaginari intensio-
nem fieri additione, sicut fit augmē-
tum corporale: ergo etiam additio-
nem qualitatis partialis vult exclu-
dere S. Thomas. Minor constat ex
D. Thoma illa dist. 17. dicente: *Sed
ista positio prouenit ex falsa imaginatio-
ne, quia a. g. m. e. u. m. Charitatis imaginati
sunt ad modum augmenti corporalis, in
quo fit additio quantitatis ad quantita-
tem.*

21 Tertio, S. Thomas talem ad-
ditionem formæ negat, quæ sufficiat
vt dicatur non addi quantitatem
formæ, sed solum maiorem eius ra-
dicationem in subiecto: sed gradus
formæ est quantitas eius virtualis:
ergo additionem gradus negat. Ma-

ior patet ex illo art. 2. 1. 2. ad 2. &
3. & ex illo art. 5. 2. 2. vbi ait, quod
forma esse maiorem, est eam magis inesse
susceptibili; non autem aliam formam ad-
uenire; hoc enim esset, si forma haberet ali-
quam quantitatem ex se ipsa non compara-
tione ad subiectum.

22 Secunda solutio parum habet
apparientiam; alioquin S. Thomas so-
licitus de solo modo loquendi, ex
professo disputans de qualitatum
intensione, propriam mentem nun-
quam explicuit, cum tamen alio-
rum sententias impugnauerit. De-
inde, cum pro hac parte tot extent
S. Thomæ testimonia; & quæ in op-
positum citantur, solum probent
alias conclusiones, & huic nec su-
perficietenus opponantur; hæc am-
pletenda est vt indubitata S. Tho-
mæ. Quæ, & habetur Opuscul. 48.
apud D. Thomam tractatu 2. cap.
4. in fine, vbi expresse dicitur: *non ta-
men est intelligendum, quod cum vna for-
ma intenditur, quod augetur per aduio-
nem gradus ad gradum, & c.*

23 Aliam euasione[m] excogita-
uit Ripalda vbi supra. n. 18. dicens,
quod additio gradus ad gradum in-
tendens virtutem, dupliciter potest
intelligi: vno modo vt gradus intē-
dens soli vniatur gradui præceden-
ti intēso, quin subiecto immediate
insit; altero vt gradus intēdens, nō
solum gradui præexistenti, sed etiã
subiecto addatur vniatur ve. Igitur
S. Thomas priorem solum additio-
nem negat; non vero posteriorem.
Quod conatur deducere ex verbis
S. Thomæ relatis. n. 21.

24 Minus valet hæc solutio, quã
præcedentes. Primo, quia ostendi.

2. p. Metaph. Controu. 3. n. 80. nulum accidens esse subiectum quod alterius accidentis : vnde etiam si additio esset nouæ formæ accidē talis, nō esset prior subiectum quod subsequēntis: quod autē esset subiectum quod non tolleretur ambo immediate esse in substantia vt in subiecto quod. ¶ Secundo, hac admisa doctrina, vel saluatur intensioem fieri per additionem formæ; vel non? Si primum; quomodo S. Tho. illam positionē reiecit? Quomodo omnia, quæ ex ipso adduximus verificantur? Qualiter rationes ex ipso adducendæ efficaces inueniuntur? Manet ergo certum mentē S. Thomæ eius Discipulos fuisse assequutos.

25 Ratione probatur primo, ea quæ proponitur à D. Thoma in 1. dicit. 17. q. 2. artic. 2. in arg. *sed contra.* Si qualitas augetur per additionem gradus ad gradum, sequitur, quod qualitas intensa sit imperfectior quam remissa: sed hoc est falsum; imò & *ridiculum*; quia sic minus esset eligenda charitas intensa, quam remissa; & imperfectior esset calor, quo intensior: quæ nullus admittet: ergo intensio nō fit per additionem gradus ad gradum. Probatur maior ex recepta doctrina S. Dionys. 5. cap. de Diuin. Nominib. quod *participatio Dei, quanto simplicior est, tanto nobilior*; quia magis assimilatur Deo, & est actualior. Sed qualitas remissa, vt vnum, est simplex, qualitas verò intensa, vt duo, est composita: ergo perfectior erit qualitas remissa, quam intensa.

26 Dices, quod si qualitas superueniens non adunaretur cum præexistente, bene probaret argumentum, quod qualitas intensa esset imperfectior, quam remissa: cæterum cum ambæ adunentur, & faciant vnā maiore qualitatem, non est cur maior non sit perfectior minore.

Sed contra primo; quia non facile explicatur qualiter ex duabus qualitatibus fiat vna qualitas. Non enim vniuntur per cōiunctionem; cū non sint quātitates, nec resideant in diuersis partibus subiecti. Nec vniuntur per cōpositionem; eo quod vna non habet rationem materiæ, & potentia respectu alterius. Nec potest excogitari, quod vna pars identificetur cum alia, vel in eā trāseat; cum possint separari: ergo nō possunt ad inuicem vniri.

27 Secūdo, quidquid sit de vnione, nil virium minuitur argumēti: quia materia, & forma vniuntur, & componunt vnum totum; & tamē sunt quid imperfectius, quam esset vna substantia simplex, vt est substantia Angeli: ergo si qualitas intensa est perfectior, remissa est qualitas simplicior: quod est inconueniens: nam licet, vt ait S. Tho. 1. p. q. 3. art. 7. ad 2. *Apud nos composita sint meliora simplicibus*: quia plures perfectiones participant: tamē quælibet forma, & perfectio, quo melior, eo simplicior, vt potē actui puro propinquior.

28 Secundam, & principale rationem his verbis proponit S. Thomas quæst. vnica de Virtut. art. 1. 1. Nam non potest intelligi additio vnus ad alterum, nisi præintellecta

daalitate. Daalitas autem in formis vnius speciei non potest intelligi, nisi per alietatem subiecti: forma enim vnius speciei non diuersificatur numero, nisi per subiectum. Si igitur qualitas additur qualitati, oportet alterum duorum esse, vel quod subiectum addatur subiecto; vt puta, quod vnum album addatur alteri albo; aut quod aliquid in subiecto fiat album, quod prius non fuit album: vt quidam polluerunt circa qualitates corporeas. Quod etiam improbat Philosophus in 4. Phys. tex. 84. cum enim aliquid fit magis curuum, non curuatur aliquid, quod prius curuum non fuit; sed totum fit magis curuum. Circa qualitates autem spirituales, quarum subiectum est anima, vel pars animæ, *impossibile est etiam hoc fingere.* Hæc S. Thomas.

29 Quæ ratio potest ad formam redigi cum eodem D. Thoma in. 1. dist. 17. vbi supra. In omni additione oportet intelligere duo diuersa, quorum vnum alteri additur. Si ergo in intensione sunt duæ qualitates, aut intelligentur diuersæ secundum speciem; aut secundum numerum. Constat autem non esse diuersas secundum speciem; alioquin non esset intensio; & quia supponimus super addi virtutem eiusdem speciei. Diuersitas autem secundum numerum est ex diuersitate materiæ, seu subiecti; sicut hæc albedo differt ab illa numero, quia est in diuerso subiecto: cum ergo intensio sit in eadem parte subiecti, non potest fieri per aditionem qualitatis ad qualitatem, seu per aditionem gradus ad gradum.

30 Occurres primo cum Scoto & Durando, & Suarez dip. 5. Metaph. sec. 7. & alijs asserentibus accidentia indiuiduari per seipsa: & idem falsum assumi in prædicta ratione, quod accidentia indiuiduantur à subiecto.

Cæterum assumptum nostrum est expressum S. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. Et 1. p. q. 29. art. 1. & rationem assignat 1. p. q. 39. art. 1. dicens: *Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt unitatem, & multitudinem.* Et vrgetur sic. Ab eo res indiuiduatur à quo est vltimo indiuisa, & incommunicabilis: sed accidentia hoc habent à subiecto: ergo ab eo indiuiduantur. Probat minor: omnis forma accidentalis est quantum est de se communicabilis alteri, vt subiecto inhesionis; & eo ipso quod huic communiceatur, est irreceptibilis in alio connaturaliter: ergo est indiuidua. ¶ Secundo, id quod est vltimo diuisum formali, & materiali differentia, est indiuiduum, iuxta dicta libro primo Logicæ quæst. 23. per totam. Sed eo ipso quod accidentia intelliguntur in isto subiecto, intelliguntur vltimo diuisa, etiam materiali differentia, & non antea: ergo indiuiduantur accidentia per subiectum. De quo latius tractando de principio indiuiduationis.

31 Aliter respondet Vazquez cap. 5. Rubio, & Hurtado n. 42. illos gradus distingui numero, sed non vt qualitates totales; sed solum vt qualitates partiales: & istæ bene possunt esse in eadem parte subiecti.

Sed contra, nam supponimus gradus

us illos subiectari in eadem omni no parte subiecti; ergo cum ab illo indiuidentur; sequitur non distingui partialiter, cum ab eadem parte indiuidentur; & distingui partialiter; cum hoc in solutione supponatur: ergo solutio inuoluit duo inter se pugnantia: quod late prosequuntur PP. Carmelitani à num. 104. vsque 107. vbi impugnant alias solutiones in re cū prædicta coincidentes.

32 Alia via occurrit Lorca num. 15, dicens distinctionem graduum intensiōnis sumi ex subiecto, non ratione extensionis quãtitatis; sed ratione latitudinis potentie, quam habet ad illam formam: nam sicut in forma est latitudo graduum; sic in potentia subiecti est latitudo capacitatis ad ipsos: & sicut tota forma indiuiduatur à subiecto; sic gradus formæ à gradibus potentie, & capacitatis.

Hæc tamen solutio, vel inuita concedit, quod intendimus; vel nullatenus satisfacit argumento: nã in subiecto, vel est capacitas solum ad maiorem radicationem formæ simplicis entitatiuè, & non habentis partes respectu eiusdè partis subiecti, sed compositæ modaliter, vel virtualiter? Vel est capacitas in eadem parte ad diuersas partes formæ? Si primū; est tenere nostram sententiam, vt postea quæst. 16. & 17. exponetur. Si secundum dicat (vt dicere necesse est, vt consequenter loquatur: siquidem nu. 14. dixerat, quod in intensiōne pro ducitur gradus, & pars noua formæ) inquirimus vnde proueniat

hæc partium distinctio? Non enim prouenit à forma secundum se; siquidem accidentia non indiuiduatur, nec maioritatem habent à seipsis: & ideò S. Thomas relatus n. 21. ait, quod formæ istæ non habent aliam quantitatem ex seipsis. Non potest hæc partium distinctio prouenire à parte subiecti: siquidè supponimus residere in eadem parte: ergo nullatenus intensio est per additionem partis formæ ad formam præexistentem. Aliæ rationes videantur in Soncinate illa q. 21.

§. III.

Fit intensio per maiorem radicationem.

33 **D**ico secundo, intensio formæ fit per maiorem radicationem earum in subiecto. Rationem à priori assignat S. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 5. inter alia dicens: hic est augmenti modus proprius cuiuslibet formæ, quæ intenditur, eo quod esse huius formæ totaliter consistit in eo quod inhæret susceptibili: *Et ideò cum magnitudo rei consequatur esse ipsius formæ, formam esse maiorem, hoc est eam magis inesse susceptibili: non autè aliã formã aduenire: hoc enim esset, si forma haberet aliquã quantitatem ex seipsa, non per cõparationem ad subiectum. Sic ergo & Charitas (idem dicito de qua libet qualitate) augetur per hoc quod intenditur in subiecto.*

34 Explicatur vis huius rationis primo: tunc qualitas intenditur, cū in eadè parte subiecti fit perfectior,

& maior: sed posita maiori radicatione eiusdem formæ in eadē parte subiecti, qualitas fit perfectior, & maior: ergo qualitas intēditur per maiorem radicationem in subiecto. Maior est definitio intensio- nis relata q. 13. nu. 12. Minor verò probatur: formæ accidentales non habent quantitatem ex seipsis, sed in ordine ad subiectum; quia non sunt perfe; sed in subiecto; & magnitudo formæ consequitur esse ipsius formæ: ergo posito, quod qualitas magis insit in subiecto, habet maioritatem, & perfectionem: ergo posita maiori radicatione formæ, ponitur eius intensio.

35 Explicatur secundo cum Caictano, & Soncinate, quos refert, & sequitur Bañez in fine quæst. 5. notans, quod radicari (vt colligitur ex ipsa metaphora loquutionis) nihil est aliud quam firmiter hæ- rere, & magis, ac tenaci⁹ inesse subiecto; instar arboris, quæ tunc dicitur magis radicari, quando fusius protendit radices, & fortius terræ conglutinatur: similiter clauus ma- leo percussus radicatur in tabula cū- figitur magis. Ita pariter cum acci- dentis esse sit inesse, eo ipso quod magis inhæreat, magis radicatur, fortius adhæret; & fit perfectius: er- go intensio formæ accidentalis est maior eius radicatio in subiecto.

36. Aliam rationem à paritate de- sumptam indicat S. Thomas. 1. 2. q. 52. art. 2. ad primum, dicens, quod etiam in magnitudine corporali contingit dupliciter augmentum: vno modo per additionem subiec- ti ad subiectum, sicut est in aug-

mento viuentium: *Alio modo per solam interuersionem absque omni additio- ne, sicut est in his, quæ rarefiunt, vt dicitur in 4. Physic. textu 63.* Ex quo sic arguitur: potest quantitas esse ma- gis extensa, absque additione quā- titatis, per solam rarefactionem, quam infra dicemus esse additio- nem qualitatis nulla additione fa- cta quantitatis: ergo potest quali- tas esse magis intensa, absque addi- tione qualitatis, solo posito perfe- ctiori modo participationis quali- tatis præexistentis. Probatum con- sequentia: primo à paritate. Se- cundo, quia sicut intelligitur ma- ioritas quantitatis, non addita for- ma, sed variato statu formæ, seu quantitatis; ita intelligitur maio- ritas perfectionis, seu intensio qua- litatis, non addita forma, sed posi- to perfectiori modo participatio- nis.

37 Vltimo probatur alia ratio- ne, quam indicat Sanctus Thomas ibi ad tertium, concludens: *Id quod est minus calidum, aut album, non est in potentia ad formam; cum iam actu for- mam habeat: sed est in potentia ad per- fectum participationis modum; & hoc consequitur per actionem agentis.* For- matum ergo ratio sic. Adhuc po- sita forma in subiecto, relinquit in illo potentiam vt illa perfectius participetur: sed hoc consequitur per actionem agentis intendentis formam, & eam magis radicantis in subiecto: ergo intensio forma- rum consistit in maiori radicatione eius in subiecto. Maior patet, quia illæ solæ formæ possunt in- tendi, quæ non participantur in subiecto

subiecto indiuisibiliter: ergo est la-
titudo in participatione; ac per-
consequens, data imperfecta par-
ticipatione, relinquit in subiecto
potentialitatem, vt amplius parti-
cipetur. Minor verò probatur,
quia agens inueniens formam iam
eductam, & actuatē subiectum, fa-
cit vt magis educatur, & perfecti⁹
actuet: quod præstat eo ipso, quod
magis inhæreat, & radicetur: ergo
intensio consistit in maiori radica-
tione formæ in subiecto.

5.

Argumenta soluantur.

38 **S**ed antequam ultra proceda-
mus, oportet vt argumenta,
quæ contra hanc conclusionem fie-
ri solent, diluamus. Primo arguūt
Recentiores: quia subiectum calo-
ris per intensiōem fit magis cali-
dum, vt fatentur omnes, & expe-
rientia constat: ergo quando in-
tenditur adueniunt illi nouæ par-
tes caloris. Patet consequentia;
quia subiectum non fit calidum
simpliciter, nisi per calorem; sicut
non fit simpliciter quantum, nisi
per quantitatem: ergo non fit ma-
gis calidum, nisi per maiorem ca-
lorem. Sed calor non potest ef-
se maior, nisi per additionem par-
tium caloris: ergo intensio fit per
additionem partium qualitatis. Mi-
nor constat; quia quantitas non fit
maior nisi per additionem par-
tium quantitatis; neque homo fit
maior, nisi per additionem par-
tium hominis, vt omnibus com-

pertum est: ergo neque calor fit
maior, nisi per additionem partiū
caloris.

Ad hoc argumentum iam plenè
satisfecerat Sanctus Thomas ver-
bis relatis num. 36. Vnde mirum
est, quod solutione Sancti Thomæ
non impugnata, propter argumen-
tum ab eo solutum eius deseratur
sententia. In forma ergo responde-
tur negando primam consequen-
tiam. Ad probationem concedo
primam consequentiam, & nego
minorem subsumptam. Ad pro-
bationem dico vtrumque exem-
plum contra ipsos militare: nam
quantitas aliquādo extenditur ab-
que additione partium quantita-
tis, sed sola posita rarefactione præ-
cedentium: ergo si ipsi fatentur pa-
ritatem in hoc tenere, etiam quali-
tas poterit intendi sine additione
qualitatis, sed sola maiori radica-
tione in subiecto: licet in proprio
modo augmenti quantitatis sit dif-
paritas, quam iterum notat Sanctus
Thomas 2. 2. quæstione 24. articu-
lo quinto ad primum, dicēs, quod
quãtitas corporalis habet aliquid,
in quantum est quantitas, & aliquid
in quantum est forma accidentalis.
In quantum est quantitas habet,
quod sit distinguibilis secundum si-
tum, vel secundum numeram. Et
ideo hoc modo consideratur aug-
mentum magnitudinis per addi-
tionem, vt patet in animalibus.
In quantum verò est forma acci-
dentalis, est distinguibilis so-
lum secundum subiectum: & se-
cundum hoc habet proprium aug-
mentum, sicut & aliæ formæ

accidentales, per modum intensio-
nis eius in subiecto; sicut patet in
his, quæ rarefiunt, vt probatur in
4. Phisic.

39 Secundum exemplū ex par-
te contra eos militat: quia totus
homo crescit, & fit maior, etiam si
ne additione formæ; sed per hoc,
quod anima informat partes ma-
teriæ, quas antea non informabat:
ergo pariter poterit qualitas inten-
di sine additione formæ, variata
eius terminatione, eo modo quo
quæstione sequenti exponetur; vbi
etiam patebit exemplum hoc non
in omnibus tenere; idē maiorem
vim facimus in exemplo, quo non
semel vtitur S. Thomas de rarefac-
tione absque additione quantita-
tis.

40 Secundo arguitur: vbi est no-
ua actio transiens, & nouus motus
phisicus, debet esse nouus termi-
nus; quia motus est via ad termi-
num: sed intensio est noua actio, &
nouus motus distinctus ab altera-
tione præcedenti: ergo debet ha-
bere nouum terminum. Sed non
terminatur ad qualitatem speciei
distinctam: nec ad nouum indiui-
duum totale: ergo terminatur ad
nouam partem qualitatis de nouo
productam. Cætera patent; & pri-
ma minor probatur, tū experiētia;
tum ex reali separatione; tum ex
diuersitate agentiu, & virtutis eo-
rum.

Respondetur cum D. Thoma
1. 2. q. 52. ar. 2. ad 2. quod causa augēs
habitu(m) (eade n. carrit ratio de cu-
iuslibet qualitatis intensio) facit
quidem semper aliquid in subiecto; non

autē nouam formam, sed facit quod sub-
iectum perfectius participet formam præ-
existentem. Vnde in forma, conceda-
tur prima consequentia: imō, & se-
cunda: & negetur tertia; quia ter-
minatur intensio ad qualitatem præ-
existentem radicandam magis in
subiecto: & hoc est de nouo, quod
ante intensio(m) solum erat in po-
tentia; nempe, quod qualitas, quæ
erat minus radicata, magis radice-
tur, & firmiter inhæreat, & magis
actuet subiectum: & ad totū hoc
noua realis actio requiritur.

41 Sed inquit Vazquez illo cap.
4. num. 17. quia ex hac solutione
sequitur nunquam produci quali-
tatem aliquam per alterationem,
sed solum varios modos inhæren-
di, quibus forma intendatur, & re-
mittatur: quod est apertè falsum;
sic enim qualitas quælibet euanes-
ceret in modos. Hoc autem sequi
probatur, quia in intensio(n) non
producit qualitas, aut pars qua-
litate(m), sed modus: sed simul atque
incipit motus, incipit intensio qua-
litate(m): ergo per totum motum so-
lum producit modus qualitate(m).
Probatur minor, quia nulla quali-
tas producitur minima; ac proinde
nulla potest produci sine intensio-
ne, & modo.

Respondetur, quod intensio nō
terminatur ad qualitatem abso-
lutē, nec ad modum absolutē, sed
ad qualitatem meliorandam, in
subiecto eam radicando: vnde Sā-
ctus Thomas in primo distinctio-
ne 17. quæstione secunda ad se-
cundum, ait, quod etiam si essent duæ
operationes, non oportet, quod ter-
mina-

minarentur ad duo diuersa secundum substantiam; sed prima terminatur ad esse Charitatis (idem dic de qualibet qualitate) imperfecta; secunda ad eandem charitatem secundum perfectionem, secundum quod aliquid educitur de imperfecto ad perfectum. Et bene retorquet argumentum contra Vazquez Monestinos num. 70. quia P. Vazquez fatetur, quod dum extenditur habitus scientificus ad nouam conclusionem, producitur modus in habitu (de quo egimus prima parte Metaphisicæ Controuers. 2. numero 116.) & non noua qualitas, & tamen verificatur maiorem fieri ipsam scientiam sub illo modo, & noua applicatione: ergo pariter idem potest dici in intensiōe.

42. Tertio obijcies cum Arriaga disputat. 3. num. 17. quia augmentum dicit essentialiter additionem nouæ entitatis ad præcedentem; quod ex ipsa significatione augmenti colligitur; gratiam autem augeri per bona opera definitur à Tridentino: ergo intensio non fit per maiorem radicationem illius; sed per multiplicationem partium ipsius gratiæ.

Confirmatur ex Cabero disp. 5. dub. 2. in fine: nam Concilium Tridentinum sess. 7. can. 7. ait: *Si quis dixerit per huiusmodi Sacramenta non dari gratiam semper, & omnibus; anathemati sit.* Ergo homini iusto Sacramenta dant gratiam: sed gratia est qualitas, & non modus: ergo intensio fit per additionem qualitatis.

Ad argumentum respondetur ex D. Thoma sæpè citata quæst. 52. artic. 1. ad primum, quod *augmentum,*

proprie dicitur in corporali quantitate; & translative in spiritali magnitudine, & qualitatibus. Et iam diximus, quod adhuc in quantitate in rarefactione est augmentum absque omni additione quantitatis: vnde non mirum, quod in proprietate etiam qualitas intendatur absque additione qualitatis, sed sola extensione præcedentis.

43. Ad Confirmationem responderetur, quod Sanctus Thomas 3. p. quæst. 72. artic. 7. ad tertium, expressè ait, quod *gratia, quæ prius inerat, augetur* per Confirmationis Sacramentum: non ergo additur noua gratia, sed præexistens intenditur, vel extenditur. Huic autem doctrinæ nil obuiat Concilium Tridentinum; imò ei potius fauet: nã initio Decreti de Sacramentis Sessione 7. ait; quod per Sacramenta *omnis vera iustitia, vel incipit, vel capta augetur, &c.* Ad modum, videlicet, quo aliæ perfectiones augetur, iuxta veram Philosophiam: de quibus plura M. Choquetius cap. 3. in fine: sed paucis est opus ad diluendum, id quod nullam continet difficultatem; quia ibi nec apparenter tangitur quæstio philosophica de modo intensiōis formarum; sed stabilitur dogma Catholicum, quod per Sacramenta gratia confertur; perfectio autem gratiæ, gratia est.



s. VI.

Excluduntur modi dicendi relativi à num. 13.

44 **R**estat exponere in quo consistat maior radicatio formæ in subiecto? Sed antea necesse est vt nos expediamus à sententijs iam minus receptis in Scholis, iam supra relatis, & nunc refellendis.

Dico tertio, qualitates non intenduntur per destructionem imperfectioris, & generationem perfectioris. Ita S. Thomas in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. dicens: alij dixerunt, quod Charitas essentialiter non augetur, sed adueniente maiore Charitate minor Charitas, quæ inerat, destruitur. *Hoc etiam non potest stare: quia nulla forma destruitur, nisi vel ex contrario agente, vel per accidens ex corruptione subiecti: cum igitur subiectum Charitatis maneat; & Charitas adueniens Charitati inuentæ nõ cõtrarietur; nõ potest esse, quod destruat, nec perse, neque per accidens, sicut ignis parvus à magno igne propter consumptionem materiæ.*

45 Secundo probatur, quia qualitatem intendi, est ipsam fieri perfectiorem, augeri, & crescere; non verò ipsam in aliam conuerti, vel pro illa commutari: ergo debet eadem qualitas, quæ prius inerat, permanere. Probatur consequentia: nam vt inquit S. Vincentius Lirinensis aduersus Hæres. cap. 28. tom. 4. Bib. *Ad profectum pertinet, vt in semet ipsa vnaquaque res amplificetur; ad per-*

mutationem verò vt aliquid ex alio in illud trãsuertatur. Si ergo qualitas per intensiorem crescit, & proficit, & perficitur, non destruitur, dum intenditur.

Tertio, quælibet res naturaliter inclinatur vt conseruetur, & crescat: & magis inclinatur vt conseruet suum esse, quam vt in illo perficiatur: ergo si, vt qualitas intendetur, deberet interire, nulla forma appeteret suam intensiorem: quod est tollere à qualitibus inclinatio nem, quæ reperitur in omnibus entibus capacibus perfectionis.

46 Theologica argumenta etiã plura possent ponderari; sed Phylsopho sufficiat ea insinuare. In primis Apostolus 1. ad Corinth. 13. docet, quod *Charitas numquam excidit: & tamen Charitas viã in patria perficietur.* Gratia etiam per Baptismum collata, non destruitur, cum per alia Sacramenta augetur. Demum, accidentia panis, & vini, quæ post consecrationem manent, non pereunt, cum inteduntur; alioquin corpus Christi non cõtinerent. Nõ ergo intensio fit per destructionem imperfectæ qualitatis.

47 Obijcies: terminus à quo cuiuslibet mutationis non remanet in termino ad quem; sicut cum ex albo fit nigrum; vel ex viuo mortuum, & sic de alijs: & ita docet S. Thom. 3. p. q. 75. art. 3. ad 2. Sed in motu intensiõnis qualitas imperfecta est terminus à quo, & qualitas perfecta est terminus ad quẽ; siquidẽ est quædã augmẽtatio à minori ad maiore qualitatem: ergo cũ est qualitas maior, nõ est qualitas minor.

Respon-

Respōdetur, quod terminus ad quem, non semper destruit terminum à quo quoad entitatem; sed aliquando solum quoad formale munus in quo opponuntur, quatenus habet annexam priuationem eius. Sicut ergo in augmento corporali viuentis, id quod additur, non destruit viuens, cui additur, quoad entitatem, sed solum tollit imperfectum statum quantitatis, & addit perfectiorem; & pariter in refractione non destructa quantitate, variata eius terminatione, extēditur, & perficitur. Ita in intensiōne destruitur imperfecta terminatio, & aduenit perfectior terminatio quātitatis virtualis essentiae qualitatis, & sic perficitur, & intenditur quin destruat. Ita respondet S. Tho. Quodlib. 9. q. 6. art. 1. aliās art. 13.

48 Dico quarto, intensio qualitatum non consistit in depuratione earum à suo contrario; nec in sola subiecti dispositione. Priorem partem docet S. Thom. in 1. sēpē citata dist. 17. q. 2. artic. 2. ad 3. dicens, *quod non est de ratione intensiōnis altius qualitatis, quod sit per remotionem à contrario; sed hoc accidit qualitati secundum quod inest in subiecto participante cōtrarium.*

49 Facileque constat inductiōne: nam lux augetur; & nil retinet de forma contraria, cum eam non habeat, sed tenebræ luci opponuntur priuatiuè; & ideo simul esse nō possunt: iuxta illud Apost. 2. ad Corinth. 6. *Quæ conuersio lucis ad tenebras?* Et in supernaturalib⁹, Gratia, & Charitas B. V. Mariæ quotidie

augebatur; & tamē numquam fuit permilla cum peccato, etiam minimo veniali. Item Fides, & Spes augetur, & intenduntur, secundum illud Lucæ 10. *Adauge nobis fidem:* & tamen nō sunt cum infidelitate, neque cum desperatione: accidit ergo intensiōni, quod sit cum depuratione à contrario.

50 Secunda pars probatur primo, nam si calor. v. g. intēditur ex dispositione subiecti: ergo ipsa dispositio subiecti poterit esse maior, vel minor, & intenditur, & remittitur. Vel ergo huius dispositionis intensio erit per maiorem raddicationem in subiecto? Et sic habetur intentum. Vel ipsa dispositio intenditur, & remittitur per aliam subiecti dispositionem: ergo erit processus in infinitum: quod est inconueniens. Huius argumenti difficultatem duplici via conatur effugere Aegidius. Sed in eis præcludendis nō vacat immorari.

Secundo, quantumuis dispositio subiecto, potest agens introducere formam magis, & minus intensam: & nulla addita dispositione, potest amplius forma semel inducta intendi: ergo in aliquo alio, quam in subiecti dispositione, consistit qualitatum intensio.

§. VII.

Qualitates augentur essentialiter.

51 Dico quinto: qualitates non augetur solum secundum inhaerentiam, vel existentiā; sed etiam augentur essentialiter. Ita S. Th. prædicta dist. 17. ita dicens: Alij

dixerunt, quod Charitas essentialiter non augetur; sed dicitur augeri in quantum magis firmatur in subiecto secundum ipsam radicationem. Sed ex hoc etiam sequitur ipsam augeri essentialiter: nulla enim forma potest intelligi magis firmari in subiecto, nisi per hoc, quod habet maiorem victoriam super subiectum suum: augmentum autem victoriæ redundat in augmentum virtutis; & per consequens in augmentum essentia; quia virtus, si nõ est ipsa essentia, oportet, quod sit ab essentia; & cõmisiõ enim sibi, sicut effectus causa proxima.

52 Præterea S. Thomas 2. 2. quæstione 24. art. 4. ad 3. ait, quod qui dixerunt Charitatem non augeri secundum essentiam, sed solū secundum radicationem in subiecto, propriam vocem ignorauerunt: cum enim accidēs sit, eius esse est inesse; vnde nihil est aliud ipsam secundū essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto; quod est eam magis radicari in subiecto. Et art. 5. concludit: Sic ergo & charitas augetur per hoc quod intenditur in subiecto: & hoc est ipsam augeri secundum essentiam.

53 Denique quæst. 1. de Virtut. art. 11. in corpore ait: Ponere igitur, quod aliqua qualitas non augeatur secundum essentiam, sed augeatur secundum radicationem in subiecto, vel secundum intentionem actus, est ponere contradictoria esse simul. Et Quodlib. 9. art. 13. per totum probat, quod Charitas secundum suam essentiam augetur. Ergo indubitatum est conclusionem nostram esse S. Thomæ.

54 Sed obijcies, Sanctum Tho-

mas contrarium docere in 1. ad Anib. dist. 17. quæst. 2. art. 1. vbi ait: Dicere Charitatem augeri secundum maiorem radicationem in subiecto, vel secundum feruorem maiorem, non est dicere ipsam augeri per essentiam. Ergo Sanctus Thomas sibi ipsi, & nostræ conclusioni contradicit.

Responderetur adhuc in isto loco nostram expressisse conclusionem: nam subdit: Sed solummodo eam magis inesse, est eam augeri per essentiam. Fatetur ergo augeri essentialiter. In verbis autem relatis nullam esse contradictionem facile animaduertet, qui textum integrum legerit: ibi enim præmiserat. Sciendū tamen est, quod aliud est formā magis inesse subiecto; & aliud formā firmitus esse in subiecto, vel liberius in subiecto operari: quia ista duo attenduntur secundū dispositiones cõcomitantes formā: sed primū (sic legēdū est; & non scilicet principium, vt non nulli mendosi codices habent, contra planum litteræ contextum). secundum essentiam ipsius formæ. Quorū verborum planus sensus est, quod firmitus inesse, & liberius operari, attenditur pænes carentiam cõtrarij, & expeditionem subiecti: sed magis inesse, quod est magis radicari, est formam augeri per essentiam: non quia motus terminetur ad essentiā acquirendam; sed quia ipsa essentia qualitatis est subiectum motus, vt latè declarat ipse S. Thomas Quod lib. 9. art. 13.

55 Veritas conclusionis patet, quia sic sincerius verificatur, quod crescit homo in præmio, & visione essentiali. Et magis ad litteram intelliguntur dicta Conciliorum, & Pa-

& Patrum de augmēto Charitatis, & aliarum virtutum; de quo latius Theologi.

Rationes etiam Sancti Thomae sunt satis efficaciæ, quia esse existentia est effectus formalis formæ ipsi proportionatus: ergo ex natura rei non crescit ipsa inhærentia, & in existentia, nō crescente forma, eo modo quo crescere potest.

Rursus, accidentis essentia est inhærentia aptitudinalis: ergo exercitium illius debet proportionari actuali essentiæ: ergo si actu magis radicitur, & actu magis inhæret; essentia ipsa est quæ augetur. Hoc etiam probant argumenta, quæ contra secundam conclusionem solēt proponi.

56 Denum probatur: nam causa formalis causat per exhibitionem propriæ entitatis; & est id quo subiectum est tale: ergo nequit effectus formalis in cōcreto crescere, quin ipsa forma augeatur formaliter, vel virtualiter: ergo si concretum est essentialiter magis tale, & ipsa forma per aliquem modum crescit essentialiter. Cum ergo intensio Charitatis, vel caloris videamus essentialiter denominari magis diligentem, vel magis calidū, ipsa qualitas augetur essentialiter.

57 Contra hanc conclusionem plura obiicit Gerardus Senensis illo art. 7. sufficit præcipua argumenta insinuare. In primis, quia sequitur, quod formæ nō essent sicut numeri: cuius contrarium patet in octauo Metaphisicæ. Id autem sequi probatur, quia numerus non patitur additionem in eadem specie.

Secundo, quia forma secundum suam essentiam non esset simplex: cuius contrarium patet per Authorem sex principiorum. ¶ Tertio, quia sequitur, quod forma in abstracto posset augeri: quod est contra Philosoph. cap. de Quantit. docētē, quod *institia non auetur secundū magis, & minus, sed instum*. Consequētia probatur, quia illud quod conuenit alicui secundum suam essentiam, competit sibi circumscripto quocumque alio.

Quarto, quia si totum esse accidentis consistit in hoc, quod inhæreat, sequitur, quod non possit fieri sine subiecto: cuius contrarium apparet in Eucharistia. ¶ Denique, forma secundum suam essentiam abstracta ab omnibus, quæ sunt per accidens, & non semper conueniant: ergo secundum suam essentiam abstracta à tali augmento, & à tali modo augmenti: ergo qualitates non augetur secundum essentiam.

58 Hæc, & alia huiusmodi præoccupauerat, & præciderat Sanctus Thomas illo Quodlib. 9. art. 13. dicens: Sciendum est, quod hæc propositio (*secundum*) inter alias varias habitudines, quas importat, quandoque denotat *subiectum*: vt cum dicitur; iste est albus secundum pedem; quia pes est subiectum albedinis: quandoque denotat *formam*; vt cum dicitur; iste est coloratus secundum albedinem; &c. Sic ergo cum dicimus Charitatem secundum essentiam augeri, denotatur ibi subiectum augmenti: vt sit sensus; ipsa essentia Charitatis augetur; sicut cum dicimus album

album augetur secundum essentiã; non autem designatur forma specificans motum; vt sit sensus; augetur secundum esse etiam, id est, augmentum eius est motus in essentiã, vel in esse. Iuxta hoc ergo solum intendimus, quod ipsa essentiã qualitatis est, quæ afficitur perfectione intensiõis, non quod essentiã varietur, aut existentia mutetur: quia licet qualitas non sit subiectum quod augmenti, vt docet S. Thom. in 1. sent. ad 3. & quæst. vnica de Virt. ar. 1. ad 2. & ad 8. tamẽ, cum vnũ accidens sit subiectum quo alterius accidentis, vt superficies dicitur subiectum coloris (iuxta dicta 2. p. Metaph. Contr. 3. n. 80.) modi, seu perfectiones, quæ qualitati adueniunt, dicuntur ipsam meliorare, & augere essentialiter. Per quæ facile est argumenta diluere. Singula percurramus.

59 Ad primum patet ex dictis q. 14. n. 14. quod stat bene formã secundum se nõ habere latitudinẽ; & tamen participationem eius in subiecto habere latitudinem, & suscipere magis, & min⁹. Quoad primũ qualitates assimilantur numeris; nõ tamen quoad secundum.

60 Ad secundum dicitur quod S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. in arg. Sed contra, arguit, quod Charitas est forma simplex, & ideo non augetur per additionem; quia simplex additum simplici non facit aliquid maius, vt probatur 3. Phys. textu. 59. Cum quo tamen stat, quod augetur secundum essentiã; quia forma simplex entitatiue, est virtualiter, & terminatiue capax augmenti. Et sic con-

tingit in omni intensiõne.

61 Ad tertium respõdetur, quod vt ait S. Thom. 6. Phys. lec. 7. litt. h. Si albedo esset separata, non diceretur secundũ magis, & min⁹. Et 1. 2. q. 53. a. 2. ad 3. dicit. Sic igitur id quod conuenit accidentibus ex parte subiecti, nõ autẽ ex ipsa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abstracto sed in concreto; & huiusmodi est intensio, & remissio in quibusdam accidentibus: vnde albedo non dicitur magis, & minus, sed album; & eadem est ratio in habitibus, & in alijs qualitati-^{bus}.

Quam doctrinam S. Thomæ attendentes eius discipuli, frequenter docent, quod si qualitas diuinitus separetur a subiecto, non erit magis, & minus intensã: nam hoc non conuenit formę nisi ex modo diuerso quo participatur in subiecto. Ita Conradus. 1. 2. q. 52. art. 1. Flandria lib. 8. Metaph. q. 4. art. 3. & 4. & alij, quos hic citant, & sequuntur PP. Car. mel. disp. 4. q. 8. n. 111. Vbi, & probabiliter respondet cum M. Bañez hic cap. 4. q. 3. ad 2. contra 2. quos sequitur M. Ioann. a S. Thoma q. 4. ar. 3. ad cõfir. 4. Quod potest Deus, per habitudinem ad diuersum modum participandi in subiecto, facere qualitatem separatam a subiecto esse magis, & minus intensã; pariformiter sicut dici solet de indiuiduatione, quam retinet anima separata per ordinem ad diuersa corpora, quorum fait actus, & forma; & quibus vniri potest.

62 Iuxta hoc ergo ad tertium, vel admittatur sequela, nam Philosophus loquitur ex natura rei, cũ accidentia naturaliter esse non possint sine subiecto. Vel negetur sequela.

quela. Ad probationem dicitur, quod id quod conuenit formæ secū dū se ex ipsa ratione formæ, seper conuenit: at verò intensio solum conuenit ex diuerso modo quo in subiecto participatur: vnde non mirum quod solum conueniat in concretionem, & nō in abstractionem à subiecto: de quo iterum q. 17. nu. 19.

63 Ad quartum iam respondeat S. Thom. 3. p. q. 77. artic. 1. ad 2. quod essentia accidentis non est actu inharere, sed aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in accidentibus; etiam si post cōseruationem eis non conueniat actualis inharētia.

64 Ad vltimum dicitur, quod in hærētia, & intensio, & alia quæ conueniunt accidentibus ex parte subiecti, non per accidens accidenti conueniunt, cum essentialiter accidens sit entis ens: vnde licet non cōueniant accidenti secundum se sine habitudine ad subiectum; tamen cōueniunt essentiæ accidentis, vt in subiecto: & ideo prout ibi per se cōueniant. Quamuis non sit prædicatum essentiale accidentis secundū se, quod sit intentum, aut remissū.

QVAESTIO XVI.

Quid sit maior radicatio qualitatum in subiecto?

PROponitur vt completè intelligatur sententia S. Thomæ de intensione qualitatum, & vt iudicium faciamus de modis dicendi aliquorum Thomistarum: nām vltra iam relatos, alij referēdi restāt.

& in hac quæstione examinādi sūt, vt veritas omnibus manifesta, omnibus sit grata.

§. I.

Referuntur explanationes Thomistarum.

2 PRIOR ergo modus explicādi radicacionem in subiecto, est eorum, qui dicunt per intensiōem educi de potentialitate subiecti nouum gradum; sed non esse additionem gradus ad gradum; quia hæc nō est additio, sedeductio; & quia graduseductus non distinguitur numero à præcedentibus. Hæc est legitima mens Caiet. 1. 2. q. 52. art. 2. §. *Ad euidētiā secundā.* Mōresinos ibi nu. 66. citantis etiam Valentian. Latius Choquetius lib. 1. de Gratia disputatione 19. cap. 2. conclus. 8. Itaque (iuxta Caietanum) ipsa essentia formæ simplex est; habet tamē gradus paulatim educibiles ex potentialitate subiecti, in eadē forma virtualiter cōtētos, ab eaque numero indistinctos. Et (vt ait Choquetius) isti gradus nihil aliud sunt, quam perfectiōnes quædam vnus, eiusdēque qualitatis numero, quæ ad perfectam eius indiuiduationem pertinent; nullamque realem cum ea compositionem faciūt; cum nec ab ea, nec à se mutuo realiter distinguantur.

3. Quod explicatur à simili in sententia ponente intensiōem fieri per additionem gradus ad gradum: nām in vnoquoque gradu signato (quē aduersarij volunt esse indiuiduum partia-

partialiter à præcedēte distinctum, & Authores huius sententiæ dicunt cum illo identificatum) datur latitudo similium graduum virtualium, vel partialium, saltem à Deo signabiliū, qui correspondent indiuisibilibus continuatiuis motus, quæ appellantur *mutata esse*. Et tamen nemo, etiam aduersariorū, dicit eos, vel inter se, vel à gradu signato vt quatuor distingui, & ad eius indiuiduationem nō pertinere: ergo idē dicendum est de gradibus signatis, qui sint termini intentionis signatæ, & determinatæ, quæ est verus, & proprius motus physicus, & quæ sit successiue.

4 Ab hoc dicēdi modo parū discrepant Soncinas, & Bañez: nam ille 8. Metaph. q. 21. §. *Ex prædictis*, ait, quod gradus formæ non sunt aliquid extrinsecum à forma, quāuis non sint de quidditate formæ. Et cōcludit: Et sic patet ex dictis, quod forma intensa, & remissa distinguuntur tantum ratione, & non realiter; quia non distinguuntur per aliquam realitatem, quæ sit in forma intensa, & non in forma remissa, sed solum eo modo, qui fuit declaratus. Hæc ibi. Subscribit Bañez hic in fine q. 5. dicens, quod gradus non sunt realiter distincti; sed sunt eadem forma antiqua aliter, & aliter se habens. Addit tamen (& bene) quod in intentione corrumpitur actualis terminatio qualitatis, v.g. quoad graduum vt duo, & generatur vt tria: & hæc terminatio nihil addit supra calorem vt duo, nisi actualitatē tertij gradus, quia actus est qui distinguit, & separat.

5 Alij expresse dicunt hos gradus modaliter distingui à forma. Ita Cōradus. 1. 2. q. 53. art. 2. ad 2. §. *Nota*, citans Herueum Quodlib. 2. q. 13. & in. 1. dist. 17. q. 4. Quamuis Herueus etiam ponat intensiōem fieri per additionem partium non signabilium. Hos tamen *gradus modales* nō amplius declarat Conradus. M. Ferrara 8. Physic. q. 7. notab. 3. ait, quod gradus est diuersa actuatio formæ; & in fine quæst. dicit, quod diuersi gradus non sunt nisi diuersi modi estendi eiusdem numero forme in subiecto. M. Gregorius Martinez. 1. 2. q. 51. art. 2. dub. 1. dicit maiorem radicationem esse nouam vniōnem, & nouam partem effectus formalis; fit enim subiectum magis calidum, quia calor magis vnitur subiecto.

6 Latius quæstionem hanc disputant PP. Carmelit. disp. 4. tota q. 9. in cuius §. 2. docent in qualitate esse inter alia quatuor illa, scilicet, *essentiam, existentiā, vniōnem* qualitatis cum subiecto, ac tandem *modum maioris radicationis*. seu participatio nis eiusdem formæ. Qui quidem distinguitur ab essentia, existentiā, & ab vniōne, seu inhærentia illius; quia eademmet qualitas permanet vniūta, etiam si non maneat modus intensiōis, seu radicationis: & similiter semper est eadem inhærentia, licet non sit eadem intensio, seu idē modus radicationis. Qui addit actualitatem quamdam maiorem intra propriam lineā, ratione cuius qualitas perfectiori modo se habet; quia nequit crescere effectus formalis nisi forma augeatur vt *quæ vn de*

de si sit modus vt sex, æquualet totidem gradibus caloris. Et contendunt ab hoc dicēdi modo alios solis vocibus differre; quamuis eos expresse non referant.

7 Et probāt; tum quia non est ali⁹ modus quo explicari possit qualiter subiectum per formam intēsam sit magis in actu, nisi per modum prædictum radicationis; quia est (vt sic loquamur) *psū magis*, & ipsa quantitas virtutis qualitatis. Tum, quia sicut extēsiō habitus fit per accessum ad obiectū, plures veritates de illo cognoscendo; ita qualitas intenditur, per hoc quod magis ad subiectum accedat: qui accessus cōsistit in maiori radicatione, seu in modo iam explicato. Et addūt ad primum, modum istum etiam indigere peculiari vnione superaddita. Et ad 3. & 4. docent quod adueniente vno modo maioris radicationis, definit esse alius minoris, qui antea præxistebat: nam perfectior continet virtualiter eminenter modum imperfectiorem.

8 Demum M. Ioann. à S. Thoma q. 4. art. 2. concl. 2. docet, quod intensio non fit per additionem noui modi præbētis formæ nouam vim informatiuam, seu nouam rationē formalem informandi; quia hoc esset relabi ex parte in sentētiā impugnatam de additione partis ad partem, seu gradus ad gradum. Sed fit intensio per additionē noui modi communicationis, & vnionis; seu per nouam explicationem eiusdem formæ in subiecto, tollendo confusionem, & potentialitatem ipsius, & reducendo illam ad maio-

rem vnitatem, & subiectum magis subiiciendo ad talē formam.

9 Ista sunt, quæ in discipulis S. Thomæ legi ad eius sententiæ expositionem; vt tamen ex his seligamus id quo clarius veritatem, & eius mentem declaremus, sequentes cōclusiones subiiciemus.

§. II.

In intensione additur realis perfectio, modaliter distincta qualitate.

10 **D**ico primo, non potest intelligi qualitatū intēsiō sine accessione, vel eductione alicuius perfectionis realis, siue entitatis siue modalis. Hanc esse cōmunem inter Thomistas, & certam apud D. Thomam, iam diximus q. 15. n. 16. & cū ab omnibus extra scholam Thomisticam admittatur, non est cur multum detineamur in eius probatione. ¶ In primis, mens cōcipere non valet, quod aliquid realiter essētiā augeatur, & quod nulla realis perfectio illi accedat, vel accrescat; alioquin esset imperfecta sicut erat antea: sed ostendimus q. 15. §. 7. in intēsiōne qualitates essētiā augeari: ergo illis accedit aliqua realis perfectio. Maior ex terminis collat: & quia alias anima rationalis, imo, & substantiæ completæ spirituales, possent augeari, & intēdi, si ad hoc opus non esset aliqua perfectio de nouo aduenire.

11 Secundo, id quod acquiritur per intensiōnem, perditur in remissione

sione, sicut quod acquiritur augmēto perditur diminutione, seu decremento: sed docet S. Thom. 1. 2. q. 53. art. 2. ad 2. quod ipsa essentia qualitatis diminuitur in subiecto: ergo & realiter perficitur cum intenditur.

12 Tertio idē docet S. Thomas 1. 2. q. 52. art. 2. ad 2. dicens, quod augens habitum facit, quod subiectum perfectius participet formam praesistentem. Et ad 3. docet, quod minus calidum, aut album est in potentia ad perfectum participationis modum: & hoc cōsequitur per actionem agentis. Et 2. 2. q. 24. art. 5. ad 3. ait, quod augmentatio charitatis importat mutationē secundum magis, & minus habere. Et in 1. sentēt. dist. 17. q. 2. art. 2. in cor. ait, quod efficitur magis calidū per actionē calidi, in quantum educitur calor, qui fuerat ut aliquid imperfectus, in maiorem perfectionem, & maiorem assimilationem agentis. Et ad tertium ait, quod hoc est de necessitate intensiois, quod qualitas educatur de imperfecto ad perfectum.

Nec obstat, quod in cor. dixerat, quod quando charitas augetur, nil ibi additur. Quia sensus planus est, quod non additur noua forma, aut gradus, aut pars formae: hoc enim ibi intendit: non tamē excludit, quod paulo post explicat, de additione status, modi, & perfectionis formae. Est exēplū in ipso D. T. qui 1. 2. illo art. 2. ad 2. docet, quod in rarefactione quantitas augetur absque omni additione; eo quod non additur quantitas: quāuis sit perse notum, & à D. Thoma sapissimè assertum, ibi addi notam terminationem quantitatis, & nouam qualitatem: de quo in fra. q. 23.

13 Ratio S. Thomae omnibus istis locis videtur demonstratiua: nā intensio est motus ab imperfecta ad perfectam qualitatem: sed huiusmodi motus esse nequit, nisi accedat qualitatis aliqua realis perfectio: ergo haec necessario super accrescit in intensioe. Probatur minor: isto motu illa perfectio acquiritur in actu, ad quam id quod mouetur, erat in potentia; sed qualitas imperfecta erat in potentia ad perfectiorem statum: ergo istum acquirit per intensioem.

14 Demū probatur à paritate augmenti extensiui habituum; quod fieri additione aliqua diximus 1. p. Metaph. Controu. 2. n. 116. Similiter in augmento quantitatis, & in rarefactione, & in alijs huiusmodi motibus physicis semper per motū aliqua perfectio acquiritur; alioquin ad illam mobile non moueretur, quod notat S. Tho. 1. p. q. 9. art. 1. dicens: Omne quod mouetur, motu suo aliquid acquirit, & pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat. Cum ergo intensio sit motus realis, & physicus, per illū acquiritur aliqua qualitatis perfectio; nō determinādo, an sit entitatiua, an modalis?

15 Instabis: nā motus localis est motus physicus; & tamen per eum nulla perfectio acquiritur in mobili; quia solum acquiritur Vbi, quod est quid extrinsecū, vt diximus lib. 4. Phys. q. 4. ergo pariter dici posset de motu intensiois; quod solū terminatur vt qualitas applicetur ad aliquid extrinsecū, & non vt acquiritur aliqua intrinseca perfectio.

Respondetur S. Tho. propositio-
nem

nem (in qua ratio prædicta innitur) esse perse notã; quia idèd mouemur, vt acquiramus actu, id quo caremus, & ad quod sumus in potẽtia; & motus ad illud acquirendum est via. Cæterũ perfectio debet esse proportionata motui: quia ergo, vt ait S. Tho. 1. p. q. 110. art. 3. *Mobi le secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quãtũ huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecũ, scilicet, locum.* Idèd loco citato dixim⁹ Vbi esse denominationẽ extrinsecam. At verò qualitas remissa est in potentia intrinseca, & carẽs perfectio ne, quã acquirat cum intenditur; & idèd intẽtio intelligi nequit nõ addita, vel educta perfectione in actu, quæ antea solũ erat in potẽtia.

16 Dico secũdo, perfectio, quæ qualitati accrescit in intensioe, distinguitur ab ipsa realiter modaliter. Hanc tenent Authores relati à n. 5. vsque ad. 8. & forte non negatur ab Antiquis relatis nu. 2. & 4. eo quod solum intendunt excludere distinctionẽ realẽ entitatiã; nõ vero distinctionẽ realẽ modale; quia hæc distinctio aliquãdo reducitur ad realem; aliquando verò illi contraponitur, iuxta dicta 1. p. Metap. Controu. 10. art. 4. & lib. 1. Logic. q. 13. n. 5. & videantur quæ in simili diximus lib. 2. Log. q. 23. §. 5. & lib. 3. Phys. q. 2. n. 9.

17 Hanc conclusionem ex præcedente deduci, videtur manifestũ ex doctrina S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 5. dicentis, *quod omnis additio est alius cuius ad aliquid, unde in omni additioe oportet saltem præintelligere distinctionẽ earum, quorum vnum additur alteri, an-*

te ipsam additionem. Ergo si qualitati præexistẽti accrescit per intensioem realis perfectio; hæc realiter differt à qualitate primo introducta. Cum ergo non accrescat qualitas, nec gradus, nec pars qualitatis, vt probatum est q. 15. §. 3. additur perfectio modalis realiter modaliter distincta à qualitate.

Dices, quod in intensioe nõ fit additio, sed eductio: & idèd nec est realis distinctio, aut adunatio.

Sed contra, primo, quia qualitates supernaturales intenduntur: & tamen de foris fiunt, & non educuntur ex potẽtia naturali subiecti, iuxta dicta 2. p. Metap. Contr. 4. n. 88.

Secundo, quia perfectio in actu realiter distinguitur à subiecto, in cuius potentia cõtinetur: ergo, dato, quod perfectiones istæ cõtineantur in potentia in qualitate, & inde educantur, nõ tollitur, quod ab ea distinguatur; sicut ipsa differt à suo subiecto, quod, & quo.

18. Præterea, nil est in potentia ad seipsum, vel ad aliquid secum identificatum; eo quod actu est id cum quo identificatur. id quod est; at verò quod est in potẽtia, nõ dũ est simpliciter, & in actu. Sed qualitas remissa realiter est in potẽtia ad perfectionẽ, quã habet, cũ est intẽsa: ergo perfectio, quæ aduenit in intensioe, realiter differt ab ipsa qualitate.

Tertio, realis separatio, etiã nõ mutua, euidẽs signum est distinctio nis realis, modalis ad minus. Sed hæc qualitatis perfectio, quamuis nequeat (saltem naturaliter) esse sine qualitate; tamẽ potest qualitas esse

esse sine illa, vt erat antequam intēderetur, & erit, si remittatur. Ergo perfectio qualitatis vt intensæ realiter modaliter differt ab ipsa qualitate.

19 Nec obstat exemplum adductū supra. n. 3. quia indiuisibilia realiter differre à partibus continui, iā ostēdi lib. 6. Phys. q. 6. n. 22. Partes autem æquales etiam realiter differunt ab inæqualib⁹; licet distinctio dicenda sit nō mutua, quia partes inæquales alias includunt, iuxta dicta libro 6. Phys. q. 2. n. 26. Præterquamquod, non bene arguitur à partibus infinitis nō designabilib⁹, ad partes finitas certæ, & determinatæ magnitudinis. Et rursus, qualitates non sunt quantæ, nisi per accidens ratione subiecti: & idē in qualitatibus nō ponuntur indiuisibilia, neque cōtinuatiua, neque terminatiua, vt diximus ibi q. 3. n. 29. & lib. 2. Logicæ q. 13. n. 35.

s. III.

*Quid non sit modus maioris rati-
dicationis?*

20 **D**ico tertio, iste modus non est ipsa existētia qualitatis; neque eius inhærentia præcisē; neque modus vnionis qualitatis cum subiecto. Priorē partem apertē indicat S. Thomas in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. ad 3. vbi ait, quod qualitas esse suū retinet. Et clarius 2. 2. q. 24. art. 4. ad 3. concludit: *Augetur ergo essentialiter, non quidem ita quod esse incipiat, vel esse desinat in subiecto, &c.*

21 Rationēq; probatur, primo:

nam essentia, & existētia commēsurantur, & ad inuicem correspondent: & præcipue existētia accidentaliformæ est eius effectus formalis: ergo si formæ antecederent non intelligitur superaddi aliquid actus formalis, nec inexistētiæ intelligitur superaddi actus entitatiuus.

Secundo, essentia, & existētia se habent vt *quo est*, & *quod est*, & vnica actione fiunt, vt diximus 1. p. Metaph. Controu. 7. ergo quantum inducitur de existētia, tantum producitur de essentia: ergo si tota essentia producitur, nil producendum restat de existētia.

22 Tertio, quia oppositus dicendi modus alludit ad sententiā iā reiectam, quod qualitas intenditur per variationem existētiæ: & sic pluries generabitur, & corrumpetur in eadem intensiōe eadem forma: nam tunc res desinit esse, quando eius tollitur existētia; & tunc generatur, quando accipit existētiā, quia generatiō est via ad esse: ergo pluries generatur, & corrumpitur: quod est manifestum absurdum. Quia hoc non erit intēdi, sed variari. Nec intensiō erit motus cōtinuus: contra ea quæ dicentur quæst. 22.

Deniq; existētia est vltima actualitas: ergo semel communicata, in hoc munere dādi esse, latitudinem non habet: ergo in illa sola non cōsistit intensiō.

23 Secunda pars noua non indiget probatione, si teneremus sententiā, quæ docet existētiā accidentium non differre ab eorum inhæ-

inhærentia. Ita Soncin. lib. 7. Met. q. 2. ad fin. & Flandria ibi q. 5. ar. 5. & Maffius lib. 2. de Transcéd. c. 10. cōcl. 3. & consequenter debent tenere omnes, qui dicunt subsistētiā realiter non differre ab existentia perse. Sed quia hæc nō ita cōmuni- ter admittuntur; & iste non est locus oportunus de his dislerendi. Adhuc tenendo, quod inhærentia est aliquid distinctum ab inexistentia accidētis, est probāda cōclusio, 24 In primis, quia inherētia in acci- dētib⁹ correspondet subsistētiæ sub- stantiæ; sed quādiu substantia durat, re- manet eadē subsistentia: ergo quā- diu durat eadem qualitas, remanet eadē inherētia: ergo cū intētio, & remissio varientur manente eadē qualitate, huius intensio non cōsi- stit in inhærentia. ¶ Præterea, in- herētia accidentiū est dependētia eorum à subiecto, & in vno accidē- te nō videtur variari. Demū, plu- res rationes factæ pro priori asser- tionis parte, ad hanc cōprobādāam facillè possunt applicari. Sed quia à paucis (quos viderim) ita asseritur, non oportet amplius firmare.

25 Tertiam partē asseritionis mul- tis medijs probat Suarez illa disp. 46. sec. 1. à n. 14. vsque ad 25. Quia duob⁹ modis potest intelligi, quod intensio consistat in noua vnione qualitatis cū subiecto: vel dicendo vnionē esse indiuisibilē, & totam si- mul; & idē non perficitur succes- siuē; sed potius imperfecta tollitur adueniente alia perfectiore per ac- tionem intensiuā. Secundo potest intelligi, quod in ipsamet vnione sit latitudo ratione cuius paulatim

crescere possit. Sed neutro modo qualitas intenditur addita noua v- nione qualitatis ad subiectū; ergo intensio qualitatis non consistit in modo vnionis. ¶ Minor quoque ad pri- mam partē probatur: quia intētio- ne nil tollitur à forma: & quia si v- nio est indiuisibilis, alteratio non posset esse cōtinua. Et quia non per- ficeretur, nec intenderetur forma quoad entitatem, & essentiam, sed solū quoad vnionē. Denique, quia si illa forma est capax diuersarū v- nionum; nō est cur à principio nō vnietur subiecto quātū vnibilis est.

Quoad secundā verō partē, pro- batur minor eisdē argumētis, qui- bus probata est prima: & vltius, si vnio habet latitudinē, & grad⁹, non est cur forma cuius est vnio, eosdē grad⁹ formaliter nō habeat? Quia vel gradus vnionis distinguū- tur numero; vel non? Si non; non poterunt intēdere eandē formam numero. Si distinguuntur numero, & sunt in eadē parte subiecti: ergo idē dici posset de gradibus, & parti- b⁹ formæ: & ita nō est cur negetur intētionē fieri per additionē grad⁹ ad gradū: quod est exclusum q. 15. §. 3.

26 Sed quicquid sit de efficacia istorū argumentorū (de quibus po- tēst) melius probatur cōclusio arg- uementis, quibus 1. Phys. q. 14. & 1. p. Met. Controu. 5. ostendimus formas nō vniri medio aliquo mo- do vnionis, sed seipsis: ergo si for- ma primo intelligitur vnita sine modo, etiā poterit intelligi magis vnita sine nouo modo; sed solum actione agentis, & passione illata,

& applicatione maiori ad subiectū. Sicut anima rationalis, quæ à principio informat materiā sine modo, per nutritionē quā extenditur ad aliā partē, etiā sine modo superaddito. Ergo idē dici posset de qualitate, quod sicut a principio vnitur sine modo superaddito, etiam sine illo poterit extendi, connotata noua actione agentis, & passione, quæ est cum motu.

27 Occurrit M. Ioan. à S. Tho. q. 4. ar. 2. in fine, dicēs vnionem non esse modū tamquā rationē, & mediū formale vniedi; exigi tamen vnionē vt modū antecedentē, vel subsequēntē, quatenus extrema debent immutari. Ipsa etiam immutatio passiuē manēs in ipso extremo vnito, est modus subsequens vnionem. Pertinet tamen ad intentionem, quia intētio magis prabet statum formæ in cōmunicandose, quā vim formalem informandī.

Non videtur hac via euacuari; sed augeri argumenti difficultatē; nam, secluso modo interiacente inter formam, & subiectū, tria (quo ad præsens) tantum possunt considerari, nempe, actio vnitiua, passio illata, & relatio subsequens vnionem. Sed nil horum euacuat difficultatē; ergo suam vim retinet argumentum Minor probatur per dicta omnia, & singula discurrendo: nam actio vnit, & intendit extrinsecē, & effectiuē; ergo assignanda restat causa formalis intrinseca residens in subiecto, & forma, quæ intenditur. Passio transit cum motu, & idē non potest esse causa formalis permanens intrinseca maioris

perfectionis formæ. Relatio est quid consequens maiorem perfectionem: ergo in illa non constituit intensio. Præterquamquod relatio non suscipit magis, & minus, vt ex D. Tho. & cōmuni Doctorum diximus q. 14. n. 22. ergo per relationē consequentē non potest explicari intensio formarum.

5. III.

Est nona terminatio.

28 Dico quarto, hæc perfectio, vel modus, quo intenditur qualitas, est diuersa perfectior terminatio quantitatis virtualis qualitatis, quo ipsa magis radicitur in subiecto. Meo videri est expressa S. Thomæ in 1. dist. 17. q. 2. artic. 2. ibi: *Magis, ac magis terminatur ab actu illo.* Quod profequitur ad 3. & in eadem distinctione ad Anibaldum q. 2. art. 1. ad 3. ait, quod est diuersa terminatio quantitatis virtualis eius. Et Quodlib. 9. art. 13. in fine dicit, ipsa virtus Charitatis non tollitur per essentiam suam; sed variatur terminatio eius. Quibus nil expressius desiderari valet ad assertionem cōprobendam; quæ est M. Bañez verbis relatis n. 4. & in re alij consentient, licet vocibus diuersis explicent; sed præcipuē est ad mentem Ferrarientis.

29 Explicatur, & probatur à simili desumpto ad intentum ex D. Tho. 1. 2. q. 5. 2. art. 2. ad 1. & 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. vt iam retulimus q. 15. n. 36. & 38. sic intenditur qualitas per radicationem, sicut quantitas extenditur in rarefactione: nam ytraque

utraque fit sine additione formæ, vel partis formæ; sed solum variato statu, & modo formæ. Sed in refractione variatur terminatio quantitatatis, & extenditur, & perfectior acquiritur: ergo in intensione variatur etiam terminatio quantitatis virtualis qualitatis, ratione cuius magis inest, & magis radicatur, & perfectius actuatur subiectum.

30 Secundo probatur: necessum est, quod in intensione terminatio virtualis varietur, & perficiatur: sed hoc sufficit vt qualitas radicetur, & intēdatur: ergo hoc pacto est explicāda intētio, & radicatio formarū in subiecto. Maior probatur, in primis in sententia contraria ponente additionem partis ad partem: sicut enim ex duabus quantitibus non fit vna quantitas, nisi tollatur terminatio vtriusque, & copulentur termino communi, ita nequeunt explicare, quod ex pluribus qualitibus partialibus fiat vna totalis, nisi omnes vniantur vna forma totius, & ablata terminatione propria, ponantur sub vna terminatione communi; sicut ex duabus aquis fit vna: ergo iam admittunt variari terminationē quantitatis virtualis.

Secundo, ratio à priori est, quia potentia est terminabilis per actū, & formam, sicut quantitas per figuram, & formam: ergo quando forma habet latitudinem in participatione a subiecto, etiam terminatio virtualis latitudinem habet: & hæc est ipsa radicatio, & intensio: videatur Sanctus Thomas in primo distinctione 17. quaestione

secunda articulo secundo ad tertium.

31 Dico vltimo, hæc diuersa terminatio quantitatis virtualis qualitatis, sufficit vt in ea distinguatur diuersi gradus perfectionis, & specifici; sed indiuiduales; qui dici possunt virtuales, vel modales. Sumitur ex D. Th. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 1. vbi ait: *Huiusmodi quantitas virtualis attenditur, primo quidem in radice, id est, in ipsa perfectione formæ, vel naturæ: & sic dicitur magnitudo spiritualis: sicut dicitur magnus calor propter suam intensiōnem, & perfectionem.* Et quæst. 50. artic. 4. ad secundum ait, quod magis, & minus, secundum quod causantur ex intensiōne, & remissione, non diuersificant speciem.

32 Expressè nomine gradus, vtitur S. Tho. 3. p. q. 7. artic. 9. & 10. & art. 12. ait, non posse formam augeri ex parte subiecti, quando subiectum attingit ad vltimum gradum in participatione illius formæ, secundum suum modum: sicut si dicitur, quod aer nō potest crescere in caliditate, quando peritgit ad vltimū gradum caloris, &c. Et in fine ait: *Quia nō attingit summum gratiæ gradū: agnoscit ergo in qualitibus naturalib⁹, & supernaturalib⁹ gradus diuersos participationis in subiecto.*

33 Præterea est commune assertum Patrum, à S. Thoma explicatū 2. 2. q. 24. ar. 9. quod in Charitate sunt tres gradus, incipiens, proficiens, & perfecta. Et de gradib⁹ sanctitatis nōtionem facit S. Thom. Quodlib. 5. art. 21. ad 1. non ergo est cur istas voces vitemus, quibus tam sæpè indigemus.

Tertio, etiam est cōmune axiō-

ma Philosophorum, qualitates cōtrarias non posse esse simul in gradibus intensis; bene autem in gradibus remissis. Quod sumitur ex D. Tho. 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. in fine. Et quæst. 8. de Verit. art. 14. De quo late Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. ad arg. contra 2. pag. 319. & Bañez 1. de Gener. cap. 10. q. 4. conc. 3. dicit hoc esse ad eò evidens, vt nullus dubitare deberet, nempe, quod cōtrariæ qualitates sint simul in gradibus remissis.

34 Ratioq; à priori sumitur, quia vbi est latitudo successiuè pertransibilis, necesse est gradus constitueret: sed in participatione qualitatum intensibilium, est latitudo pertransibilis, non simul, sed successiuè: ergo ad confusionem vitandam, necesse est vt gradus designemus. Cætera patent ex dictis. Et maior constat, quia gradus dicitur à gradiendo; & propriè gradus sunt, ex quibus scalæ constant, & quibus ad ædificiorum altiora conscenditur: iuxta illud Poetæ 1. Aeneid.

Acra cui gradibus surgebam limina.

Indeque transfertur ad designandū diuisiones eorum, quæ habent latitudinē cum inæqualitate: & ideo S. Hieronym. Isaïæ 5. & S. Thom. in 2. dist. 38. q. 1. artic. 1. ad 2. docent, quod propriè loquendo inter diuinas personas nullus est gradus. Ad designandum ergo diuersam participationem qualitatum, conuenientissimè distinguimus gradus participationis formæ, qui sunt eius perfectiones modales, vel virtuales ex potentia subiecti eductæ. Sicq; loquuntur Caietanus, Conradus,

Montesines & alij locis citatis §. 1. & latè Choquetius conclus. 6. & Ferrara 8. Phys. q. 7. notab. 3.

35 Ex dictis non erit difficile declarare quid intenderit M. Ioann. à S. Thoma relatus nu. 8. cum dixit, quod radicatio fit per *novam explicationem eiusdem formæ in subiecto, tollendo confusionem, & potentialitatem ipsius, &c.* Hæc verba (inquit Neothericus quidam Societatis) scitent mille difficultatibus, quas neque ipse explicat, neque alius soluet. In primis, quid est maior illa explicatio formæ in subiecto? Non in subiecto, sed in sententia, illam ego desidero. Infra subdit: Confusionē tolli à subiecto, ægrius intelligitur, nūquā enim in subiectis, sed in his dicendi modis inuenitur confusio. Hæc ille.

36 Verū, qui in eadē cōtrouersia n. 5. fatetur S. Tho. doctrinā esse *fulgentissimam Ecclesie lapide*, oculos aperiat, si velle Angelico lumine videre, quod in S. Th. Discipulis (quia non percipit) tā rigidè au det calumniare. Igitur S. Thom. in 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 2. ad 3. ait: Hæc autē imperfectio est ex potentialitate ipsius nature, quæ subijcitur perfectioni, & actui. Cum enim omnis potentia receptiua ad multa se habeat, secundum istam multitudinem ipsius, dissimile est principio agentis, quod est terminatum ad actum vnum: & secundum quod ista confusio potentialitatis magis subijcitur actui, perfectior perficitur actus: & ipsum perfectum magis efficitur vnum, & magis assimilatum principio agentis. Hæc autem confusio potentialitatis, est in qualibet natura

natura creata, secundum quod nō dum est perfecta per actum. Vnde etiam per istum modum ponit Dionys. c. 3. Cælesti Hierar. purgationē in Angelis; scilicet, *secundum quod remouemur à confusione dissimilitudinis.*

37 Ita S. Thomas, cuius verbis omnis intellectus est ablata confusio, & omnino firmata cōfusio qualitatū imperfectarū: quæ duplici de causa sic appellatur. Prima; nā omne potentiale dicitur confusum, quia caret actu distinguente, & terminante: qualitas autem imperfecta est in potentia ad perfectionē, & sic antecedenter est confusa, & potentialis, & remouetur à confusione, quo magis actuatur per formam. Secunda, quia omne dissimile est confusum (iuxta phrasim S. Dionys.) Cum igitur agens est perfectum, & qualitas imperfecta, est dissimilis, & confusa. ¶ Aduerte etiam, quod omne potentiale est materiale: materia autem vocatur *yle*, id est, chaos, & confusio, ab omnibus Philosophis, vt iam diximus 1. Phys. q. 6. n. 6. ¶ Per quāritatem etiam tollitur confusio partiū substantiæ, quia ordinantur, & in se situantur, iuxta dicta lib. 2. Logic. q. 14. n. 12. Ergo similiter per actualitatem, & perfectionem qualitatū intensarū, tollitur potētiālitatis subiecti confusio.

38 Id autē quod dicitur de noua explicatione eiusdem formæ, facile percipitur ex his, quæ ad sensū experimur in quantitate: nam rarefactione quasi explicatur eius intensio, & condensatione quasi cōplicatur: ita qualitas remissa est imperfe-

cta, & non est totaliter cōmunicata, & per intensiōnem explicatur, perficitur, & magis actuatur subiectū.

§. V.

Argumenta soluuntur.

39 Sed contra quartam cōclusionem (quæ in hac questione est præcipua, & respōdens quæsito) arguitur primo: nā quantitas virtualis non distinguitur ab ipsa re, quæ quanta dicitur: ergo si intensio qualitatis cōsistit in variatiōne quātitatis virtualis, vel variabitur essentia qualitatis; vel in intensiōne nil à qualitate distinctum ipsi superaddetur: quod vtrūq; est impugnatū. Antecedens est D. Thomæ loco citato in cōclusionē: & facile patet, quia quantitas virtualis est quantitas metaphoricè, & ita non est aliud ab ipsa essentia rei. Et secundum communem acceptionem, quantitas virtualis est ipsa perfectio, seu bonitas transcendens, quam non differre ab entitate, ostendimus. 1. p. Metaph. Controu. 14. n. 20.

Dices, quod licet quantitas virtualis nō distinguitur ab entitate qualitatis, tamen eius terminatio quantitatū virtualis ab ea distinguitur, sicut modus à re, cuius est modus: nos autem non asserimus intensiōnem consistere in quantitate virtuali; sed potius diximus consistere in diuersa terminatiōne quātitatis virtualis qualitatis.

40 Sed cōtra, primo, magis distinguitur quantitas à re quanta, quæ differat terminatio quātitatis ab ipsa quantitate, vt patet, quia quantitas differt realiter à substan-

tiâ, iuxta dicta libro 2. Logicæ q. 15. & figura, & terminatio quantitatis solū modaliter à quantitate differt: vel, si differt realiter, non plus differt à quantitate, quam ipsa à substantia: ergo si quantitas virtualis non differt realiter, nec modaliter à qualitate; nec terminatio virtualis quantitatis eius ab ipsa quantitate distinguetur.

Secundo, & vrgentius: nam terminus quantitatis virtualis est terminus essentia: iste autem ab essentia non differt; quia essentia suis generibus, & differentiis limitatur, & seipsis essentialiter terminatur, vt ex D. Thoma in 1. dilt. 37. diximus. lib. 6. Phys. q. 3. n. 12. ergo si qualitas augetur per terminationē virtualis quantitatis, non augetur per aliquid à qualitate distinctum, contra doctrinam secundæ conclusionis.

41 Respondetur ex dictis q. 15. §. 7. quod terminus quātiratis virtualis, est duplex: alius conueniens formæ ex ipsa ratione formæ; alius cōueniens formæ ex diuersa actuatione, vel participatione eius in subiecto, vel terminatione potentialitatis subiecti ab actualitate formæ: terminus in priori acceptione est terminus essentialis; & sūt si cut numeri & per eorū variationē variāt speciem. At vero in posteriori acceptione sūt termini modales; & variāt intra eadem speciem solum secundum magis, & minus, vt ait S. Thomas. 1. p. q. 50. art. 4. ad 2. iuxta hoc intellecta solutio 1. supra adnūti potest. Videatur S. Thomas in 4. dilt. 17. q. 1. ar. 5. q. 3.

42 Ad primam replicam dicitur, antecedens esse verum de quātitate mollis, & consequens pariter verificatur in terminis essentialibus quantitatis virtualis qualitatis, quos fatemur ab ipsa nō distingui. Cum quo compatitur, quod diuersa terminatio qualitatis conueniens ei ex diuersa participatione in subiecto, latitudinē habeat, & ab ea modaliter differat: & hoc solū nos intēdimus. Et iuxta hoc etiam est distinguenda maior secunda replicæ, vel iuxta dicta erit neganda.

43 Secundo arguitur argumēto quod supra num. 25. retulimus ex Suarez contra intentionē per modum vniōis superadditum; quod videtur æquē militare contra illam virtualē terminationem; quia si distinguuntur specie; non facient qualitatem eandem intensiorem. Si distinguuntur numero; non poterunt esse in eadem parte subiecti. Rursus, si terminatio habet gradus; non est cur forma gradus non habeat. Denique in intentione nulla est corruptio: ergo non destruitur terminatio, & gradus præcedens. ¶ Si autē manent simul; reddunt omnes difficultates, quæ sūt in intentione per additionem gradus ad gradum, quia vel differunt a subiecto, vel a seipsis: vel sunt diuersa rationis; & sic gradus vt octo non potest expelli per primum gradum formæ contrariæ; cum imperfectissimus non expellat perfectissimum. Vel sunt eiusdem rationis; & sic tollitur pugna inter gradus; cum nulla sit maior ratio, cur ille gradus, quā ille expellatur. Et sexta

centra alia quæ pullulant argumen-
ta.

Ad hoc argumentum Montefi-
nos à num. 71. vsque ad 81. conce-
dit gradus omnes intensiōnis esse
simul, ita vt gradus superior præ-
supponat necessario inferiorem,
quia superior est perfectior, & ma-
gis actuat. Et hoc dicit habere lo-
cum in sententia S. Thomæ, qui fa-
tetur esse latitudinem realem, licet
non ex gradibus realiter distinctis.

44. Cæterum, si neget distinctio-
nem etiam modalem, hunc dicen-
di modum exclusimus conclusio-
ne secunda. Quatenus verò Mon-
tesinos, ex vna parte vult saluare
intensiōnem non fieri per additio-
nem realem; & ex alia parte admit-
tit, non solum accrescere gradus,
sed & parti alterationis partē qua-
litate, & indiuisibilibus alteratio-
nis correspondere indiuisibilia; vult
Montesinos in re ponere contra-
dictoria simul: quia pars, & pars
physica compositionē faciunt: &
indiuisibile realiter (modaliter ad
minus) differt à diuisibili.

Nec obstat, quod respondet nu.
68. non esse compositionem, quia
non est realis distinctio: quia mira-
bile est, quod concedat partes, &
indiuisibilia, quæ distincto tempo-
re adueniunt; & negare velit distin-
ctionem, & compositionem. Qua-
tenus autem concedit gradus esse
simul, incidit in omnia incommo-
da primæ sententiæ impugnatæ q.
15. vt in argumento tangitur.

45. Secundo respondent PP. Car-
mel. n. 126. modos radicationis nō
solo numero distingui: nam supe-

rior virtualiter, & eminenter con-
tinet inferiorem: quod arguit ma-
iorem distinctionem, quàm nume-
ricam; siquidem vnum indiuiduū
non solet ita eminenter alia eius-
dem speciei continere.

Sed cōtra primò: nam modi isti
habent effectus formales, & opera-
tiones eiusdem speciei: ergo non
est cur specie distinguantur. Secun-
do, quia magis, & minus in eadem
specie, non variat speciem, vt ex
D. Tho. diximus nu. 41. & illa vir-
tualis cōtinentia est propter actua-
litate formæ, cuius sunt termina-
tiones, & ad quam reducuntur.

46. Idcirco facilius, & verius res-
pondent Ferrara, & alij Thomistæ,
terminationes istas esse modos per-
tinentes ad indiuiduationem qua-
litate in statu participationis, ac-
tuationis, & terminationis poten-
tialitate subiecti; & ideo numero
incomplete distinguuntur; quia non
variant, nec speciem, nec indiui-
duum; sed sunt status diuersi eius-
dē indiuiduæ qualitate. Et in hoc
sensu etiam forma gradus habet,
non secundum se, & abstractè; sed
concretè vt in subiecto, & vt fiat
sub terminationibus. Verum est au-
tem, quod non corrumpitur in in-
tensione, nec qualitas, nec existen-
tia, nec inhaerentia (sicut nec in ra-
refactione quantitatis) variatur ta-
men terminatio, quia intentio est
motus ab imperfecta ad perfectam
terminationem. Cæterum in eadē
parte subiecti (in qua est intentio
ad differentiam extensionis ex par-
te subiecti) non sunt plures termi-
nationes simul, sed successiue, quia

cum intēditur qualitas, destruitur terminatio imperfecta, adueniente perfecta, quæ cōtinet imperfectiorem, & aliquid addit: sicut figura sex angulorum continet figuram trium angulorum: quo exemplo in simili vtitur Philosoph. 2. de Anima text. 31. dicens, quod *pentagonum continet tetragonum, & excedit*, vt adducit S. Tho. 1. p. q. 76. art. 3.

47. Indeque patet ad formā argumēti, quod nō est incōueniēs quod in eodem subiecto, & in eadem numero qualitate successiue sint diuersæ numero terminationes virtualis quantitatis, sicut sunt in eadem quantitate corporea. Admissus etiam formam subterminationibus gradus admittere, non secundum se, sed prout participatur in subiecto. Eo autem ipso, quod perfectiore adueniente, destruitur inferior, est subordinatio in gradibus; sed non simul et plurium terminationum, sed vnus, quæ æquualet pluribus, non per distinctionem specificam, sed per actuationē perfectiorem eiusdem indiuiduæ formæ: & solum quoad hoc exempla inducuntur de diuersis figuris.

48. Præterea arguitur applicādo argumentum, quod ad aliud intentum proponit Suarez illa sec. 1. n. 7. quia si in intensiōe fit talis mutatio, quod amittatur vna terminatio, & acquiratur alia perfectior, opposito modo similis mutatio fiet in remissionē: ergo cum aqua v. g. se reducit ad pristinam frigiditatem, & remittit calorem, expellit terminationem perfectam, & aliam imperfectam acquirat. A quo

ergo agente inducitur illa terminatio minus perfecta in eo instanti in quo perfectior expellitur? Non à contrario agente: quia supponitur omnino esse separatum, & consequenter ab illo produci non posse. Non ab ipsa forma, quia hæc non producit calorem: ergo impossibile est per variationem terminationis fieri remissionem, aut intensiōem formarum.

Respondetur cum M. Ioan. à S. Thoma. q. 4. art. 3. ad 4. & PP. Carmel. disp. 4. n. 124. & 125. quod causa perse illius qualitatis est illa forma substantialis à qua resultat: nam licet ibi non sit formaliter; manet tamen virtualiter manente forma producta. Determinatur autem vt resultat potius terminatio ista, quā illa, iuxta maius, vel minus impedimentum oppositi agentis, & dispositionem subiecti. Et remotè, & per accidens agens remouens, & impediens perfectiorem terminationē qualitatis, facit vt resultat alia terminatio: sicut diximus lib. 7. Phyl. q. 2. de motu resilientiæ. Legantur quæ diximus 2. Phyl. q. 11. nam argumentum contra omnes militat; siquidem inquit potest causa diuina uens gradus.

49. Sex argumenta, quæ obijcit Cabero, omittenda esse, quia parua, vel nullius sunt difficultatis cōtra doctrinam iam declaratam. Vltimum autem, quod *emendens* ab ipso vocatur, erat desumptum ex Suarez, quamuis eum non referat; & ante eos proposuerat Ferrara, vt sequenti quæstione referemus.

50. Solet hic disputari de augmento

to extensiuo qualitatum. Cæterū extensio qualitatis corporeæ in diuersis partibus quætitatis, exponitur quæst. sequenti. Extensio autē habituum in ordine ad partialia obiecta, est à nobis explicata lib. 1. Logicæ quæst. 4. & 1. p. Metaphis. Controu. 2. ar. 4. & ideo hic est per transeundum.

QVAESTIO XVII.

Vtrum alteratio sit motus continuus?

§. I.

Certa præmittuntur.

Loquimur de alteratione, non prout condistinguitur intensiōi, & remissioni; & significat primam acquisitionem qualitatis; sed potius de illa prout est genus ad alterationem, intensiōnem, & remissionem, vt diximus q. 13. §. 2. imò prout comprehendit extensiōnem qualitatis ad alias partes eiusdem subiecti. Quin potius in ista (sicut in duabus præcedentibus quæstionibus) est sermo de alteratione; etiam spirituali, & perfectiua, & nō coartamus doctrinam ad solam alterationem physicam corruptiuā contrarię, in rigore in quo sumebatur q. 13. n. 5.

2. Tripliciter autem potest intelligi alterationem esse motum continuum, vt notant Soncinas lib. 8. Metaph. q. 22. & Iauellus 8. Physic. q. 7. vel continuitate durationis; aut ex parte mobilis; aut ex parte firmæ, quæ acquiritur. Primo modo alte-

ratio diceretur continua, si esset sepe durans, & perpetua: eo modo quo ponebat Heraclitus impugnatu à Phyllof. 8. Phys. text. 23. & 54. omnia semper moueri, & numquā quiescere; licet lateat vtrum moueatur, quia motus sunt imperceptibiles? Secundo modo diceretur alteratio esse continua ex parte mobilis, quando forma, vel qualitas, ad quam est motus, successiuè acquiritur in partibus mobilis sine interruptione; sicut si successiuè calescat aliqua pars post partem; ita vt extensio qualitatis in subiecto fiat successiuè: sicut in motu locali mobile nullam partem spatij acquirit totam simul, sed partem post partem. Vltimo dicitur alteratio esse continua ex parte formæ, quæ acquiritur, quando in eadem parte subiecti forma continuè magis, & magis perficitur; ita quod non sit assignare aliquod tempus in quo mobile eodem modo se habeat: & hoc est intensiōnem esse simpliciter continuam.

3. Præterea aduertendū ex Ferrara Cōtr. li. 2. c. 89. §. Circa sextū, quod adhuc loquendo ex parte formæ, hæc continuitas potest esse dupliciter: vno modo vt ad æquante, & tota licet tota productio qualitatis, & est perfectio sit continua; ita vt tota alteratio, qua aliquid alteratur in nō gradu alicuius qualitatis ad aliquè perfectissimū, sit cōtinua; nulla quiete; vel morula interrupta.

Secundo est sensus de partiali, & inadequata alteratione, ita vt vel prima productio, vel aliqua eius intensio, vel extensio sicut motus cō-

rimū; an verò solum contigui, & successiui ex se; & solum habeant contrarietatem ex subiecto, vel ex forma, cuius sunt perfectiones?

4 Certum est igitur alterationem non esse motum continuum, id est, perpetuo durantem, vt experientia est compertum: & ideo Phyl. 8. Phyl. text. 23. ait: *dicere alterationem fieri continue, est aduersari valde manifestis*: de quo S. Tho. ibi le. 5. lit. g. ait: *dicere ergo quod aliquid semper, & continue alteretur, est dubiare de manifestis*: quia omnis alteratio requirit determinatum tempus, & determinatum terminum. Et lapis non fit neque durior, neque mollior, etiam per temporis longinquitatem. Et idem patet in multis alijs. Et sic stultū est dicere, quod omnia semper alterentur.

5 Secundo est certū, quod tota alteratio adæquate, vt dicit productionem qualitatis, & perfectionē eius vsque ad perfectissimum gradum, non est de necessitate continua, & hoc ad minus docet S. Thomas in 1. dist. 8. q. 3. ar. 3. ad 3. dicens: *sicut Commentator probat in 8. Phyl. nullus alius motus, est simpliciter continuus, nisi motus localis*. Et lib. 2. Cōtragentes capite octuagesimo nono (non 49. vt communiter citatur, in quo nil habetur) dum ait: *Nec est mirū si tota generationis transmutatio nō est continua, sed sunt multe generationes intermedie*: quia hoc etiam accidit in alteratione, & augmento: nō enim est tota alteratio continua, neque totum augmentum: sed solum motus localis est vere continuus, vt patet in 8. Physico-

rum. Vbi Ferrara notat S. Thomā docere solum, id de quo *nihil est dubium*, quod tota alteratio adæquate non est de necessitate continua; quia potest mobile moueri ad aliquem gradū remissum; & postquā ibi per aliquod tempus quiescit, moueri ad perfectū gradum. Quare præcipue inquiritur de singulis alterationibus, tam primo productiuis qualitatum, tam extensiuis earum, quam etiam intensiuis, an sint continuæ; an verò morulis interruptantur?

6 Præterea notat Sōcinas §. nunc ad rationes, quod formæ, quæ intenduntur, sunt in triplici differentia: nam aliquæ sunt in subiecto simplici, & non quanto; cuiusmodi sunt omnes habitus, & operationes intellectus, & volūtatis. Quædam verò sūt in subiecto materiali; sed nō habēt cōtrarium, cuiusmodi est lunæ in diaphano; & visio in organo visus; siue habeāt esse extensum, siue non. Quædam vero habent esse in subiecto materiali, & habent contrarium; vt calor, & frigus, & reliquæ huiusmodi qualitates materiales, tam primæ, quam secundæ.

§. II.

Opiniones referuntur.

7 Igitur prima opinio est alterationem quoad extensionē non esse cōtinuā, sed fieri in diuersis instantibus temporis; & quia non datur duo instantia immediata, idēō interruptitur morulis, & eius successio est contigua, & non cōtinua.

nua. Ita Aegidius 1. de Generat. q. 16. & Iandunus 8. Physicorum quæstione 8.

8 Alij negant vilo modo alterationem esse continuam, nempe, nec quoad intensiorem, sed totam morulis interrumpi, quâuis sit successiva, & contigua ad differentiã generationis substantialis. Ita Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. ad finem, pagina mihi 333. Soncinas 8. Metaph. q. 22. & 23. Ferrara 8. Phys. q. 7. ibi Iauellus, & Aquarius, & Astudillo 1. de Generat. q. 10. & alij, quos sequitur Arriaga disput. 2. de Gener. sec. 3. subsec. 2. 3. & 4. & disput. 3. sec. 5. in princ.

9 Per oppositũ alij docent alterationem, & remissionem, tam esse motus continuos, quam sit motus localis. Ita problematice defendit Ferrara 8. Physicorum quæst. 8. & asserit Soto libro. 1. Physicorum q. 4. concl. 5. Bañez hic cap. 4. q. 6. Ioann. à S. Thoma q. 3. art. 3. PP. Carm. disp. 4. q. 10. & Ariminensis in 1. dist. 9. q. 1. Conimb. Toletus, Rubio, Cabero, & alij in præfenti. Suarez disp. 46. Metaph. sec. 3. n. 9. & est iam communis in scholis. non tamen via vna defenditur: nam Toletus q. 6. existimat dari minimum, seu primum gradum qualitatis. Quem tamen non admittit Soto, Bañez, Suarez, & alij.

10 Præterea ad successiorem alterationem non esse necessariã indiuisibilia qualitatis, tenet Vazquez 1. 2. disp. 82. cap. 6. n. 27. & M. Ioa. à S. Thoma hic q. 3. art. 3. & q. 4. artic. 3. in fine, & alij relati lib. 2. Logic. q. 13. n. 35. & l. b. 6. Physic. q. 3. n. 29.

11 At verò Suarez vbi supra sec. 4. num. 9. Montefinos 1. 2. disp. 33. q. 3. nu. 73. Rubio hic tract. 3. q. 3. Cabero disp. 6. dub. 3. & alij tria genera indiuisibilia in qualitatibus constituunt; nempe, indiuisibilia quoad intensiorem tantum, quæ vniunt intensiorem partes, vel gradus: alia sunt indiuisibilia quoad extensionem solum, quæ copulant partes qualitatis receptæ in subiecto extenso: denique alia sunt indiuisibilia omnino, tam quoad intensiorem, quam quoad extensionem, & recipiuntur in punctis quantitatis.

12 Quorum motuum ad hæc indiuisibilia constituenda, est, quia toti alterationi correspondet tota qualitas, & parti alterationis pars qualitatis, aut gradus: ergo indiuisibilibus alterationis, scilicet, *mutatis esse* correspondent indiuisibilia in qualitate intensa, & extensa; vt sic sit continua copulata, & terminata indiuisibilibus: nam cum quælibet pars extensionis, & gradus intensiorem sit diuisibilis, & cõtina; si non continuarentur, & terminarentur aliquo diuisibili, daretur processus in infinitum, vt de quantitate dici solet.

13 Laborant tamen, qui prædicta adstruunt indiuisibilia in explicando quando producantur. Nam Rubio q. 3. concl. 3. docet indiuisibilia alterationis non produci per partes motus, sed in instantibus temporis, & per proprias mutationes instantaneas; de quo agit tota quæstione 4.

14 Ceterum Cabero tract. 1. disp. 6. dub. 3. dicit, indiuisibilia simpliciter

citer produci in instanti: indiuisibilia verò secundum quid, idest, vel secundum intensiorem tantam, vel tantum secundum extensionem, produci in tempore.

15 Alij verò frequenter docent in instanti posse produci aliquid diuisibile, vt docent Authores relati in 7. & 8. & in parte temporis posse produci aliquid omnino indiuisibile, quod terminet, vel copulet qualitatem diuisibilem.

§. III.

Aliquæ alterationes non continuæ.

16 **E**X relatis sententijs constat hanc quæstionem non esse adeo facilem, vt à nonnullis existimatur: nec idem esse dicendum de omni specie alterationum, vt quidam arbitrantur; & ideò ad confusionem vitandam, de singulis seorsum est iudicandum sequentibus assertionibus.

17 Dico primo, alteratio primo, & perse non est motus continuus. Ita desumo ex Philosoph. 6. Physicorū textu 49. in fine, vbi ait. *Manifestum igitur quod in sola mutatione, quæ secundum qualitatem est, contingit indiuisibile perse esse.* Vbi S. Thomas lec. 7. litt. h. in fine ait: *Et sic manifestum est quod in sola mutatione, quæ est secundum qualitatem, contingit aliquid esse indiuisibile perse.* Et lec. 5. litt. n. in 2. dubio ait S. Thomas: *continuitas primo, & perse, & proprie inuenitur in motu locali tantum, qui solum potest esse continuus, & regularis, vt ostenditur in octauo.* Et ita tenet Ferrara 8. Physic. q. 8. ad 1.

18 Et hæc est ratio à priori conclusionis. Illa forma secundum se perse primo terminat motum continuum, quæ secundum se est diuisibilis, & habet latitudinem successiue percurrendam. Sed alteratio, quæ est mutatio ad qualitatem, terminatur ad formam, quæ secundum se, est indiuisibilis, & non habet latitudinem successiue percurrendam: ergo alteratio perse primo, & secundum se non habet continuitatem. Discursus est legitimus: & ambæ præmissæ suis locis ostensæ. Maiorem satis probauimus 5. Physic. q. 1. & patet ex differentia inter mutationem, & motum strictè sumptum. Minor vero est ostensa lib. 2. Logicæ q. 13. vbi diximus, quod sicut substantia, ita & qualitas antecedenter ad quæritatem est indiuisibilis, & inextensa, quia effectus formalis quantitatis non habetur ante ipsam.

19 Secundo, quod conuenit formæ secundum se, in quocūque statu conuenit, etiam si à subiecto abstrahatur, vt patet ex D. Thoma 4. cap. de ente, & essentia, & ex dictis lib. 1. Logicæ q. 12. n. 7. sed qualitati secundum se, & abstracte considerate non conuenit suscipere magis, & minus: vnde præmisserat ibi S. Thomas illa lec. 7. *quod si albedo esset separata, non diceretur secundum magis, & minus (sicut neque substantia suscipit magis neque minus.)* Quod & docet S. Thomas locis relatis q. 15. n. 61. ergo qualitati non conuenit primo, & perse, sed per aliud terminare motum continuum.

Tertio, quod conuenit alicui primo

mo, & perse positive, omnibus sub eo contentis conuenit: sed ostēdemus conclusionē sequenti, quod dantur aliquæ alterationes non continuæ: ergo primo, & perse non conuenit alterationi continuas.

20 Dico secundo, dātur multæ alterationes subitæ, etiam qualitatū, quæ recipiūt magis, & minus, & sunt in subiecto extenso, & corporeo. Quod qualitates spirituales possint fieri in instāti, facile omnes admittunt; siquidem motus liberi arbitrij non est successiuus, sed instantaneus, & per eum potest habitus produci, vel productus augeri.

21 Loquendo adhuc de qualitatibus corporeis, docēt Authores relati n. 8. & videtur omnino esse S. Thomæ qui 1. 2. q. 113. art. 7. ad 3. ait, quod non est ratio quare forma subito in materia non recipiatur, quia magis, & minus potest in esse: sic enim lumen non subito recipitur in aere, qui potest magis, & minus illuminari: sed ratio est accipiēda ex parte dispositionis materiæ: de quo iterum infra. n. 43.

22 Ne autē existimetur in solo motu alterationis intētionalis hæc cōtingere, & non in physica alteratione, legantur Phyl. & S. Tho. 8. Phyl. corum lec. 5. littera. f. ubi S. Thomas inquit: *multoies fit ve ex alteratio, ita scilicet, quod multæ partes corporis alterantur simul alterans: sicut accidit in densatione, sine congelatione aquæ: nota enim aliqua aqua simul congelatur, non pars post partem.*

23 Sed obijciēs: nam Phyl. & S. Thom. 6. Phyl. lect. 6.

per totam, docent, quod motus diuiditur secundam diuisionem temporis, & mobilis, & rei secundam quam est motus: ergo si totum id, quod alteratur, habet partes, & successiōnem, etiam eandē successiōnem debet habere alteratio.

Respondetur, quod in ipso lib. 6. Phyl. nostram conclusionem late probat S. Thomas lect. 5. litt. n. in secundo dubio: ibi. *Vnde simul alteratur totum, nō pars post partē.* Quod ergo illa doctrina lec. 6. lib. 6. non opponatur dictis lect. 5. & dicēdis lib. 8. explanat ibi S. Thomas illa lect. 5. dicens: sed sciendum, quod Arist. in sexto determinat de motu in communi, non applicādo ad aliqua mobilia: & idē ea quæ ibi de motu tractauit, accipiēda sunt secundum exigentiam continuitatis motus: hic autem loquitur de motu applicādo ad determinata mobilia, in quibus cōtingit aliquem motum incurrumpi, & non continuari, qui secundum cōmune rationem motus possit esse continuus. Quod est dicere, non repugnat ex ratione motus, nec ex ratione qualitatis, quod alteratio sit continua; potest tamen repugnare, vel quia ex parte passi nulla est contrarietas, vel quia nulla est indispositio, aut distantia terminorū; vel quia forma habet esse determinatum, & sub se fit.

24. Rationem radicalem ubertissime, ex Phyl. & S. Thom. de Sēsu, & Sēfatu lectio ne 16. litt. f. quam placet transferre, quia clarius ex me non valeo proponere. Contingit aliquando (inquit) quod totū corpus simul altera

alteratur, non autem dimidiū eius prius; sicut videmus quod tota aqua simul congelatur. Sicut enim in motu locali, tempus commensuratur distantiae magnitudinis supra quam transit motus; & secundum diuisionem eius diuiditur, vt probatur in 6. Physicorū. Ita etiā in alteratione tempus commensuratur distantiae terminorum: & ideo maius tempus requiritur, cæteris paribus, ad hoc quod de frigidō fiat calidū, quam ad hoc quod de tepido fiat calidum. Et ideo si a liqua extrema sunt inter quæ non est accipere mediū; oportet quod de vno extremo ad aliud fiat transitus absque medio. Contradictio autem est oppositio, cuius non est medium secundum se, vt dicitur in primo Posteriorum: & eadem ratione de priuatione, supposita aptitudine subiecti; cum priuatio nil aliud sit, quam negatio in subiecto. Vnde omnes mutationes, quarum termini sunt esse, & non esse; vel priuatio, & forma, sunt instantanea, & nō possunt esse successiua. In alterationibus enim successiuis attenditur successio secundum distantiam vnus contrarij ab alio per determinata media, in qua quidem distantia tota magnitudo corporis, in quam potest immediate virtus primi alterantis, consideratur sicut vnum subiectum, quod statim simul incipit moueri. Hæc ibi S. Thomas, & satis oportet.

25 Sed obieciēs: nam Philosophus 6. Physicorum textu 33. lect. 5. apud D. Thomam litt. n. probat,

omne quod mouetur esse diuisibile, quia pars eius est in termino à quo, & pars in termino ad quem. Sic igitur videtur quod dum aliquod corpus alteratur; quod vna pars eius sit in termino à quo, & alia in termino ad quem: & sic non potest esse, quod totum simul alteretur; sed pars post partem.

Respondetur cum D. Tho. prædicta lect. 16. in fine, quod demonstratio illa Philosophi intelligitur de motu locali, qui est verè, & secundum se cōtinuus: agit enim Aristoteles in 6. Physic. de motu sub ratione continui. Motus vero augmenti, & alterationis non sunt simpliciter cōtinui, vt dictum est in 8. Phys. Vnde in alteratione non verificatur illud Aristotelis dictū omnino: sed solum quod accipit quādam continuitatem ex mobili, cuius vna pars alterat aliam. Mobile verò quod totum simul attingitur à virtute primi alterantis, *habet se sicut quoddam indiuisibile quantum ad hoc, quod simul alteratur.* Ita S. Tho.

26 Præterea probatur ratione S. Tho. 1. 2. q. 113. art. 7. in corp. dictis. Cuius ratio est, quia quod aliqua forma non subito imprimatur subiecto, contingit ex hoc, quod subiectum non est dispositum, & agens indiget tēpore ad hoc, quod subiectum disponat: & ideo videmus, quod statim cum materia est disposita per alterationem præcedentem, forma substantialis acquiritur materiæ: & eadem ratione, quia diaphanum est secundum se dispositum ad lumen recipiendum, subito illuminatur à corpore lucido

do in actu. Sed contingit sæpè materiam, vel subiectum alterandum, esse summe dispositum ad formam, iatro dicendam per alterationem, recipiendam; vt aqua vt congeletur, palea vt calefiat, vel cum in ingentem rogam inijcitur: & sic de alijs: ergo subito totum subiectum alterabitur, & non pars post partem.

27 Confirmatur: nam vt ibi ait Sanctus Thomas, quod agens naturale non subito possit disponere materiam, contingit ex hoc, quod est aliqua proportio eius; quod in materia resistit, ad virtutem agentis: & propter hoc videmus, quod quanto virtus agentis fuerit fortior, tanto materia citius disponitur. Cum igitur sæpè eueniat, quod in subiecto nulla sit resistentia, sed aliquando exigentia qualitatis introducendæ, tunc qualitas subito introducetur.

Confirmatur secundo: nam solet contingere, quod ignis applicetur aquæ, & in prima applicatione non producat nisi tres gradus caloris, quia fortior est aqua ad resistentiam: sed duratione sequenti supponimus non augeri virtutem ignis, nec minui virtutem aque: ergo propter resistentiam contrarij discontinueatur motus simpliciter. Quæuis bene doceat S. Thomas relatus. n. 25. continuari secundum quid ex mobili cuius vna pars alterat alteram.

28 Denique probatur, supponendo ex dictis libro sexto Physicorum quæst. 6. quod res naturales habent terminos intrinsecos magnitudinis, & paruitatis: quod ibi numero 18. & 41. diximus procede-

re, non solum in substantiis, sed etiam in accidentibus: & ita exigant proprium subiectum, & certam dispositionem quantitativam; eo quod omnia accidentia corporalia non sunt in substantia, nisi media quantitate, vt subiecto quo, vt sæpè dictum est. Sic ergo arguitur. Illa pars quantitatis simul alteratur, sub cuius minori parte non potest forma sensibilis conseruari: alioquin daretur minor minima qualitate naturali: quod supponimus naturaliter repugnare. Sed in qualitate naturali datur illa qualitas minima, vt dictum est: ergo subito illa qualitas introducitur.

29 Explicatur vis huius rationis: quia, vt postea ostendetur, non potest dari minimum naturale in termino motus, & verificari quod motus quo acquiritur sit continuus: alioquin daretur primum in motu, contra Philosophum sexto Physicorum textu 58. Sed in qualitatibus naturalibus, etiam sensibilibus; datur naturaliter primum esse minimum qualitatis: ergo prima earum introductio potest esse non continua.

Occurres ex dictis sexto Physicorum quæstione 5. num. 17. quod si qualitates naturales accipiuntur in gradu determinato, in indiuisibili consistunt, & non possunt incipere per motum: ceterum possunt accipi in fieri; & sic incipiunt per motum, & successiue, & ad modum motus.

30 Hæc tamen euasio totum intentum argumenti confirmat, non enervat: quod sic patet. Nam non intendimus, quod semper qualitates naturales

tales sensibiles s̄nt in instāti (de hoc enim dicitur conc. seq.) sed quod possint naturaliter loquendo incipere in instanti. Quod verificari iuxta doctrinam solutionis, est manifestum: quia potest adesse subiectum, capax qualitatis in gradu determinato, & naturali; & nō in gradu indeterminato, qui sibi per accidens conuenit ratione quantitatis mathematicè acceptæ, & secundū partes proportionales: ergo tunc introduceretur in instanti.

31 Quod amplius explicatur: nā, vt docent M. Soto vbi supra cōcl. 3. & M. Bañez art. 2. concl. 2. si qualitates considerentur vt sunt dispositiones requisitæ ad introductionem alicuius formæ substantialis, vt sic in eis, & datur minima qualitas, & terminantur intrinsecè, etiā quoad paruitatem; sicut enim datur minima pars substantiæ; ita & minima dispositio, vt cum illa proportionetur accidens, sicut dispositio cum forma. Sed dispositiones aliqua alteratione producuntur: ergo aliqua alteratio non est continua, sed instantanea. Probatur consequentia, quia sicut non datur primum in motu; ita nec datur in qualitate incipiente per motum, & ad modum motus successiui, & continui: cum ergo detur minima dispositio, illa non fiet per motū, sed per mutationem instantaneam.

32 Sed obieciēs (& vt apparet) satis vrgenter: nam omnis alteratio est motus strictè sumptus, vt ex D. Thoma diximus hic q. 4. nu. 9. sed motus strictè sumptus nō est mutatio instantanea, sed potius quid suc-

cessiuum, & continuum: ergo omnis alteratio essentialiter est motus continuus. Cætera patent, & minor constat ex dictis lib. 5. Phys. q. 1. §. 1. alioquin non esset differentia inter instantaneam mutationē, & motum. Idcirco motum vnum oportere esse continuū, docent Philosophus, & S. Thomas 5. Phys. textu 23. lec. 5. lit. c. & text. 39. lec. 7. in princ. ait cum Philosopho Sanctus Thomas: *Vnde re. inquitur, quod hoc modo dicatur vnus sicut cōtinuus: & quod hoc sit motui esse vnum simpliciter, quod est ei esse continuum.*

33 Potest responderi primo, distinguendo maiorem; & concedo de alteratione physica, & corruptiua, de qua locuti sumus illa q. 4. & q. 13. n. 5. nego verò, loquendo de alteratione perfectiua, & purè acquisitiua qualitatis in subiecto nullam habente formam contrariam, in quo sensu nunc nos loqui de alteratione, iam diximus nu. 1. Et sic accepta alteratio nō est motus strictè sumptus, sed mutatio instantanea, quæ est terminus extrinsecus motus localis: *Sicut illuminatio est terminus motus localis Solis, vt ait S. Th. Quodlib. 7. art. 9. & alibi sæpè.*

34 Posset secundo responderi cū Ferrara illa q. 7. concedendo maiorem, negando minorem: quia illa non est vniuersalis differentia; sed quod generatio in vno tantum fit instanti, ita vt nō possit successiue fieri pluribus mutationibus successiue se habentibus. At verò motus, vel fit in instātibz pluribus sibi mediatè succedētibz, vt in alteratione; vel in tempore continuo, sicut

§.4. Quando sit alteratio continuus motus? 145

in motu locali. In autoritatibus autem illis accipitur cōtinuitas aliquando strictè, sicut in motu locali; aliquando verò latè pro contiguitate. Quod confirmare possumus: nam cum Phyl. 1. Meteororum dicit: *Est autem ex necessitate cōtinuus iste superioribus rationibus, & c.* S. Thom. ibi lect. 2. litt. b. ait: *Continuum autem hic accipit, pro contiguo, ut scilicet nihil sit medium inter ea.* Eodem quemodo verba eadem explicuit S. Thom. lib. 1. de Gener. lec. 24. litter. e. Non ergo mirum, quod dicamus continuum pro contiguo accipi.

35 Verum quia hæc acceptio videtur minus rigorosa; & prior solutio magis consonat dictis, & dicens; ideo illi magis acquiesco. Iuxta quã alteratio corruptiua est motus strictè sumptus, & differt etiam à generatione secundum quid, ut illa q. 4. diximus. At verò alteratio perfectiua, & acquisitiua in instati sine contrarietate; vel quia in subiecto non est diuisibilitas, aut vllum retardans, est instatanea mutatio, quæ proprio vocabulo dicitur generatio secundum quid.

5. III.

Quando sit alteratio cōtinuus motus?

36 Dico tertio, alteratio, tam acquisitiua qualitaris cum resistentiã cōtrarij, quam extensiua, & intensiua qualitatis, est motus cōtinuus. Sumitur ex Phyl. & D. Th. locis relatis nu. 32. & præcipuè 5.

Phyl. lect. 3. in princ. & lit. b. ait S. Tho. *Et quia qualitates possunt intendi, & remitti, ut sic possit esse continuus motus de qualitate in qualitatem.* Et libro 6. lec. 7. in fine, post multa concludit S. Tho. *Quia subiectum infinitis modis potest variari secundum magis albū, & minus albū. Et sic motus alterationis potest esse continuus, & non habens aliquid primum.* Et lib. 1. de Generat. textu. 84. lec. 24. circa finem, dicit S. Thom. *Nam motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicet, in quantitate, qualitatem, & ubi.* Sed in alijs generibus, nempe, quantitate, & ubi, loquitur de cōtinuitate propriè, ut condistinguitur à contiguitate: ergo de eadem loquitur cum alterationi concedit conuenire cōtinuitatem. Et in 2. dist. 5. q. 2. art. 1. inquit: *Quia alteratio est motus continuus; ideo, & c.* ¶ Præterea S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. dicit: *Sicut patet in pallore, cuius terminos per cōtinuã alterationem aliquis transit, vel ad albedinem, vel ad nigredinem perueniens.* Et Quodlib. 9. art. 9. & alibi sæpè idem affirmat Sanctus Thomas. Sed eius sensum exponimus infra num. 47. & 63.

37 Probaturque primo cōtinua experientia: videmus enim calorem, & frigus, & similes qualitates paulatim, & successiuè extendi per partes subiecti, & cōtinua actione causæ in eadem parte subiecti amplius radicari, & intendi: ergo alterationes istæ sunt cōtinuæ.

38 Secundo probatur ratione à priori ex D. Tho. 6. Phyl. lect. 7. in fin. docete: *Diuisio albi per accidens*

potest esse dupliciter: vno modo secundum partes quantitativas; sicut si superficies alba diuidatur in duas partes, album per accidens diuisum erit: alio modo secundum intensionem, & remissionem, &c. ex diuerso modo participandi albedinæ ex parte subiecti diuisibilis. Sic ergo arguitur. Id quod est diuisibile habens latitudinem cum contrarietate, potest terminare motum successiuum, & continuum; vt patet ex dictis, .Phys. q. 1. & constat à simili in motu locali, & alijs. Sed qualitates physicæ sunt diuisibiles per accidens ad diuisionem subiecti, & in eadem parte diuersimode participari possunt: & habent qualitates contrarias, quibus materia disposita, refertur illarum introductio: ergo, cum subiectum ad illas alteratur, continuo mouetur.

6. V.

Rationes examinantur.

39 **A**lijs rationibus solet probari conclusio; quas tamen Authores primo relati solent probabilius euadere. In primis M. Bañez pro ea arguit: quia si alteratio non esset motus continuus, sequitur, quod agens naturale debite applicatum passo, & sublatis omnibus impedimentis, non ageret: sed consequens est falsum, & contra Philosophum 9. Metaph. text. 10. ergo alteratio est continuus motus. Sequela probatur, nam applicetur perfecte calidum frigidum; tunc inquiritur an inmediate per hoc agat in frigidum; vel non? Si agit; ergo continue fit

motus alterationis. Si non agit; habetur intentum.

40 Responderat tamen Soncinas solutione ad 3. dupliciter: primo, quod tunc agens dicitur impeditum ad agendum in quolibet instanti intensionis formæ propter repugnantiam ipsius formæ, quia ei repugnat in quolibet instanti intendi. Secundo respondet agens agere aliquomodo in quolibet instanti, quia in quolibet instanti saltem conseruat formam in subiecto.

41 Quicquid sit de his solutionibus in motu intensionis. Quando tamē producitur dispositio, vel gradus determinatus consistens in indiuisibili, necessario mutatio, qua producit, discōtinuatur à motu: quia est terminus eius extrinsecus; eo quod forma indiuisibilis non potest correspondere motui immediate: & ideo ex distinctione specifica formarum interrumpuntur mutationes à motibus: nam quæ differunt specie non possunt esse continua, vt ait Philosophus 5. Phys. text. 39. & explicuimus ibi q. 3. In cuius numero sexto irrepsit mendum incuria Typographi: nam dicitur, *quæ differunt numero non possunt esse continua*; & tamen deberet dici, *quæ differunt specie, vt constat ex subsequentibus*, & ex num. 2. & ex ipso text. Philosophi ibi relato.

42 Præterea conclusionem idem M. probat: quia motu continuo locali potest applicari diaphano non impedito, luminosum; sicut Sol nostro hemispherio: tunc autem illuminatio est motus continuus; sicut & motus localis à quo causatur; & tamen

tamen illuminatio est alteratio: ergo alteratio est motus continuus.

43 Hæc ratio placere nequit; quia non consonat doctrinæ S. Thomæ relatae nu. 21. & de Sensu, & Sensato lec. 17. in fine ait: *Quia lumen non habet contrarium; sed tenebra opponitur ei sicut simplex privatio; & ideo illuminatio fit subito.* Et 1. p. q. 67. art. 2. ait S. Thomas: *Illuminatio fit in instanti; nec potest dici, quod fiat in tēpore imperceptibili; quia in paruo spatio posset tempus latere; in magno autem spatio, puta ab oriente in occidentem tempus latere non posset.* *Statim enim cum Sol est in puncto horisontis, illuminatur totum hæmispherium usque ad punctum oppositum.* Sed superuacaneum iudico plures autoritates S. Thomæ ad hoc cōprobandum adducere, quia sunt fieri innumeræ, & omnibus peruia, & videri possunt in Tabula aurea verbo, *illuminatio*, num. 3.

44 Imò æquiuocationem rationis allata tollit S. Tho. 1. p. q. 53. artic. 3. dicens: *Igitur omnes huiusmodi mutationes instantaneæ sunt termini motus continui: sicut generatio est terminus alterationis materiae; & illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis.* Et ad 2. dicit, *quod illuminatio est terminus motus; & est alteratio, non motus localis.* Sicut ergo ex eo quod generatio sit terminus alterationis, non infertur ipsam esse successiuum motum; sed est instantanea mutatio, quia est extrinseca motui præiudicō, vt diximus quæstione 4. num. 12. ita illuminatio nō est motus continuus, sed instantanea mutatio, quamuis sit extrinse-

cus terminus motus localis, & medio motu locali applicetur lumen: semel tamen applicato, in instanti illuminat: & ideo prima illuminatio est in instanti, quamuis luminis intensio possit esse continua, & in tempore.

45 Demum probat M. Ioannes à Sancto Thomæ quæst. 3. artic. 3. 5. *Ratio autem: quia si in hoc instanti datur qualitas producta, & immediatè post cessat motus, & in sequenti instanti datur aliquid productum; illud non erit acquisitum per motum; nec per alterationem, quæ est motus: sed alia actione distincta à successione, & motu: quæ non apparet, quæ sit.*

Iam tamen respondimus esse mutationem instantaneam, quæ proprio vocabulo dicitur generatio accidentalis.

46 Hæc idcirco notavi circa has rationes, non vt aliorum probationes contemnerem: sed vt ita huius conclusionis veritatem defenderem: quod stabilitis in alijs assertionibus non contradicerem: verum enim vero consonat, & Sancti Thomæ in hoc puncto (sicut & vbique) asserta simul vera monstrauimus.

47 Nec desinam adhuc notare, quod cum per nimiam perseverantiam alterationis, (quæ videtur esse continua) aliqua qualitas, propriæ speciei transit terminos, & introducit alia alterius speciei (vt in casu D. Thomæ relato num. 36. cum pallor alteratur, & transit ad albedinem, & nigredinem) tunc sunt duo motus, quilibet cōtinuus; sed ambo solum contigui; eo quod

quæ differunt specie non possunt cōtinuari, vt dicebamus loco citato n. 41. & recolatur, quæ dixim⁹ libro quinto Physicorum quæst. 3. num. 4. & libro 6. quæst. 5. numero 14.

s. VI.

Soluuntur argumenta.

48 **V**Ltra argumēta, quæ ex collocatione conclusionum, ex dictis facta manent, alia soluenda restant. In primis arguit Soncinas quia si alteratio ad qualitatem est motus continuus, sequitur qualitas esse infinitam in ultimo instanti terminante motum. Quod est euidenter falsum: & id sequi probatur: quia in quolibet instanti tantum de forma acquiritur, quātum in instanti primo; sed in tempore continuo sunt infinita instantia, sicut in quantitate infinita puncta, iuxta dicta libro sexto Physicorum quæst. 3. ergo in fine motus continui habebit infinitos grad⁹, vel infinitas partes.

Respondet bene M. Bañez quæstione sexta ad tertium, negando sequelam. Ad probationem dicit concessā maiori, distinguendam minorem, & concedendam de infinitis in potentia, & negandam de infinitis in actu quoad diuisionem: vt autem qualitas esset infinita deberet habere infinitos gradus æquales vni certo, & non communicantes: eo quod vt dicitur in 6. Physicorum textu 10. diuisio est vniformiter in motu, tempore, & magnitudine, seu forma, quæ acquiritur per motum. Cum ergo qualitas di-

uidatur ad diuisionē motus, & motus ad diuisionem temporis: sicut tempus non habet infinitas partes non communicantes; ita nec qualitas. Sed de his nos plura 6. Physicorum quæst. 2.

49 Sed secundo arguitur ex eodē Soncinatē. Cuiuslibet qualitatis permanentis datur primum esse in subiecto: sed si acquireretur per motum continuum, non posset dari primū esse qualitatis in subiecto: ergo nulla qualitas permanens potest acquiri per motū cōtinuū. Maior patet ex Phyl. qui 8. Phyl. text. 69. probat, quod est dare primum esse in reb⁹ permanētibus, eo quod incipiūt per primum sui esse, iuxta dicta 6. Phyl. q. 5. Minor verò probatur, quia in omni motu cōtinuo ante quodlibet mutatū esse est moueri, & antequodlibet moueri est mutatum esse, vt probat Phyl. 6. Phyl. tex. 58. ergo neque in forma acquisita per motū, & illi proportionata, erit primum esse.

Respōdetur maiorem esse verā, non de omnibus qualitativibus; sed de his, quæ incipiunt instātanea mutatione; falsam autē de his, quæ incipiunt cū motu, & ad modū motus. Vnde non dari primū esse qualitatis incipiētis per alterationem, probat Soto 1. Phyl. q. 4. art. 3. cōclus. 5. & Bañez vbisup. art. 2. cōc. 1. quia quæ incipiunt per motum, debent incipere ad modum mot⁹; in quo non datur primū, vt nos diximus 6. Physicorum quæst. 5. numero 6. & idē ibi diximus nu. 16. quod omnis res, quæ incipit simul cū motu, & per modum motus, inci-

incipit successiue, & per vltimum non esse.

50 Secundo, & melius respondeatur ex D. Thoma sexto Physicorum lect. 7. in fine, dicente: *Et sic manifestum est, quod in sola mutatione, que est secundum qualitatem, contingit aliquid esse indiuisibile perse. In quantum tamen est diuisibile per accidens, similiter non est accipere primum in mutatione tali. Siue accipiat successio mutationis in quantum pars post partem alteratur; manifestum est enim, quod non erit accipere primam partem albi, sicut neque primam partem magnitudinis. Siue accipiat successio alterationis, secundum quod aliquid idem est albus, vel minus album: quia subiectum infinitis modis potest variari secundum magis album, & minus album. Et sic motus alterationis potest esse continuus, & non habens aliquid primum.* Hæc Sanctus Thomas: cuius verbis dicta, & dicenda lucem accipiunt: saluatur enim prima conclusio; quia id, quod secundum se est indiuisibile, & in quo datur primum esse, nõ fit vt sic motu continuo. Verificatur etiam tertia conclusio, & tertium argumentum, quod modo contra eam obieciatur, diluitur clarè, quia secundum quod forma est per accidens diuisibilis (*extensiuè* propter diuisionem quantitatis; & *intrinsicè* propter diuersum modum participationis in subiecto) non datur in ea primum, & sic motus ad illam est continuus. Intellegitur etiam, quod parum consequenter Toletus vult componere dari primum esse qualitatis, & tamè vt sic acquiri cõtiue.

51 Tertio, & difacilius arguit

Ferrara octauo Physicorum quaestione septima conclusione secunda; quia si alteratio esset motus cõtinuus, sequitur, quod instantia erunt sibi immèdiata: quod à Philosopho reprobatum sexto Physicorum; & à nobis ibi à quaest. 1. vsque ad 4. Id sequi probatur: nam quilibet gradus formæ est indiuisibilis: hoc enim nullus negare videtur; ergo in instanti acquiritur: ergo, si non interuenit quies media in tempore, instans erit immediatum instanti.

Huic argumento occurrunt PP. Carmelit. toto §. 4. & M. Ioann. à S. Thoma ad primū, dicentes, quod gradus quilibet est indiuisibilis: tū, quia est terminus; & idè in indiuisibili consistens: tum, quia si gradus intensiõis esset diuisibilis, haberet partes distinctas solo numero (cum partes specie distinctæ, nõ indiuiduant, nec sint modi eiusdem numero qualitatis) & incidere tur in inconueniens, quod quaestione precedente cum D. Thoma vitare intēdebamus, quod duo accidentia solo numero, etiam partiali, distincta, essent in eadē parte subiecti. Vt autem terminet motum continuū, sufficit, quod habeat virtualem latitudinem, quia æquiualeat latitudini formali: & latitudo virtualis sufficit vt motus sit diuisibilis in infinitum, & quod cuiuslibet parti motus correspondeat gradus, non vnus, sed infiniti fluentes cum ipso motu.

52 Sed contra primo: nam motus formaliter continuus, & diuisibilis, non potest non correspondere terminus

min⁹ diuisibilis formaliter, siue per se, siue per accidens. Sed id quod est indiuisibile formaliter, non est formaliter diuisibile: ergo non potest motui diuisibili, & continuo correspondere. Secundo, ubi termin⁹ non est cōtinuus, sed discretus, nec motus potest esse cōtinuus: sed gradus successiue fluentes inter se non sunt continui, sed discreti: ergo nō saluatur, quod alteratio sit motus continuus.

Respondet M. Ioann. à S. Thom. quod datur vnus terminus adæquatus⁹; licet sint plures inadæquati: qui omnes constituunt vnum terminū adæquatum, ratione vltimi in quo fit motus, & ad quem ceteri ordinantur; sicut in motu locali quādo plura loca attinguntur, diximus etiam nos 3. Physic. q. 3. nu. 5. quod sunt plura in eue entis, & vnum in esse termini.

53 Sed contra primo: nam in motu discreto Angelorum, qui consistat ex successione quadam ipsorum nunc, vt docet S. Tho. 1. p. q. 53. artic. 3. potest esse vnitas ordinis: & tamen non ex illa ponitur continuitas in illo motu: ergo si gradus, seu modi radicationis fluentes inter se non vniuntur, non saluatur alterationis continuitas. ¶ Item, in numero, & quantitate discreta est vnitas ordinis, eo modo quo explicatum est lib. 2. Log. q. 16. ergo ad continuitatē mot⁹ maior vnitas in termino exigitur, quam vnitas ordinis. Præcipue in motu alterationis, in quo acquiritur forma intrinseca; ad differentiam motus localis ad vbi extrinsecum, iuxta dicta 4. Physic.

quæst. 4. ¶ Præterquam quod radicationis potest esse in subiecto diuisibili quoad extensionem: & hanc extensionem potest acquirere motibus realiter distinctis, & motu vno continuo: sed quando acquiritur motibus realiter diuersis, non amittitur vnitas ordinis, & est diuisibilitas ex subiecto: ergo tunc non habent locum motiua huius solutionis.

54 Quare quicquid sit de ei⁹ probabilitate; facilius respondetur cū eodem Ferrara q. 8. seq. notab. 4. & cum Bañez ad 3. & ad vltimū, quod quilibet gradus est diuisibilis in infinitum, nec post primum potest signari alius illi immediatus, sed ante quemlibet præcedit alius in infinitum: nec est dare primum ad quem terminari possit alteratio, sed ante quemlibet datum præcesserunt infiniti. Et hoc videtur manifestè intēdere S. Thomas relatus num. 56. docens, quod subiectum infinitis modis potest variari secundum magis albū. & minus album. Ista tamen cōtinuitas, & diuisio cōuenit qualitati per accidens, vel ratione quantitatis in qua est; vel ratione potentialitatis eiusdem partis ad diuersas terminationes eiusdem qualitatis; quæ terminationes numero incompleto distinguuntur, iuxta dicta quæst. 16. num. 46. & tamen est in eadem parte subiecti potentialitas ad illas, quia pertinent ad indiuiduationem eiusdem numero qualitatis; & ex hac etiam parte (si adsit vnitas terminis, &c.) est vnus numero mot⁹, quia qualitas est eadem numero in toto motu.

55 Ultimo arguit Arriaga à num. 35. vsque 41. nam sonus producit species, & simul totam intētionem in instanti; nam in momento perit: quod patet experientia; nam qui est iuxta findentem ligna, tam cito audit sonum, quam ictum videat: ergo omnia fiunt in instanti; illæ tamen species non effundunt seipsas in instanti; quia tardius videntur à distantibus. Ergo per morulas interruptitur continuitas motus.

Hoc argumentum ita reputat manifestum, vt nullum relinquat dubium. Verius tamē diceret, nec apparentem continere difficultatem, cui opus sit satisfacere. Primo, nam esto aliqua alteratio sit non continua, non illico omnes sunt discretæ. Secundo iam diximus 6. Physicorum quæst. 1. num. 38. esse perse incredibile, & inintelligibile motū localem summe velocem morulis interrumpi. Tertio Philosophus, & S. Thom. de Sensu, & Sensato lectione 16. litt. e. latè docent, quod alia est ratio de lumine, ac de sono, nam licet illuminatio sit in instanti; sonus sit in tempore: nā sonus causatur ex quadam aeris percussione; non tamen ita quod totus aer, qui est medius, vno motu moueatur à percutiente; sed sunt motus multi sibi succedentes, ex eo quod una pars primo mota mouet aliam. Et infra ait: Sic ergo per prædicta patet, quod sonus peruenit ad auditum per multos motus partium medijs sibi inuicem succedentes. Sed de his latius 2. de Anima, & latè benez 1. p. q. 78. art. 3. per quinque dubia. Nec à longe citius videremus, quā audiremus, si sonus in instanti cau-

saretur. Sunt ergo ibi multi motus continui sibi succedentes, & citius percipiuntur, quo pauciores, & velociores fuerint.

s. VII.

De indiuisibilibus qualitatis, an dentur?

56 **E**X dictis elicitur primo, in qualitatibus secundum se nō op^o se ponere indiuisibilia vlla, nec cōtinuatiua, neque terminatiua. Sumitur ex D. Thoma locis relatis in 1. concl. Et ratione probatur: nam id quod secundum se est indiuisibile, non indiget alio indiuisibili, vt patet de substantia seclusa quantitate: cum ergo ostensum sit qualitatem secundum se non suscipere magis, & minus, neque esse diuisibilem, secundum se non indiget indiuisibilibus.

57 Secundo, quod secundum se quantum nō est, nisi metaphoricè, videlicet quantitate virtutis, nō indiget terminis quantitatis propriè, & rigorosè sumptæ. Sed termini, & indiuisibilia ponuntur ad continuandam, & terminandam quantitatem mollis, & vt eam reddant situatam, & impenetrabilem: ergo sine fundamento in qualitate secundum se hæc indiuisibilia excogitantur. Vnde Vazquez loco citato numer. 10. ipse num. 17. ait: Mirabile sanè est quorundam ingenium, qui ita de indiuisibilibus in rebus omnibus disputant, vt quod semel acit de quantitate, de rebus omnibus insular quantitatibus eodem modo pronuncient.

Denique: nam duæ qualitates specie distinctæ non habent secundum se nisi terminos essentielles, quia nõ clauduntur terminis quãtitatiuis: ergo nec in eadem qualitate secundum se opus est fingere indiuisibilia continuatiua, aut terminatiua, propriè, & in rigore loquendo.

58 Elicitur secundo, quod qualitas vt extendatur, non indiget indiuisibilis distinctis ab indiuisibilis subiecti in quo est. Probatur, eo modo extenditur quo diuiditur; sed diuiditur tantum per accidens ad diuisionem subiecti in quo est: ergo solum eo modo extenditur: ergo tantum per accidens, & ratione subiecti dicitur habere indiuisibilia.

59 Tertio deducitur, quod nec ad gradus intensiõis, seu modos maioris radicationis, quamuis sint diuisibiles, opus est indiuisibilibus realiter distinctis ab ipsis: ratio est, quia non est diuisibilitas quantitatis mollis, sed quantitatis virtutis; & ideo ad illam explicandam non opus est ponere cõtinuatiua, & terminata indiuisibilia, sicut in quantitate corporea. ¶ Secundo, quia modi illi sunt terminationes virtualis quantitatis ipsius qualitatis, vt diximus q. 16. §. 4. ergo non indigent alijs terminis, quibus terminentur. Consequentia patet primo; nam quod est ratio aliorum est ratio sui; sicut existentia non indiget alia existentia vt sit: ergo nec terminus alio termino terminatur. Secundo, nõ ex opposito videtur sequi processus in infinitum.

60 Sed obijcies: nam de ratione termini est indiuisibilitas; alioquin

non terminat, si vltterius addendum restat: ergo si modi radicationis sũt diuisibiles; alijs terminis indiuisibilibus debent determinari.

Respondetur, quod omnis terminus in eo, quod terminus, est vltimus; & ex hac parte quid indiuisibile. Cæterum bene potest esse indiuisibile secundum quid, & diuisibile simpliciter. Sic ergo quilibet terminatio in actu, quatenus includit negationem actualis maioris terminationis, indiuisibilitatem interminando habet: & pariter in quolibet gradu, si determinate, vt vnum, vel vt duo, vel tria, consideretur, est in diuisibilitas; cum quo compatitur, quod sit diuisibilis simpliciter propter latitudinem, quam habet in actuando, vel terminando; & propter potentialitatem, vt augeatur, vel minuat terminatio formæ: quod seipsis præstât terminationes illæ virtuales; sicut figura seipsa terminat quantitatem, & forma etiam seipsa actuat: & tamen etiã si sit diuisibilis *materia terminatur per illã*, vt ait S. Tho. 1. p. q. 7. art. 1.

61 Ad argumentum obiectũ supra num. 12. in quo totam vim faciunt, respondetur, quod alterationi correspondet qualitas, & parti alterationis pars qualitatis, non quæ sit diuisibilis perse, sed quæ sit extensa, & diuisibilis per accidens, & ratione alterius: & vt sic qualitas est in fieri dum durat alteratio, & in facto esse ipsa finita. Quod autem hic non sequatur *mutatis esse*, seu indiuisibilibus motus, correspondere indiuisibilia qualitatis, probatur, & explicatur: nam non est correspondẽ

ria quantitatum eiusdem rationis, non solum quia qualitas non est quanta quantitate mollis; sed etiam quia motus est ens essentialiter successivum; qualitas vero est perse permanens, & solum per accidens ex successione motus, & resistentia contrarij, vel defectu applicationis agentis, non fit perfecte, & tota simul. Inter quantitates autem tam diversę rationis non est exigenda correspondentia omnimoda, sed sufficit alligualis.

62 Instabis: nam motus, & tempus sunt quantitates per accidens, & per posterius, ut docet S. Thomas lib. 5. Metaph. lec. 15. in fine, & nos lib. 2. Logicę q. 19. §. 2. diximus tempus, & motum excludi à speciebus quantitatis perse. Cum ergo qualitas etiam non sit perse quantitatis species, bene poterunt commensurari ut quantitates habentes eiusdem rationis, motus, & qualitas acquisita per motum.

Respondetur negando consequentiam; eo quod quantitates per accidens non omnes sunt eiusdem rationis; cum perfectio rei dicatur quantitas metaphoricę, & rerum perfectiones constat solum analogicę eorum venire. Pręcipuę entia permanentia essentialiter, distinguuntur plusquam genere ab entibus successivis essentialiter; & quantitas genere differt à qualitate: & ideo supervacaneum est terminos proprios quantitatis, & motus constituere in qualitate. Imò & id est impossibile, nisi genera entium confundantur, & quod solum est per accidens, vel in potentia, & ratione alterius, dicatur esse

perse, in actu, & ratione sui.

63 Ultimo deducitur, quod licet prima æquilitio qualitatis non habentis contrarium, vel non inveniētis in subiecto, vel in medio, quid retardet eius subitam introductionem, fiat in instanti, ut dictum est. Tamen extensio ad alias partes subiecti, propter divisionem quantitativam, & extensionem continuam mobilis, potest esse continua. Pariter intensio in eadem parte subiecti, etiam qualitatis non habentis contrarium (ut intensio lucis, & gratiæ in Beatissima Virgine Maria) potest esse continua propter latitudinem virtualē potentialitatis subiecti, quod successivè est actuabile, & non statim accedit perfecte ad modum perfectum participationis, & ad assimilationem perfectam cum causa augmenti.

QVAESTIO XVIII.

Utrum augmentatio sit motus ab alijs distinctus?

6. I.

Ratio ordinis doctrinæ.

NON desunt, qui immediate post tractatum de intensione, disputent de actione, & reactione, eo quod istæ sunt generales quædam conditiones repertæ in alterationibus physicis, de quibus usque modo egimus.

2 Leue tamen motivum, ut deferantur Philosophus, & Sanctus Thomas, & omnes eorum antiqui expositores: constat enim ex composito textus, initio harum quaestionum

num proposito, Philosophum capere quinto disputasse de Augmēratione, & in fine capitis comparasse nutritioni; & quod de actione, & reactione nō agit nisi à capite septimo. Absurdum autem est existimare Philosophiæ Principes ordine indebito doctrinam tradidisse: præcipue cum Philosophus, & S. Thomas maiorem partē lectionis decimæ octavæ consumant in ratione ordinis assignanda.

3 Facile ergo patet ratio ordinis, primo enim determinatum est de generatione, & corruptione incommuni, de quibus nos à q. 1. usque ad 12. deinde egit de alteratione, quæ disponit, & consequitur ad generationem: & ideo nos de illa disserimus q. 13. & deinceps. Alius autem motus conveniens substantiæ genitæ, est augmentum; & idcirco de illo sequitur disputandum nam prius e rē esse, quam maiorem fieri. Licet autem in rei veritate nutritio, vel aggeneratio substantiæ deberet prius considerari, quam motus ad quantitatem; quia tamen hoc directe videbatur attinere ad libros de Anima nutritiva, & hic de illa non disseritur nisi ut complete intelligatur distinctio illius ab Augmentatione; ideo adhuc in hoc minimo nolui ordinem Philosophi invertere.

4 Reliqua autem, quæ de actione, & reactione disputanda restant, vel sunt conditiones generales istorum motuum, & non solus alterationis; & ideo post omnes motus in genere explicatos de illis est dicendum; vel sunt præambula ad dicenda in libro

secundo de Elementis; & ideo debito doctrinæ ordine consequentur tractatum de Augmentatione, & nutritione, & præcedent tractatum de Elementis. Imo antequam dicatur de actione, & reactione, disputandum de Rarefactione; quia M. Soto 4. Physic. q. 1. ad 7. arbitratur comprehendere sub motu augmentationis: quod ut examinetur, ordine prædicto quæstiones collocabuntur, cum Antiquis, quos sequuntur M. Bañez, P. Rubio, PP. Carmelitani, & passim alij: quod semel prosequentibus quæstionibus notasse sufficiat.

5. II.

Certa præmittuntur.

5 **N**omine Augmentationis, vel Accretionis intelligim⁹ motum ad maiorem quantitatem: unde Philosoph. 1. de Generat. textu 31. ait: *Augmentatio est existentis magnitudinis additamentum*; & S. Thomas ibi lect. 13. in fine ait, quod ratione augmenti est, quod fiat additio ad præexistentem magnitudinem. Et in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. post medium ait, quod *augeri nihil aliud est quam sumere maiorem quantitatem*: unde secundum quod aliquid se habet ad quantitatem, ita se habet ad augmentum.

6 Quantitas autem dicitur dupliciter: quædam virtualis; quædam dimensiva. Et ideo augmentum dicitur dupliciter: uno modo in quantitate virtutis; alio modo in quantitate mollis. Quia igitur quantitas virtutis non dicitur quantitas proprie, sed solum translative;

tie; idè nec in substãtia, nec in qua-
litate, nec in alijs generib⁹ à quan-
titate corporea, inuenitur proprie
augmētū; vt iterū sumitur ex Phy-
losopho 5. Physic. textu 18. & 7.
Phys. tex. 10. Tamen vt notat S.
Thomas. 1. 2. q. 52. art. 1. Augmen-
tū, sicut; & alia ad quantitatem
pertinētia, à quãtitatibus corpora-
lib⁹ ad res spirituales, & intellectua-
les transferuntur; propter connat-
uralitatem intellēct⁹ nostri ad res
corpōrales, quæ sub imaginatione
cadunt. Et hoc modo etiam ipsa in
tēto dicitur augmentatio qualita-
tis, vt patuit q. 14. h. 1. Nūc autem
loquimur de Augmentatione quã-
titatis mollis, quæ est quãtitas pro-
prie: & ideo, vt ait S. Thomas in. 1.
dist. 17. vbi supra, augmentum secū-
dum quantitatem virtutis, non per-
tinet ad speciem motus; sed magis
ad alteratiōem: nam quantitas so-
lum inuenitur perse in corporibus,
quæ perse augetur.

7 Tertio notādum ex D. Thoma
ibidem, quod proprie, & in rigore
loquendo, *non est idem augmentum, &
motus augmenti*: quādo enim sine
motu ipsius, quod augeri dicitur,
fit maius: vt quādo additur lignū
ligno, vel lineā lineæ, vel aqua a-
quæ, est augmētum: sed non mot⁹
augmenti: vnde non quælibet pars
augetur, sicut quælibet pars moti
perse mouetur. Quādo ergo, id
quod sumit maiorem quãtitatē,
mouetur de quãtitate minori in
maiorem, à principio, videlicet in-
trinfeco, ita vt quantitas sit perse
terminus motus, in quo sit additiō
ad totum, & ad quælibet partem,

vt totū augeatur, & pars eius; sicut
est in animali, & in planta: *tunc pro-
prie est motus augmenti. Vnde motus aug-
menti non est nisi in habentibus nutritiã.*

8 Supponimus autem vt perse
notum dari huiusmodi motum;
videmus enim pueros paruulos in
perfectam adlescere quãtitatē:
idemque perspiciamus in reliquis a-
nimantibus, & plantis, & arborib⁹,
& in omnibus habentibus virtutē
nutritiuam conuertendi aliquali-
ter in se, quod intus recipiunt. Et
idè solum quid sit iste motus in-
quirimus?

9 Praterea supponimus, quod
in genere loquendo, in nutritione
intercedunt sex mutationes nume-
ratæ à M. Bañez hic capite. 5. q. 1.
not. 3. Primo est motus localis ali-
menti ad stomachum, vel partem
vbi est virtus nutritiua, quia nutri-
tio non fit nisi aduenientē alimen-
to extrinfeco, non potest autem a-
limentum extrinfecum aduenire
viuenti, nisi per localem motum
alimenti. Secundo reperitur altera-
tio: nam vt dicit Philosophus 2. de
Anima textu 45. *nutrimentum in prin-
cipio est dissimile, in fine autem simile*: de
quo S. Thomas 3. p. q. 77. art. 6. ad
hoc autem necessaria est alteratio
nutrimenti medio calore natura-
li inducta. Inde tertio consequitur
corruptio formæ alimenti; quia vt
docet Philosophus, & S. Thomas.
1. de Generat. textu 34. lect. 14. in
fine, alimentum non manet, sed cō-
uertitur in substãtiam eius, quod
nutritur, & augetur: & idè corrū-
pitur forma alimenti.

10 Quarto reperiri necesse est
partia-

partialem generationem substantie viuientis; eo quod materia alimenti non potest naturaliter esse sine forma, & ideo corrupta forma alimenti, illa materia informatur forma viuentis: & quia non generatur nouum suppositum, non dicitur generatio, sed

aggeneratio: quia *aggeneratur* præexistenti carni, ut ait S. Thomas lect. 17. lit. e. vel præexistenti viuenti. Quinto reperitur nutritio, quia semper oportet restitui per nutrimentum quod diminuitur: non autem semper animal augetur, ut ex Philosopho ait S. Th. lect. 17. litt. c. sed quamdiu cibus conuersus in carnem potest extendi in maiorem quantitatem: unde augmentatio (de qua modo) non reperitur sine nutritio, ut supra dicebamus. n. 7. bene tamen nutritio sine augmentatio; cum nutritio sit substantiæ perdita restauratio; & augmentatio requirat extensionem in maiorem quantitatem: & ista est sexta, & vltima mutatio, de cuius distinctione ab alijs inquirimus. ¶ Qui uoluerit in specie cognoscere actiones omnes, quæ ad nutritionem concurrunt, legat M. Bañez cap. 5. q. 10. PP. Comibr. hic cap. 5. q. 3. P. Rubio de Augment. q. 1. & 7. M. Ioann. à S. Thoma q. 8. art. 3. nos in illis non immoramur; quia ad Medicos attrinèr, & notauimus iam q. 4. n. 30. ex D. Thoma, hic non esse descendendum ad istas species motus, quia sunt extra spheram huius tractatus.

11 Certum est igitur (id quod Philosophus, & S. Thomas probat tota lectione undecima) quod

augmentatio genere, seu specie sub alterna distinguitur à generatione simpliciter, ab alteratione, & à motu locali. Differentiaque manifesta est ex terminis ad quos: constat enim generationem esse ad substantiam; alterationem ad qualitatem; motum localem ad locum, vel ad Vbi. Cum ergo augmentatio sit ad quantitatem, ab omnibus alijs genere differt. Secunda differentia sumitur ex modo transmutationis, quia neque quod generatur, nec quod alteratur, ex necessitate transmutatur secundum locum. Necessè est autem id quod augmentatur, vel diminuitur, secundum locum transmutari: quia locus commensuratur locato secundum magnitudinem; non autem secundum qualitatem, vel substantiam, & ideo necessè est, quod quando mutatur magnitudo locati, quod etiã fiat transmutatio secundum locum; non autem quando transmutatur aliquid secundum substantiam, vel secundum qualitatem: ergo tam ex parte termini, quam ex parte modi, augmentatio differt ab alijs mutationibus.

12 Ex quibus elicitur, falso Arriam disp. 2. per totam, & aliquos Recentiores distinguere, quod augmentatio est duplex; alia substantialis; alia accidentalis, seu quantitativa, quæ accretio dicitur. Verum sapè diximus non licere cuiilibet priuata auctoritate uocum significationes immutare, contra usum receptum Scholæ, acceptum à Principibus Philosophiæ: constat autem a Philosopho, & D. Tho. nullam agnosci, proprie loquendo, augmentationem
sub-

substantialē; sed omnem esse accidentalē; & cum sit maior substantia, vel dicitur *Nutritio*, vel *Aggeneratione*: omnis ergo *Augmentatio* est accidentalis, in rigore Scholæ; quāuis apud vulgares per metaphorā, & translationem, dicatur nutritio augmentatio substantialis, vt admittimus nu. 6. Cæteram in scholis retinendæ sunt locutiones Philosophorum, & relegandæ improprie locutiones vulgariarum. ¶ His præmissis, remanet dubium.

§. III.

Vtrum augmentatio realiter differat à Nutritione, & ab Aggeneratione?

13 **A**Dhuc duo notanda supersunt. In primis notat M. Banez cap. 5. q. 1. concl. 5. & alij Thomistæ frequenter, quod *Nutritio* accipitur dupliciter: vno modo pro qualibet conuersione alimenti in substantiam aliti, siue sit maior, siue sit minor, siue æqualis cum illa, quæ fuerat deperdita per calorē naturalem: & de illa in ista acceptatione ait Philosophus text. 41. iuxta translationem Vatabli. *Quo circa quandiu saluum manet animal, etiam si decretionem subeat, abitur, sed non semper accrescit*: de quo Sæctus Thomas lect. 17. litt. c. Secundo accipitur pro conuersione talialimēti in substantiam aliti, quæ sit maior, quam illa, quæ deperdita fuit: & in isto sensu non est nutritio nisi cum animal augetur; quod contingit *quandiu ci-*
bus conuersus in carnem potest extendi in

maiorē quantitatem, vt ait S. Tho. Igitur *Nutritio* in priori acceptatione non differt ab aggeneratione, vt supponit S. Thomas litt. e. Secundo verò in posteriori, quia non terminatur ad quamlibet partem substantiæ, sed ad maiorem, vt amplius infra exponetur q. 19.

14 Secundo est notandum, quod augmentationem necessario committatur aggeneratione nouæ partis substantiæ: quia, vt docet S. Augustinus 1. de Vera Relig. cap. 40. in principio, *alimenta carnis corrupta, id est, amittentia formam suam, in membrorum istorum fabricam migrant*. Et ideo probat S. Thom. 1. p. quæst. 119. artic. 1. quod *alimentum verè conuertitur in veritatem humana nature*: eo quod cum forma alimenti corrumpatur, & non maneat sine forma, nec detur modus, naturaliter loquendo, quo priorem possit augere substantiam, & quantitatem, si materia alimenti non informatur forma aliti: ideo fit aggeneratione nouæ partis introducendo formam, & vniendo sibi illam materiam, & augendo quætitatem. Relinquitur ergo difficultas de distinctione augmentationis à nutritione.

15 Qui quætitatem ponunt materiæ coæquam, non facile exponunt distinctionem augmentationis, & nutritionis. Eas non distingui opinantur Marsilius hic quæst. 10. Albertus de Saxoniam quæst. 9. Venetus cap. 6. Valles lib. 2. Controu. Med. cap. 27. & quinto Physicorū cap. 2. & septimo Physic. cap. 2. & lib. 8. c. 3. & Controu. 29. & Arriaga hic disput. 2. sect. 3. in principio: quia

quia, vel cum Nominalibus quantitatem nõ distinguunt à substantia: vel quia quantitas nõ perse fit, sed solũ vnitur: & ideò inquit Suarez disp. 13. Met. sec. 3. n. 58. quod in accretione non fit simpliciter noua quãtitas, nec noua pars quantitatis, sed vna quantitas adiungitur alteri, & quæ erat aliena, fit propria per specialem quandam actionem ad hoc perse tendentem. Et ita Suarez videtur admittere distinctionem accretionis à nutritione. Sed non facile exponet quomodo solius vnionis productio sit nouus motus: præcipue si id quod producitur, est indiuisibile. Sed quicquid sic de hoc.

16 Hanc Nominalium opinionẽ debere sequi Thomistas, nititur per suadere Cabero tractatu. 1. disp. 6. dub. 3. nam asserunt essentiam, & passiones, substantiam, & quantitatem in prima generatione, vnica actione produci: ergo tenentur cõcedere nutritionem, & augmentationem esse vnica actionem. Probatur consequentia, quia non apparet quo pacto defendi possit, in generatione substantiali substantiam, & quantitatem vnica actione produci, & in nutritione diuersis actionibus.

17 Demum Neoterici quidam arbitrantur accretionem consistere formaliter in duabus actionibus, vñ delictet, productione vnionis quantitatum, & in nutritione: quia ad hoc vt viuens fiat maius secundũ quantitatem, hæc duo requiruntur, & quod vniat sibi quantitatem; & quod eam faciat sibi propriam:

primum præstat productione vnionis quantitatum; secundum per nutritionem: ergo vtraque actio est de conceptu formali accretionis.

18 Dicendum tamen est augmentationem differre, non solum specificè, & formaliter, sed realiter à nutritione, & ab aggeneratione. Sumitur apertè ex Phylosopho, & D. Thoma lect. 16. & 17. ex quibus fermè omnes rationes, quibus solent conclusio probari, defumuntur. Quare ita tenent Doctores omnes, exceptis relatis pro priori opinione.


19 Nec obstat quod Phylosophus textu 41. iuxta translationem Vatabli, inquit: *nutritio, & accretio ratione differunt.* Quia in phrasi Phylosophi, *ratio*, accipitur pro definitione. Vel solum denotat distingui propria ratione formali, siue comparatur distinctionem realem, siue non, vt abunde diximus 1. p. Metaphis. Controu. 10. n. 71. Vel tertio respondetur, quod licet augmentatio dinerat realiter à nutritione ex parte termini, & ex parte subiecti; tamen materia *circa quam*, vtriusq; videtur eadem: nam alimentum, & est in potentia caro; & sic versatur circa eum nutritio, vel aggenerationis; & est in potentia caro quãta; & sic versatur circa eũ augmentatio. Quẽ sensum exprimit S. Th. lectione 17. littera. b. vt notant P.

Rubio quæst. 1. num. 21. & PP.

Carnielit. disp. 5. quæst.

2. num. 19. & alij

frequenter.



s. III.

Rationes conclusionis expenduntur.

20 **T**ribus rationibus cōclusio-
nem probat M. Bañez cap.
5. q. 1. concl. 3. Prima, nam muta-
tiones, quarum termini distinguun-
tur: & ipsæ distinguuntur: sed agge-
nerationis, nutritionis, & augmen-
tationis termini distinguuntur: est
enim augmentatio ad quātitatem;
& aggeneratio, & nutritio ad sub-
stantiam: ergo, & ipsæ distinguun-
tur. Secunda, quia iuxta Philosophum
5. Physic. textu 9. terminus,
& motus non differunt, sed identi-
ficantur: cū ergo substantia, & quā-
titas distinguatur, acquisitio substā-
tiæ differt ab acquisitione quātitatis.
Sed acquisitio substantiæ est ag-
generatio, vel nutritio, & acquisi-
tio quantitatis est augmentatio: ergo
augmentatio non est aggeneratio.
¶ Tertia: augmentatio, utpote
inot⁹, est à subiecto in subiectū;
at aggeneratio est à nō subiecto ad
subiectum: ergo augmentatio non
est aggeneratio.

21 Aliam probationem addit P.
Rubio n. 20. nam ea quæ possunt in
terse separari per diuinā potentia,
distinguuntur realiter: sed augmen-
tatio potest separari realiter à nu-
tritione: ergo distinguitur ab ea rea-
liter. Probatur minor, quia nutri-
tio est productio partialis substan-
tiæ vnitæ viuenti ex conuersione
alimenti (sed facta conuersione ali-
menti, & producta partiali substan-

tia, atque vnita viuenti, potest De⁹
destruere quantitatem alimenti, at
que suspendere augmentationem
uiuētis, ita vt nutriatur, & non au-
geatur: ergo dabitur nutritio sine
reali augmentatione.

22 Vltimo probatur à PP. Car-
mel. n. 4. ratione, quæ apud eos est
prima, & dicunt indicari hic cap. 5.
& 2. de Anima cap. 4. tex. 47. & à
D. Thoma lect. 9. Nutritio, & aug-
mentatio, tam vt actiones, quā vt
mutationes, recipiuntur in subiectis
realiter distinctis: nam nutritio, vt
actio subiectatur in alimento cor-
rumpendo, ex eo quod terminus
primarius illius, scilicet, vltima dif-
positio antecedens, in eo subiecta-
tur: at vt mutatio, & transitus im-
mediatus ad formam substātialem
aliti, recipitur in materia prima. Au-
gmētatio verò, tam vt motus, quā
vt actio, recipitur in toto composi-
to, quod augetur. Ergo nutritio, &
augmentatio realiter inter se distin-
guuntur.

23 Post breuiter relatas quasdam
ex prædictis rationibus, subdit M.
Ioann. à S. Thoma quæst. 8. artic. 1.
Sed tamen istæ rationes inefficaces
sunt, nisi aliquid addatur, quia in ip-
sa generatione substantiali instari
possunt: nam forma producitur in
materia; quātitas verò, & propriæ
passiones in ipso composito. Simi-
liter distinctus terminus est ipsa sub-
stantia, & propria eius passio in ra-
tione rei productæ. Potest etiam
impediri ne resulet propria passio
à natura quādo generatur: & tanē
negari non potest, quod eadem ac-
tione generatur natura, & produci-
tur

tur propria passio consequens. Ergo similiter posset aliquis dicere, quod producitur eadem actione substantia partialis in mutatione, & quantitas partialis tãquam quid consequuntur ad illam; non obstanter, quod sint distincti termini entitatiuè, & habeant distinctum subiectum, &c.

24 Aliter ergo ipse duplici ratione probat cõclusionẽ. Primo, quia quantitas partialis non est obiectũ augmentationis absolute loquendo; sed sub ratione augmentatæ, & crescentis: vt sic autem non est quãtitas propria passio, sed aliquid accidentale: ergo perse habet terminare nouũ motum: quia habet fundare illam formalitatem secundum rationem maioris, & minoris.

Secundo, nam augmentatio nõ durat tãtum quantum nutritio; nã nutritur animal quandiu viuut; & non semper crescit, & augetur: ergo aliquid amplius requiritur ad augmentationem, quam emanatio partialis quantitatis.

25 Caterum istæ duæ rationes efficaces non sunt, nisi reducãtur ad rationes M. Bañez: & ideò illæ duæ priores mihi efficaces videntur, & ex Philosopho, & D. Thom. desũptæ: vt patet ex dictis in hoc libro q. 4. n. 5. vbi simili argumento probant generatione n substantialem differre ab alteratione, ex termino primario, & ex subiecto vtriusque. Nec facile assignari valet disparitas, cur ratio à priori, & vniuersalis, quæ tenet in omni materia; ibi probet, & hic non conuincat.

26 Quod autẽ illæ vltimæ ratio

nes conuincentes ex proprijs non sint, probatur; quia priori posset responderi, quod est differentia accidentalis, quod quantitas, quæ accrescit, fit maior illa, quæ deperditur: sed tamen etiam est differentia accidentalis, quod pars substantiæ, quæ acquiritur, fit maior illa, quæ deperditur: & ideò pariformiter de vtraque discurrendo, nõ video, quo firmo argumento posset conuinci, qui assereret partialem quantitatem consequi partialem substantiam.

Secunda laborat in æquiuoco non distinguens duas acceptiones nutritionis recensitas. n. 13. & non aduertens quod Authores. n. 15. relati non dicunt augmentationem consequi primã productionẽ substantiæ, nec esse idem cum qualibet aggeneratione, vel nutritione; sed solum cum illa, quæ ad maiorem partem substantiæ, & ad maiorem partem quantitatis terminatur: ideò sicut quælibet aggenerationis est productio partis substantiæ; ita augmentatio à minori ad maiorem quantitatem, esset etiam à minori ad maiorem partem substantiæ.

27 Concludo ergo, quod in genere duplici via probari potest cõclusio. Primo destruẽdo fundamenta contraria; quod suis locis præsistimus, ostendẽdo lib. 2. Log. q. 13. quod quantitas distinguatur à materia prima: & hoc lib. q. 12. nu. 32. & alibi ostendendo, quod quantitas non reuõdet immediatẽ in materia prima.

28 Secunda via est positiuè probando

bando distinctionem interuenire inter augmentationem, & aggenerationem. Et cum in rationibus factis tangatur distinctio ex termino, ex subiecto, & ex modo, & ex separatione; fateor mihi aliam viam non occurrere probandi inter aliqua in teruenire distinctionem.

29 Solum quis posset desiderare vt instantia relata nu. 16. & 22. præcluderetur. Cæterum id iam diligenter præstitit ipse M. Bañez solutione ad tertium, admittens nullū esse motum ad quātitatem, cum substantia simpliciter generatur; quia res tunc simpliciter acquirit esse, & ex consequenti esse quantum: at verò cum augetur, terminus perse illius est esse maius quantum (nec enim alius terminus in cōcreto poterit assignari) & quia esse maius formaliter est per quantitatem; ideo terminus perse augmentationis est maior quantitas. Sed quia connaturaliter maior quantitas esse non potest sine additione nouæ materie, seu substantiæ; ideo aggenerationis substantiæ se habet committanter, & materialiter ad augmentationem.

30 Sed instabis: nam vt dicit Philosophus 7. Metaph. cap. 1. substantia prior est accidēte, tempore, natura, & diffinitione: ergo prius intenditur substantia partialis quam quantitas. Secundo: nam partialis quātitas est propter subiectum, & ab illo pendet in omni genere causæ: ergo semper per prius intenditur substantia, & quantitas solum secundo, & ex consequenti.

Hanc etiam instantiam præoccupauerat M. Bañez ita scribens. Nihilominus tamen dico colligi maiorem quantitatem perse intendi à natura per augmentationem, quia postquam subiectum iam semel est productum in rerum natura, intentio naturæ est illud conseruare, & ad perfectum statum perducere. Hæc autem perfectio status nō potest esse aliquid substantiale; quia quicquid substantiale, & essentialis est, acquiritur in instanti generationis, in quo agens essentialiter, & substantialiter assimilat passum. Superest ergo, vt perfectio, quæ post modum perse intenditur, sit accidentaria: ac per consequens motus perse conuenientes subiecto, ordinentur ex intentione naturæ in acquisitionem accidentis. Atque ita quando generatur noua pars substantiæ est motus perse ad quantitatem, & non secundo, quia perse intendit augmentans acquirere debitam quantitatem. Hæc & alia plura ibi. Et hinc respondet ad illam maximam Philosophi, quod si ex æquo concurrerent, à substantia fieret denominatio, sicut in esse entis est prior: at verò partialis substantia non concurrat vt terminus formalis augmenti, sed vt quid prærequisitum, vel comitans. Vnde Cabero sui argumenti solutionem legisse poterat in Thomis, præcipue in Bañez relato.

31 Circa secundam eiusdem rationem aduerte, quod innitur in illa propositione Philosophi, & S. Thomæ à nobis exposita 3. Physicorum quæstione secunda §. 1.

L quod

quod motus reducitur ad speciem sui termini; cum quo comparatur ab illo realiter modaliter distinguui; vt ibi ostendimus §. 3. Tertia ratio exponetur infra declarando an nutritio sit successiua? Ratio etiam relata num. 22. declarari valet ex dictis in simili hoc libro q. 7. non possumus in singulis expendendis immorari. Et ex dictis argumenta manent soluta: & alia multa diluit Bañez videndus.

32 Fateor rationem adductam num. 21. ex P. Rubio solum probare distingui terminos; non tamen ex vi illius præcisè habetur, quod quantitas non resultet, sicut in prima productione: quare ad alias rationes recurrendum est.

33 Vltima ratio obiecta contra nos num. 17. parum vrget, quia solum probat, quod viuens sit maius duplici actione; inde tamen non habetur, quod non sint ibi duæ mutationes in quarum vna consistat nutritio, vel aggeneratio, & in alia augmentatio. Et sicut ex septem, vel octo actionibus, vel pluribus concurrentibus ad nutritionem, non in omnibus ponitur ipsa consistere; ita pariter de augmentatione; quia non omnia prærequisita constituunt rei essentiam; vt sexcentis exemplis explicari valet.



QVAESTIO XIX.

Quid sit nutritio?

1 **Q**uia quæ dicenda restant de augmentatione, communia sunt nutritioni; vel saltem percipi non possunt, ignorata natura nutritionis; idè opus fuit in tractatu de augmentatione has quæstiones ingerere, sicut, & Philosophus fecit hac eadem ratione coactus, vt patet ex tota lect. 17. apud D. Thomam: vt autem explicetur natura nutritionis, primo videndum est.

§. I.

Vtrum alimentum conuertatur in substantiam aliti?

2 **N**egat Magister sententiarum in 2. dist. 30. vbi id probat ex illo Matth. 15. *Omne quod intrat in os, in ventrè vadit, & in secessum emittitur.* Ergo nil in substantiam cõuertitur. Ratione arguit. Puer, qui statim post ortum moritur, in illa statura resurget, quam habiturus erat, si viueret vsque ad ætatem triginta annorum. Quod docet S. Augustinus 22. de Ciuitate Dei cap. 15. vnde ergo illa substantia, quæ adeo parua fuit in ortu, in resurrectione tanta magna erit, nisi sui multiplicatione in se? Vnde apparet, quod etiam si viueret, nõ aliunde, sed in se augmentaretur illa substantia: sicut cõsta de qua facta est mulier; & sicut panes Euangelici. Eandem videtur sequutus Hugo Victorinus in 6. p. de

de Sacramentis. Et S. Bonau. in 3. dist. 30. art. 3. q. 1. dicit, quod *hæc positio multum apparet esse probabilis, si quis attendat verba Sanctorum, & simul conditionem resurrectionis, & legem cognationis.*

3 Dicendum tamen est, alimētū verè conuerti in substantiam aliti: ac per consequens datur substantia lis nutritio. Ita Phyl. 2. de Ani. tex. 43. & 47. & hic tex. 41. & sequuntur cōmuniter Phylosophi, & Theologi. Et latè S. Tho. in 2. dist. 30. q. 2. ar. 1. & 1. p. q. 119. art. 1. vtrobique dicens, quod prima *positio est irrationalis.* Duæ vltimæ rationes S. Tho. faciliores sunt, & illæ sufficienter intentum conuincunt. Prima, nam datur substantialis generatio vnius viuētis medio semine ab alio deciso, vt constat experientia, & ex dictis q. 2. ergo datur substantialis nutritio. Probatur cōsequētia à D. Tho. quia virtus actiua, quæ est in semine, est quēdā impresio deriuata ab anima generantis: vnde non potest esse maioris virtutis in agendo, quam ipsa anima, à qua deriuatur. Si ergo ex virtute seminis verè assumit aliqua materia formā naturæ humanæ, multo magis anima in nutrimentum cōiunctū poterit verā formā naturæ humanæ imprimere per potentiam nutritiuam. Quia si potens est ad actionē transseuntē formaliter, qualis est actio generatiua, iuxta dicta q. 4. nu. 29. multo melius ad actionem nutritiuam, quæ rō transit in materiam ad extra distantem à nutritio.

4 Alia S. Tho. ratio est; quia nutrimento indiget, non solum ad

augmentum (alioquin terminato augmento necessarium non esset) sed etiam ad restaurandum illud, quod deperditur per actionem caloris naturalis. Non autem esset restauratio, nisi id quod ex alimento generatur, succederet in locum deperditi. Vnde sicut id quod primo inerat, est de veritate humanæ naturæ; ita & id quod ex alimēto generatur.

5 Tertio probatur: nam paruulus non potest deuenire ad magnitudinem viri; nisi vel per additionem materiæ; vel per rarefactionem præexistentis: constat autem rarefactionem non habere locum; siquidem solidior est caro viri quam pueri: ergo per augmentum crescit caro, & materia. Et hoc est, quod inquit Phylosophus locis citatis, quod *alimētum nutrit, in quantum est potentia caro.* Et hæc est ratio S. August. vt pōderat S. Tho. in 3. sentēt. vbi supra, & videatur 1. p.

6 Ad autoritatē dupliciter respondet S. Tho. ad 1. quod Dominus non dicit, quod totū quod in os intrat, per secessum emittatur: sed oportet, quod de quolibet cibo aliquid imparū per secessū emittatur (quia est distributio accomoda.) Vel potest dici, quod quidquid ex alimēto generatur, potest etiā per calorem naturalem resolui, & per poros quosdam occultos emitti, vt Hieron. exponit Matth. 15. Ex quo habetur, quod possibile est omne, quod prouenit viuēti ab alimento deperdi; non tamen quod non possit, cum alitur, in substātiā, & carnem transmutari.

7. Rationi Magistri respondet S. Tho. illa dicit. 30. ad 7. quod illi, qui pueri moriuntur, per miraculum ad debitam quantitatem perueniunt: nec tamen oportet, quod illud miraculum non fiat per multiplicationem materiae; sed per additionem exterioris materiae. Qui autem usque ad perfectam ætatem viuunt, naturali operatione ad perfectam quantitatem perueniunt. Unde non oportet, quod sit utrobique idem modus: & si esset idem, non sequitur, quod hoc esset per multiplicationem materiae. Hæc S. Tho. qui & videndus 4. Contrag. cap. 81. ad 4. & 5. Similia S. Bonauent. ibi q. 2. ad 1. dicens: Nec hoc impedit, quod Dominus paruulos suscitabit in perfecta quantitate: dicit enim August. 23. de Ciuit. Dei cap. 29. quod supplebit virtus diuina ubi deficit natura: ubi verò sufficienter natura parauit materiam, Deus non agit supplendo, sed reformando. Hæc ibi. De quibus latius Theologi.

§. II.

Causa nutritionis.

Secundo inquiritur, à quo fiat Sista conuersio alimenti in substantiam aliti?

Respondetur, quod principium quod principale est ipsum viuens, cum hæc sit actio vitalis. Principium quo radicale est anima, ut docent Philosophus, & S. Thomas 2. de Anima textu 38. lect. 7. litt. g. Et probat talis ratio. Omnis forma cor-

poris naturalis, est principium motus proprii illius corporis, sicut forma ignis est principium motus eius. Sed motus nutritionis est proprius viuentis; nihil enim alitur, nisi habens animam: ergo oportet, quod anima sit principium nutritionis.

Calor autem naturalis est instrumentum quo præcipue anima vitur ad nutritionem, ut docent Philosophus, & S. Thomas 2. de Anima text. 41. lect. 8. in fine, & patet ex dictis secundo Physicorum quæstione 10.

9. Calor autem naturalis in virtute animæ tria operatur, separare, viuificare, & assimulare: sicut enim calor elementaris separat aurum ab alijs metallis, ita calor naturalis separat excrementa à partibus ad nutritionem aptis. Sicut autem calor cælestis quodam modo viuificus est: ita calor naturalis in virtute animæ alimento non viuenti dat vitam. Denique, cum alimentum ante decoctionem sit contrarium ei quod alitur, ut docet Philosophus 2. de Anima text. 43. eo quod omnis mutatio debet esse aliquomodo à contrario: per decoctionem accipit similes dispositiones, & iam digestum, est simile ei quod alitur, ut docet Philosophus ibi text. 45. Et sic S. Thomas hic lec. 16. cum Philosophus docet, quod id quod augetur, in principio quidem est dissimile, in fine autem simile: quod & docent locis relatis q. 18. n. 9. de quo Bañez tota q. 10. Et sic operatio caloris est assimulare facièdo in ossibus, in neruo neruum, in carne carnem, & sic de alijs.

10 Arbitrantur autem quidam, quos sequitur Marsilius hic quæst. 13. hunc calorem esse substantiam, quandam tenuē, & calidam diffusam per omnes partes videntis; sicut humidam radicale est substantia quædam aerea, viscosa, & pinguis.

11 Cæterum cum ex significatione ipsa terminorum constet, calorem non esse substantiam; ideo Sanctus Thomas prima parte quæstionis 45. artic. 8. ad 2. & quæst. 115. art. 1. ad 5. & de Sensu, & Sensibili lec. 10. & alibi sæpe docet calorem istum esse qualitatem insitam naturæ, quæ continuo consumitur, tam humidum radicale, quam nutritivum; eo quod nutritur eo ut pabulo, & alimento; sicut lampadis flamma nutritur oleo. De quo videatur Bañez cap. 5. quæst. 9. egregie notans ex B. Alberto Magno lib. 20. de Animalibus. cap. 4. differentias inter qualitates animales, & elementares; ad quas exponendas non descendimus, ne præfixos nostri tractatus terminos transiliamus.

§. III.

Aliæ duæ difficultates.

res.

12 Tertium principale dubium est, de definitione nutritionis. Quæ circumfertur duplex. Altera, quæ sumitur ex dictis, nempe, *Nutritio est substantialis conversio alimenti in substantiam alii.* Alia colligitur ex D. Thoma 1. de Generat. lect. 17.

litt. e. Nutritio est aggeneratio partialis substantiæ ad substantiam præexistentem. Et ambæ ex dictis sunt manifestæ.

13 Sed circa has definitiones duæ occurrunt difficultates. In primis obijciunt Neotherici, per has definitiones non recte explicari essentiam nutritionis: quia nutritio est actio per se immanens, & vitalis: sed hoc non explicatur in prædictis definitionibus: ergo non sunt rectè assignatæ. Maior, præter quæquod constat ex dictis, probatur: quia manet in ipso nutriente, & non transit in exteriorem materiam: ergo sicut hac ratione probatur, quod visio est actio immanens; idè dicetur de nutritione. Prima verò minor probatur: nam si Deus in me produceret novam partem substantiæ viventis convertendo alimentum in carnem, esset conversio, & aggeneratio partialis substantiæ: & tamen illa actio non esset immanens: ergo prædictis definitionibus non explicatur immanetia nutritionis.

14 Hoc argumentum parum vrigere constat; quia alioquin nullius mutationis definitio, à Philosopho assignata, esset exacta; quidè in nulla exprimitur, an sit operatio immanens, an actio transiens: ut patet discurrendo per definitionem generationis, & augmentationis, & motus localis.

15 Facile ergo respondetur primo, prædictis definitionibus potè explicari nutritionem sub ratione mutationis, quam sub ratione actionis: ad essentialem autem ratio-

nem mutationis sufficit explicare terminum à quo, & ad quem, & subiectum. Vnde adhuc dato, quod in definitionibus non exprimat an sit operatio immanēs; an transiēs? manent exactæ definitiones ad intentum; quia per illas cognoscitur conuenientia, & differentia Nutritionis cum reliquis mutationibus, vel motibus, de quibus hic agimus.

16 Secundo respondetur concedendo maiorem; & distinguo minorem; non ponitur explicitè, per verba formalia posita in definitione; concedo; implicitè, definitionem intelligendo iuxta subiectam materiam; nego: loquimur enim de opere naturali, & non miraculoso; eo autem ipso, quod sit naturalis conuersio, & aggeneratio partis substantiæ, est à principio intrinseco vitali; & eo ipso quod maneat in operante, non est transiens, sed immanens: & eo ipso quod est naturæ operatio est ab anima, & à calore naturali, & nō à solo Deo. Vnde Sanctus Thomas in secundo distinct. 30. quæst. 2. artic. 1. ante medium, ait: Iſtam autem conuersionem cibi in carnem veram, natura facere potest; quæ transmutat id, quod est in potentia, in actu: quam uis successiuè compleat, quod Deus subito facit. Quod autem naturæ possibile est, operationi naturæ à Deo committitur, qui unicuique dat perfectionem secundum quod capax est: unde non oportet ad miraculum confugere. Hæc ibi. Posito autem illo miraculo, non esset nutritio, nec augmentum natura-

le; sed miraculosa mutatio distincta à naturalibus hic definitis.

17 Alteram difficultatē mouent PP. Carmelitani disput. 5. à quæstione tertia, vsque ad septimam in clusiue, latè contententes probare, tam simpliciter, quam ex mente S. Thomæ, & Thomistarum, terminum nutritionis non esse substantiam partialem uiuam, quatenus intra lineam substantiæ habet rationem partis: eo quod substantia intra lineam substantiæ, non habet ullam distinctionem, seu pluralitatē partium entitatiuarum, etiam dependenter à quantitate tamquam à conditione. Sed terminum nutritionis esse substantiā uiuam denuo productam ex materia alimenti, ut fit realiter, & actu vnum perse cum ipso alito: nam tota substantia secundum suam entitatem substantialem præcisè, etiam si sit materialis, est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte illius.

18 Aliter M. Ioannes à S. Thoma hic quæst. 8. art. 2. huic difficultati respondet, docens in linea substantiæ dari partes radicales integrantes substantialiter differētes; ut docere videtur S. Thomas in 3. distinct. 13. quæst. 2. art. 2. quæstionc. 2 & quæst. de Anima artic. 10. ad 16. & quia proportionaliter, sicut differunt duo indiuidua, ita & partes materiales integrantes idem indiuiduum: constat autem duo indiuidua, non solum differre quantitatiue, sed etiam substantialiter: ergo & id quod accrescit per nutritionem, non solum distinguitur quantitatiue, sed etiam substan-

tialiter ab illo, quod antea erat.

19 Ex quo colligit partes, quæ in nutritione, vel augmentatione adueniunt, non fieri vnum substantialiter per identificationem: nam, quæ identificantur, separari non possunt: sed partes integrales matæ ad inuicem separari possunt, vt cum resultant diuersa indiuidua: ergo quando coniunguntur non erunt identificata, sed vnita. Deinde, non minus vniantur partes esẽtiales physicae, scilicet, materia, & forma, quam vniantur ea, ex quibus res integratur: sed materia, & forma non identificantur, sed vnũtur, cum ordinantur ad vnum totũ constituendam, vt ait S. Thom. de Spiritualibus Creat. artic. 4. ad 14. ergo à fortiori nec partes integrantes substantialiter.

20 Ad difficultatem igitur respondet, quod per nutritionem acquiritur pars substantiæ; sed tamen affecta quantitate: & ita ex quantitate, qua est affecta, habet formalitatem partis: ex se autem solum radicaliter est pars. Itaque sicut generatio directè producit substantiam totalem, & indiuiduam; licet in ratione diuisionis, & designationis à quantitate dependeat, & sub ea indiuiduetur; eo quod principium indiuiduationis est materia lignata quantitate. Ita aggeneratio, seu nutritio respicit directè substantiam partialem; licet formalitas partis à quantitate dependeat, vt ab ordinante, & continuante partes, sicut indiuiduatio dependet à quantitate, vt diuidente, & separante.

21 Quamuis hæc secunda sententia fortè in solo modo loquendi differat à nostra, iam explicata libro 2. Logicæ quæst. 13. Facilius tamen nos respondemus cum Thomistis ibi num. 3. & 4. relatis, admitendo nutritionem terminari ad partes substantiæ (quas in illa agnoscunt etiam M. Capreolus in secundo distinc. 15. ad 10. contra vltimã in fine quæst. M. Soto quinto Physicorum quæst. 2. ad primũ, M. Banez hic cap. 5. quæst. 1. conclus. 3. & 4. & ad secundum, & quæst. 5. cap. 3. & alij frequenter) quæ tamen à quantitate dependent, vt à dante extensionem, & diuisibilitatem: & ideò quãtitas, sicut est principium, non primarium, sed ad summum secundarium; vel solum conditio intrinseca ad indiuiduationem substantiæ completæ; ita non potest esse ratio formalis dandi partes substantiæ; quãuis sit ratio formalis eas extendendi, & faciendi diuisibiles, prout loco citato exposuimus. Et iuxta hoc, absolute est concedendum nutritionem terminari ad partialem substantiam: & sic cessat illa difficultas, quæ apud negantes partes integrales in linea substantiæ, non parum negotij facessit; & apud nos potius intentum conuincit.



QVAESTIO XX.

*Vtrum sola viuētia nutriantur,
& augeantur? & qua-
liter?*

§. I.

*Resolutio quoad primam partem
quæstionis.*

Ico primo, sola viuētia, pro-
priè loquēdo, nutriuntur, &
augentur. Ita Philosophus 2. de
Anima, & S. Thomas ibi lect. 8. &
9. litt. e. & in 4. dist. 12. q. 1. artic. 2.
q. 3. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. in fine
cor. & 3. p. q. 33. ar. 1. ad 4. Sed op-
timè conclusionem docet, & eius
rationem assignat S. Thomas quæ-
stione vnica de Anima artic. 13. ad
15. inquit, dicendum, quod res na-
turalis inanimata simul recipit spe-
ciem, & debitam quantitatem: quod
non est possibile in rebus viuēti-
bus, quas oportet in principio ge-
nerationis esse modicæ quanti-
tatis, quia generantur ex semine. Et
ideo oportet, quod præter vim ge-
neratiuam, in eis sit vis augmenta-
tiua, quæ perducatur ad debitam quā-
titatē. Hoc autem fieri oportet
per hoc, quod aliquid conuertatur
in substantiam augmentandam, & sic
additur ei. Hæc autem conuersio
fit per calorem, qui etiam conuer-
tit id quod extrinsecū apponitur,
& resoluit etiam, quod inest. Vn-
de ad conseruationem indiuidui,
vt cōtinuo restauret deperditum,
& addatur quod deest ad perfectio-

nem quantitatis, & quod necessa-
rium est ad generationem seminis,
necessaria fuit vis nutritiua, quæ de-
seruit, & augmentatiuæ, & genera-
tiuæ; & propter hoc indiuiduum
conseruat. His verbis complexus
est S. Tho. fere omnes rationes hu-
ius conclusionis, & quæ in sequen-
tibus dicemus de fine, & modo aug-
menti viuētiū.

2 Prima ergo ratio à D. Tho. pro-
posita, sic formatur. Augmentū est
motus ad maiorem quantitatem si-
bi acquirendam: sed sola non viuē-
tia mouentur ad propriam quanti-
tatem sibi acquirendam: ergo sola
viuētia propriè augentur. Minor
probat: nam nō viuētia à prin-
cipio recipiunt speciem, & quanti-
tatem; & ideo statim valent sibi si-
mile generare: quod non conuenit
viuētib: tum, quia cum fiant ex
semine, à principio non possunt nō
esse modicæ quantitatis: tum, quia
nō possunt naturaliter tam cito ha-
bere tam diuersas partes in ea per-
fectione, quæ exigitur ad perfectā
viuēntis consistentiam, & operatio-
nem. Et denique, quia non viuētia
non mouent vitaliter seipsa.

3 Secunda ratio S. Th. est. Illa pro-
priè augentur, quæ propriè nutriū-
tur; nam substantiæ pars non acqui-
ritur sine quantitate; nec hæc fit si-
ne noua parte substantiæ, vel noua
extensione formæ ad partes mate-
riæ, quæ adueniunt. Sed sola viuē-
tia propriè nutriuntur: quod patet
ex eo quod nutrimentum est repa-
ratio partium perditarū per actio-
nē caloris naturalis circa humidū,
seu per virtutem internam agentē
circa

circa partes ipsi⁹ rei, quæ nutritur. Quæ non habent locum in non viuētib; eo quod habent omnes partes similes, & eiusdem rationis; & idēd vna in aliam agere non potest: ac per consequens in eis nō distinguitur pars mouens à parte mota, sicut in viuētib; iuxta Phylosophum 8. Phys. tex. 41. & S. Tho. ibi lec. 10. vt explicuimus 2. p. Methaph. Controu. 13. nu. 48. ergo sola viuētia propriè augetur.

4 Denique probatur ratione S. Tho. 2. de Anima illa lec. 9. *Id propriè nutriri dicim⁹, quod in se ipso aliquid recipit ad sui ipsius conseruationem;* ac proinde fit per intus sumptionem, & per virtutē intrinsecam rei, quæ nutritur, & augetur: alioquin si solum fieret per iuxta positionē, maneret sicut antea quoad intrinsecam, & posset additū discerni ab eo quod augetur. Sed nō viuētia nō possunt augeri per intus sumptionem; quia non habent os, sicut animalia; neq; radices, sicut arbores, & plantæ; nec virtutem internam ad conuertendum in se; sed solum est quædam iuxta positio; vel alterius generatio: ergo in rigore loquendo, non viuētia, nec augetur, nec nutriuntur. Hanc rationē latè ponderant M. Bañez c. 5. q. 4. PP. Carmelitan. disput. 6. quæst. 2. §. 2.

5 Sed obijcies, ignis est inanimatus, & tamē propriè augetur, & nutritur: ergo non sola viuētia augetur, & nutriuntur. Probat minor ex Phylosoph. 2. de Anima tex. 50. & continua experientia, quia ignis omnia, quæ iuxta ponuntur, in se

conuertit. Et præcipuè flamma nutritur ex oleo attracto.

Respondetur, quod ignis habet quidem similitudinem, & apparēntiam nutrienti; non tamen propriè, & in rigore augetur; quia non crescit in se per intus sumptionē, sed in noua materia generatur ali⁹ per præcedentis actiuitatem. Vnde S. Thom. 2. de Anima lect. 8. litt. d. ait: *Inter elementa videtur solus ignis nutriri, & augeri, si superficialiter de nutrimento, & augmento loquamur.* Et lect. 9. litter. e. ait: *Considerandum est, quod nihil propriè nutritur nisi animatum: Ignis autem videtur quidem per quandam similitudinem nutriri; non autem propriè nutritur.* Quod latè profequitur verbis, quæ iam retuli lib. 6. Phylsorum quæst. 6. num. 33. vbi docet Sanctus Thomas, quod cū igni accenso aliqua materia combustibilis additur, in illa materia cōbustibili nouus ignis generatur; & idēd non est conseruatio præexistētis, sed noui indiuidui generatio: *Totus enim ignis, qui est ex congregatione multorum ignitorum, non est vnus simpliciter, sed videtur vnus aggregatione, sicuti aceruus lapidum est vnus: & propter talem vnitatem est ibi quædam similitudo nutrimenti.* Nec flamma nutritur; sed minor flamma consumit minorem, & quælibet consumit oleum: & generatur ignis ex vna parte, & deperditur ex alia: non autem eius materiam in se cōuertit. Constat autem, quod non est idem generare sibi simile; ac in se intus crescere, & idem numero augeri per intus sumptionem.

6 Sed instabis, nam videtur in conueniens, quod tota aqua maris sit vna; & tamen ignis non habeat vnitatem perse, sed sit ens peraccidens.

Respondetur, quod S. Thomas non affirmat, quod semper ignis sit vnus peraccidens; hoc enim falsum esset; quia elementaris ignis vnus est, & pariter alij ignes datur perse habentes vnitatem, sicut, & alia inanimata continua: de quo S. Thomas 4. Contrag. cap. 81. ad 4. & 5. & Ferrara ibi (immerito à qui bulsdam pro contraria sententia relatus) & 1. Physicorum q. 7. ad 4. & 5. Sed solum ait, quod quando sunt multæ prunæ aggregatæ, est ignis peraccidens vnus, vt notat Banez ad 2. quod verissimum est.

§. II.

Vtrum qualibet pars augetur?

7 **D**ico secundo, eius quod augetur, qualibet pars augetur. Ita Philosophus textu 32. quâ docet, & probat S. Thomas lectione 14. in princip. ita dicens. Prima suppositio, quam primo proponit Philosophus, est hæc, scilicet, eius quod augetur, quælibet pars videtur esse augmentata. Et similiter de diminutione, qualibet pars eius quod diminuitur, videtur esse facta minor. Cuius ratio apparet ex hoc, quod dicitur in 5. Phys. tex. 1. illud enim cuius aliqua pars mouetur, dicitur moueri secundum partem; & non simpliciter: sicut homo dicitur vulnerari, cum manus vulne-

rata est. Ad hoc ergo quod aliquid simpliciter, & perse moueatur, requiritur quod quælibet pars eius moueatur. Quod quidem etiam in augmento, & in omnibus alijs motibus obseruari oportet. Idem docet S. Thomas eadem lec. litt. c. & in. 1. dist. 17. q. 2. art. 1.

8 Secunda ratio sumitur ex dictis nu. 3. quia quoad hoc par ratio est de augmentatione, ac de nutritione; cum simul sint tempore illo, quo viuens est capax augmenti. Sed eius quod nutritur, qualibet pars nutritur: ergo eius quod augetur, qualibet pars augetur. Probatur minor: tum, quia nutritio est operatio vitalis; & ideo reperitur in plantis, & ex illa probamus plantas viuere: naturaliter autem loquendo, omnia, quæ viuunt, debent exercere aliquam operationem vitæ; nisi peraccidens impediatur. Rursus probatur minor, quia diximus q. 19. §. 2. quod in animalibus calor naturalis est quo animal nutritur, & augetur: sed experimur esse in toto corpore, & in omni parte eius: ergo in toto illo habet suam operationem.

9 Aduertit autem Philosophus tex. 35. quod membra dissimilium partium augetur, auctis membris partium similium. Sed quia Philosophi verba perse difficilia sunt, referemus, vt lucem accipiant Angelico illuminante Doctore: *An homio mera (inquit Philosophus) augetur, cum homio mera augetur: componitur enim ex his vnumquodque*, id est (ait S. Thomas lectione 15. litt. b.) membra dissimilium partium, puta, manus,

nus, aut pes, & similia; augentur per hoc, quos partes augentur, quas *homiomeria* vocat, sicut sunt caro, & os, & huiusmodi. Et assignat huius rationem, quia vnumquodque membrum dissimilium partium, augetur ex his quæ sunt similium; sicut manus ex carne, & ossè, & neruo: idè oportet, quod per augmentum partium augeatur totum. Hæc Sæctus Thomas. Quod ab omnibus admittitur, quia partes ætereogeneæ componuntur, & constant ex homogeneis: & idè oportet quod per augmentum istarum illæ augeantur; & per augmentum omnium partium augeatur totum.

10 Hæc cum certa sint, inquirendum restat: primo, vtrum omnes partes, tam aliquotæ, quam proportionales augeantur immediate, & perse; vel solum aliquotæ; proportionales verò mediatè tantum ratione earum?

Terminos dubij iam exposuim⁹ 6. Physic. q. 2. à n. 5. Respondet Rubio hic tract. de Augmentat. q. 7. n. 81. quod omnes partes augentur perse immediate: sed potior ratio ne proportionales. Probat, tum, quia Philosophus tex. 33. vniuersaliter loquitur. Tum, quia partes aliquotæ non habent aliam entitatem, quæ augeatur perse immediate præter partes proportionales. Denique secunda pars probatur; nã parti aliquotæ non applicatur alimentum perse immediate; nec pars conuerfa ei vnitur nisi per suas extremitates.

11 Melius tamen Bañez cap. 5. q. 7. conc. 2. Ioan. à S. Tho. q. 8. a. 5.

PP. Carmelit. disp. 6. q. 4. num. 84. docent immediate, & perse augmentum fieri in partibus aliquotis sensibilibus; in proportionalibus verò mediatè, & ratione æqualium, & ratione aliquotarum. Probant primo, quia sic sumitur ex Philosopho text. 35. & ex D. Thoma lect. 15. litt. a. Secundo, quia partes aliquotæ, & sensibiles sunt distinctæ, & designabiliter in toto: proportionales verò in potentia, & confuso modo, & indesignabiliter. Tercio, quia pars illa, quæ porum non habet, augeri nequit; cum non possit intus fumere, nec fieri maior, nec alimentum potest cum ipsa penetrari. Partes autem proportionales, cum sint infinitæ, poros non habent: alioquin duo corpora æqualis magnitudinis non possent se excedere in soliditate: & viuètia omnia resolverentur in poros.

12 Per quæ cessant fundamenta contraria: nam Philosophus ipse explicuit; & idè quamuis omnes partes augeantur; non tamen eodem modo; nec æque perse primo, & immediate. Ad secūdum, dicitur, quod licet extensio sit eadem; modus tamen estendi est diuersus; & idè materialiter omnes augentur; sed non æque perse primo omnes augentur.

13 Ad tertium cōcedo antecedens; & nego consequentiã, quia illa pars mediate vt quasi extremitas partis aliquotæ, non est mediate, vt ratione sui habens poros; & ideo non sufficit vt ratione illius hæc dicatur augeri; partes autem proportionales solum augentur mediate,

vt inclusa in partibus sensibilibus, quæ habent poros.

14 Secundo inquiritur, qualiter possit augmentum fieri secundum omnes partes, sine penetratione alimenti cum corpore, quod augetur, & nutritur?

Vt respõdeatur, notandũ ex Philosopho, & D. Thoma 4. Meteororum lec. 12. litt. f. Quod in quocumque viuente sunt duo genera partium; quædam porosæ, quia poros habent; aliæ non porosæ, quæ poris carent. Pori (à quibus partes porosæ dicuntur) sũt foramina quædam minutissima per totum corp⁹ viuientis diffusa; non omnino vacua, sed plena humore quodam, qui facile cedit intranti corpusculo, aut humori attracto. Quos poros dari cõprobatur manifesta experientia; non enim sudor, aut vrina à corpore egrederentur, si pori non darentur; siquidem duo corpora naturaliter non possunt penetrari, vt ostendimus 4. Phys. q. 6. & sine scissione, aut penetratione, nec sudor, nec vrina reciperentur in vesicam, & egrederentur à corpore per omnes partes.

15 Putat autem Augustinus Nihilus hic textu 39. quod nulla est necessitas pororum ad augmentũ, vel nutritionem. Hoc tamen bene reijcit Bañez cap. 5. q. 7. notab. 2. quia medulla vndique durè circumseptã nõ posset nutriri nisi per istos poros deferretur alimentum: nam finis pororum est duplex; alter vt sint viæ per quas excrementa resoluta eiciantur foras, ne ledant ipsũ vitens; alter finis est, vt per eosdẽ

alimētum trahatur ad singulas partes solidas. Et illis correspondet duplex virtus; altera attractiua proficui alimenti; altera verò expulsiua nociui humoris. Quia verò venæ non potuerunt ita multiplicari, vt quælibet particula corporis haberet suam; prouidit natura poros, vt per illos attraheretur alimentum.

16 Respondetur ergo ad dubiũ, quod partes porosæ non augentur præcisè, quia calore naturali multiplicentur pori; cum pori non sint partes corporis, sed potius concauitates quædã plenæ alimento, & humore, conuertendis in substantiã. Partes autem solidæ intus non suscipiunt alimentum; quia alimētum cum parte solida penetrari nequit. Vnde bene deducit M. Bañez conc. 3. quod pars illa parua, quæ intra suam quantitatem porũ nõ habet, non augetur proprie: quia si permanet, non est maior pars; si non permanet, non est aucta. Hæc latius explanare, esset diggredi ad extranea; & idè non immoramur in eis declarãdis; & quia de his plura alij frequenter.

QVAESTIO XXI.

Vitũ viuens maneat idem toto tẽpore augmenti?

1 **T**Ria sunt, quæ in hac quæstione indigent discussione. Primum est, vtum in augmento addatur noua pars formæ, vel præexistens extendatur ad informandam nouam partem materiæ? Secundũ, qualiter maneat toto tempore idẽ sub

subiectam, vel suppositum? Deniq; consequenter videndam, in quo sē su Philosophus textu 35. docuerit augmentum fieri per partes speciei formales, non per materiales?

§. I.

Qualiter forma sit eadem?

2 **C**irca primum, est certū, quod in homine toto tēpore augmenti manet eadem forma; quia anima rationalis est indiuisibilis, & est tota in qualibet parte; vt docet S. Thomas. 1. p. q. 76. art. 8. Et eadē ratione in animalibus perfectis nō additur noua pars formæ; quia etiā sunt indiuisibiles, iuxta Philosophum de Senectute c. 1. & S. Thomam 2. Contrag. c. 72. & quæst. v. nica de Anima art. 10. & 2. de Anima lect. 4. Quare solum est difficultas de augmento animalium imperfectorū, & plantarum (quarum animas esse diuisibiles certū est, & experientia cōstat, cum decisa viuāt; & ramusculi abscissi inferuntur, & viuunt) an acquirant nouam partē formæ in augmento, & nutritio- ne? Vel solum nutriantur per extē- sionem formæ præexistentis ad in- formandā nouam partem adueniē- tis materiæ?

3 Opinātur quidam, quod etiam in augmento Animalium imperfecto- rum manet eadem forma numero; & quod nō educitur noua pars for- mæ ex materia quæ aduenit, sed po- tius præexistens forma augetur, & extenditur ad informandam maio- rem materiā, quam antea. Ita Phy-

loponus hic cap. 5. cuius sententiā refert, & vt probabilē omnino se- quitur M. Bañez cap. 5. q. 5. cōc. 4. & tribuitur vtrique Alberto, Niu- pho, Burlæo, & alijs, quos non vi- di. Probat Bañez primo: nam licet huiusmodi animæ sint diuisibiles, & extēse, tamē quia sunt formæ vi- uentium, in hoc excellunt formas non viuentium, quod eadem man- nēs propter suam excellētiā pos- sit se ad maiorem materiam dilata- re.

Secundo, quia in augmentatione manet idem viuens, vt postea dice- tur: sed si ad recessionem materiæ, forma etiam corrumpitur, non ap- paret quomodo idem compositū maneat, nam variata forma, & ma- teria, etiā variari necesse est, quod ex eis componitur.

4 Tertio probatur ab inēdueniē- ti, nam alioquin sequeretur, quod viuentia augeantur ad modum nō viuentium; sicut ignis, qui non au- getur proprie; sed fit maior per ad- ventum nouæ formæ, & materiæ. ¶ Præterea sequitur quod non de- tur certus terminus augmenti, & decrementi animalium imperfecto- rum: quod est contra Aristotelem 2. de Anima textu 41. Id autem se- qui probatur: nam ideò non viuē- tia possunt crescere in infinitum, quia crescunt per aduentum nouæ formæ, & materiæ, quæ præexisten- ti additur, & affert secum nouam virtutem; sed etiam, iuxta senten- tiā oppositam, in augmento ani- malium imperfectorum additur noua pars formæ secum afferens nouam virtutem, & additur etiā noua pars mate-

materia: ergo non habebit terminum augmenti.

5 Dico tamen primo, cum plantæ, & animalia imperfecta augentur, educitur noua pars formæ ex noua parte materiae, quæ de nouo aduenit. Ita Capreolus in 2. dist. 15. ad 10. contra vltimam: & vt probabilem tuentur Bañez q. 5. cõc. 3. Toletus q. 9. referens Marsilium, Albertum de Saxonia, Petrum de Mantua, & alios plures. Item Scotus in 4. dist. 44. q. 1. a. 1. Aegidius in 1. dist. 5. q. 3. ar. 2. Rubio hic q. 9. n. 107. Ioan. à S. Tho. q. 8. a. 6. ad 3. & alij frequenter. ¶ Habetq; fundamentum in D. Thoma, & Phylol. siquidẽ 2. de Anima lec. 4. eodem modo, quo ad hoc, loquuntur de animalibus imperfectis, ac de formis plantarum; quia in vtrisque forma est *vna actus, & multiplex in potẽtia*: ergo sicut cũ diuiditur, in qualibet parte est pars formæ, etiã cũ augetur, vel diminuitur est noua pars formæ, quæ acquiritur, vel deperditur.

6 In quo indicatur duo fundamenta: quia cum plantæ, & animalia imperfecta diminuuntur, amittunt non solũ partem materiae, sed etiã partem formæ: quod patet experientia, siquidem animalium illæ partes viuunt, & sentiunt; quod esse non possent, nisi animam viuentis sensibilibis propriam haberent: & ramusculi incisi viuunt, augetur, & crescunt: ergo etiã cum augentur noua pars formæ aggeneratur. Patet consequentia ex mutua correspondentia augmenti, & decrementi.

7 Alterum, & præcipuum fundamentum est; quia nisi sic dicatur, se-

quitur animas animalium imperfectorum esse indiuisibiles, & totas in qualibet parte: quod est contra suppositionem factam n. 2. in qua procedit hæc quæstio. Id autem sequi probatur; quia eo modo illæ formæ dependent à materia, quo natæ sũt eã informare: cũ ergo est diuisibilis, & coextensa per totũ, qualibet pars formæ est in determinata parte materiae: ergo eadem forma diuisibilis non extenditur ad nouam partem materiae; sed additione materiae additur pars formæ.

8 Ad primum contrariæ sententiæ respondetur, quod sicut ipsi fatentur has formas quoad diuisibilitatem non assimilari animabus animalium perfectorum, sed formis elementorum, & aliorum non viuentium diuisibilium; ita nos dicimus de augmento, & diminutione: quod cum illæ formæ sint extensæ, & imperfectæ; & diuisibiles, acquiritur noua pars formæ acquisita noua parte materiae, sicut, & deperditur cum pars materiae tollitur.

9 Ad secundum satisfaciemus 2. p. quæstionis. ¶ Ad 3. Toletus soluit, ad 3. assignat duplex discrimen inter augmentum viuentiũ, & augmentum ignis: alterum est quod ignis non crescit nisi ex ea parte, quæ ei alimentum apponitur; si sursum apponitur; sursum tendit; si ad latus, similiter ad latus, vel ad aliam differentiam. At viuens cibo vna parte posito, crescit secundum omnem differentiam: & sic est ab anima, vt probat Phylolophus 2. de Anima cap. 4. Alterum discrimen est, quod ignis suscipit alimentum ad par-

partes exteriores, nec secundū omnes suas partes augetur: at viuēs in se cibū sumit, ac per varias partes internas virtute propria distribuit.

10 Facilius tamen respondetur ex dictis q. 20. §. 1. quod ignis tantum improprie augetur, quia illa potius est alius ignis generatio; at verò plantæ, & animalia imperfecta per virtutem internā ipsius animæ alimentum in se conuertunt, & ex forma, & materia adueniente fit vnum totum; licet non indiuisibile; tamen est continuum, quia omnes partes in vno esse totius conueniunt, & ordinantur ad exercendas perfectas operationes totius viuētis.

11 Ad vltimum inconueniens facile respōdemus, quod nos 6. Physic. q. 6. n. 26. ostendimus etiā nō viuētia habere terminos intrinsecos magnitudinis; iuxta quam sententiā videtur argumentum cessare. ¶ Et adhuc iuxta oppositam sententiā non multum vrget, quia vt docet S. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. ad 4. *Omnis virtus in corpore passibili, per continuam actionem debilitatur, quia huiusmodi agentia etiam patiuntur.* Et hoc militat, tam in animalibus perfectis, quam in imperfectis. Imò ibi in fine solutionis id declarat Sanctus Thomas exemplo virtutis vini conuertentis aquam admixtam, quæ paulatim per admissionem aquæ debilitatur, vt tandem totum fiat aquosum, vt Philosophus exemplificat in 1. de Gener. tex. 88. de quo S. Tho. lec. 16. lit. c. & lec. 25. lit. d. In igne autem non debilitatur ca-

lor, sed similis producitur cum nouus ignis generatur. Per quæ nō negamus, quod in igne sit quædam similitudo augmenti: vnde S. Tho. in fine lec. 16. ait: & hoc etiam accidit circa ignem; contingit enim quandoque quod ligna igniuntur adiuncta igni præexistenti: & hoc est augmentatio ignis: quando vero ipsa ligna incēduntur seorsam, nō adiuncta alijs lignis adustis, tūc est generatio. Hæc ibi: de quo iterum n. 16.

§. II.

Vtrum subiectum sit idem?

12 Dico secūdo, absolutè, & simpliciter debet cōcedi, quod toto tēpore augmēti manet idem subiectū. Ita Phylol. tex. 33. & 34. & S. Th. lec. 14. lit. c. & e. Et Authores cōmuniter. Ratio Philosophi est, quia alias nutritio, & augmētatio nō distinguētur à generatione, & corruptione: quod satis patet esse falsū ex distinctione terminorū. Sequela probatur: nā generatio terminatur ad nouum cōpositū, priori corrupto: sed si non maneret idē subiectū, augmētatio terminaretur ad aliud subiectum de nouo productum: ergo augmentatio esset generatio vnius, & alterius productio.

Secundo, substantia non destruitur per id quo perficitur, vt in simili diximus q. 15. n. 45. & q. 16. n. 22. Sed nutritione conseruatur viuēs, & augmentatione perficitur, vt ad statum perfectum perueniat, & debitas

bitas exerceat operationes: ergo toto tempore augmentationis, & nutrimenti manet idem numero viuens.

13 In hac conclusione Authores concordant: dissident tamē in eius expositione. Nam Alexander (quem plures postmodum secuti sunt, vt ait S. Tho. lec. 15. lit. b.) & alij quos refert, & sequitur Tolet⁹ q. 9. ad 5. distinguunt partes integras spermaticas, quæ immediatē generantur ex semine, & sunt omnes illæ, ex quibus cōponitur substantia primo producta per generationem. Alia sunt nutrimentales, quæ producuntur nutritione ex alimento, & adduntur primis. Illas dicunt non cōsumi, nec variari; nutrimentales verò passim consummi.

14 Phyloponus verò, & Auerfa q. 50. lec. 3. & Cabero disp. 6. docēt partes quasdam solidiores, & duriores viuētis, quas ab initio habet, permanere semper easdem, & non resolui. Quod probant experiētia, nam ossa, nerui, & cutis etiam magna infirmitate non consumuntur; fecus verò partes molliores, & laxiores. Et quia actiuitas caloris naturalis est valde temperata non valens resistere partibus solidioribus.

Admittit etiam Rubio de augmentatione q. 9. conclusione secunda, quod sicut omnes partes augentur, ita omnes diminuuntur, vt docet Philosophus text. 32. & 35. non tamen hæc diminutio est tāta, vt multæ partes non maneant inuariatæ magna ex parte: nam licet cōtinua sit actio caloris naturalis, nunquam

corrumpit totaliter duriores, ac solidiores partes viuētis, propter maximam resistantiam earum, vt probat concl. 3.

15 Nihilominus S. Tho. lec. 15. litt. d. docet non esse necessarium, vt id quod augetur maneat idē numero, quod materialiter forma, & materia eadem perseueret; sed sufficit, quod formaliter sit idem, quia partes, quæ defluunt, & consumuntur per calorem, & quæ adueniunt, & restituntur per nutrimentum, manent sub eadem figura, ordine, & situ, faciuntque vnum continuū cum præexistentibus. Quod ex Philosopho quatuor exemplis declarat. Primum est, si ex vase pleno aqua, guttatim aqua effluat, & guttatim semper infundatur; erit enim semper idem quantum ad mensurā aquæ, non tamen quoad materiam aquæ. Est etiā simile de fluuijo, qui semper manet idem quantum ad speciem fluuij, materialis tamen aqua semper est alia, & alia. Simile est etiam in igne, cuius species, & figura semper manet; sed ligna, in quibus materialiter ignis ardet, consumuntur, & alia apponuntur. Idem etiam apparet in populo ciuitatis, qui semper manet idem secundum id quod est speciei; quamuis hominum, ex quibus constituitur populus, quidam moriantur, & quidam succedant. Sic ergo semper permanet id quod pertinet ad speciem carnis; licet materia, in qua fundatur talis species, paulatim cōsumatur per actionem caloris, & alia de nouo adueniat per nutrimentum. Quam doctrinam S. Thomæ sequuntur communiter

muniter eius discipuli, & Marsili⁹
hic q. 12. Saxonia q. 11. Cōimb. &
alij frequenter.

16 Obijcies: nam ad hoc, quod
sit idem numero requiritur identi-
tas materiæ, quæ est indiuiduati-
onis principium: ergo si admittim⁹,
quod si animal diu viuuit, nihil
quod in eo fuit materialiter in prin-
cipio suæ generationis, finaliter re-
maneat in ipso; sequitur, quod nō
sit idem numero: ac per consequens
falsum est, quod viuēs maneat idē
toto tempore augmenti, si partes
fluant, & aliæ adueniunt.

Respondet S. Tho. 1. p. q. 119. ar-
tic. 1. ad 5. quod sicut Philosoph⁹
dicit in primo de Gener. text. 39.
lec. 16. in fine, quando aliqua ma-
teria perse conuertitur in ignem;
tunc dicitur ignis de nouo genera-
ri. Quādo verò aliqua materia cō-
uertitur in ignem præexistētē, di-
citur ignis nutriri. Vnde si tota
materia simul amittat speciē, & a-
lia materia conuertatur in ignem,
erit ali⁹ ignis numero. Si verò pau-
latim combusto vno ligno aliud
substituatur, & sic deinceps quoad
vsque omnia prima cōsumantur,
semper remanet idem ignis nume-
ro, quia semper, quod additur, trā-
sit in præexistens. Et similiter est in-
telligendū in corporibus viuenti-
bus, in quibus ex nutrimento re-
flauratur, id quod per calorem na-
turalem consumitur. Hæc S. Tho-
mas: qui idem dicit Quodlib. 8. ar-
tic. 5. ad 2. & in 2. sent. dist. 30. q. 2.
ar. 2. ad 4. & in 4. sent. dist. 44. q. 1.
art. 2. q. 4.

17 Sed instabis: nam videtur dif-

ferentia per accidens, quod mate-
ria tollatur tota simul, vel paula-
tim, & per partes: sed fatemur,
quod si tota simul tolleretur, non
esset idem numero viuens: ergo si
post longum tempus paulatim est
alia numero materia ab ea, quæ
fuerat in principio, viuens nō erit
idē numero in fine vitæ, & in prin-
cipio.

Respondetur: quod cum tota
materia tollitur simul, & alia adue-
nit, variatur indiuiduationis prin-
cipium; & ideò non mirum varia-
ri indiuiduum, & esse aliud nume-
ro. At verò cum paulatim pars cō-
sumitur, & pars aduenit, hæc con-
tinuatur cum toto præexistēte in
quod transit; & ideò continuatio-
ne est formaliter idē, ac si esset ea-
dem numero materia: quāuis ma-
terialiter sit diuersa.

18 Aduertendum autem, quod
exempla aduēta nu. 15. tenent quo-
ad id ad quod inducantur, nempe,
quod potest aliquid variari mate-
rialiter, & manere idem formaliter:
de quo videantur etiam quæ
diximus lib. 4. Physic. q. 2. Tamen
quoad alia est differentia, quia Po-
puli, vel Ciuitatis vnitas, est solum
moralis, quia diuersi homines ad-
vnantur eisdem legibus, & succe-
dunt in eisdem muneribus; vnitas
tamen corporis viuētis est physica.
Pariter aqua fluuij minorē ha-
bet vnitatem, quā habeant partes
eiusdē viuētis. Cæterum hoc nō
tollit conuenientiam exemplorū,
quia tenet in sensu formali, in quo
inducantur; & parū interest, quod
quoad alia nō teneant, quia si om-

nino essent idem, non esset exemplum simile; sed identitas.

19 Præterea, in animalibus imperfectis, vt in lacertis, & huiusmodi, non facile assignari possunt partes solidiores, quæ toto vitæ tempore perseuerent eadem materia liter: & tamen in eis verificatur, quod manet idem viuens toto tempore augmenti. Ac percõsequens melius est recurrere ad discursum S. Thomæ, qui quoad hoc in omnibus procedit. Licet sit disparitas quod in homine, & animalibus perfectis forma manet inuariata, quia est indiuisibilis; & idèd solum deperduntur partes materiæ, quæ nutritione restaurantur.

20 Denique experientia solum comprobari potest, quod post statum augmenti, partes solidiores non crescunt; nõ tamen valet probari experientia, quod materialiter eadem omnino ossa, & nerui, & alia huiusmodi, quæ sunt in puerilis recenter natis, sint in hominibus grandæuis; quia partes istæ sunt corruptibiles, & calor naturalis est illis applicatus, & sicut omnes nutriuntur; ita omnes paulatim mutantur.

21 Est tamen differentia, quam notat S. Thomas illa quæst. 119. artic. 1. ad 4. quod cum agentia corporalia in agèdo repatiantur; idèd virtus conuersua in principio quidem tam fortis est, vt possit conuerrere, non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum. Postea vero non potest conuerrere, nisi quantum sufficit ad restaurationem de-

perditi: & tunc cessat augmentum. Demum nec hoc potest, & tunc fit diminutio. Deinde deficiente huiusmodi virtute totaliter, animal moritur. Videantur reliqua verba S. Thom. iam relata n. 11. Non repugnat autè alimētum, quo subueniatur huic defectui, & naturaliter impediatur mors per longa tēpora, vt de fructu ligni vitæ, ex D. August. docet S. Tho. 1. p. q. 97. art. 4. & ibi eius Expositores.

§. III.

Textus Phylosophi exponitur.

22 **R**estat tertium, quod explicandum promisim⁹, videlicet, quid sibi velit Phylos. cū text. 35. inquit: *Quamlibet igitur partem augmentari, & adueniente aliquo secundum quidem speciem est contingens, secundum autem materiam non est.* Quorum verborū fere tot sunt expositiones, quot Expositores. Plures refert, & impugnat M. Bañez c. 5. tota q. 6.

23 Quibus omisis, dicendū est cum D. Tho. lec. 15. lit. d. & 1. p. q. 119. ar. 1. ad 2. quod hæc distinctio Phylos. non est secundum diuersas carnes, sed est eiusdem carnis secundum diuersam considerationē. Si enim cõsideretur caro secundū speciem, id est, secundum id quod est formale in ipsa; sic semper manet; quia semper manet natura carnis, & dispositio naturalis ipsius. Sed si consideretur caro secundum materiam; sic nõ manet, sed paulatim cõsumitur, & restauratur. Sicut patet in igne fornacis, cuius forma manet; sed materia paulatim consumi-

sumitur, & alia in locum eius substituitur. Hæc S. Thomas.

24 Cuius sensus non est, quem illi tribuunt Toletus q. 9. ad 1. & Rubio q. 9. n. 108. quod manet natura specifica, quia semper est verum quod est caro, & os eiusdem speciei, siue sit maius, siue sit minus. Non tamen manet singularitas, quia hæc sumitur à materia, quia hæc, vel illæ partes, quæ materia dicuntur, recedunt. Hæc, inquam, expositio rejicitur à D. Tho. in corpore illius articuli, ut patebit legenti. Non consonat Phylosopho, nec saluat eius intentum, quod in augmentatione manet idem numero compositum; cum constet non posse esse idem numero, si non est aliquo modo eadem materia.

25 Sensus igitur planus sumitur ex dictis, quod materia ipsa potest considerari dupliciter: & materia liter, & in esse rei; & sic variatur: sed tamen eadem formaliter perseuerat, quia solet esse sub eadē omnino forma, & sub eisdem dispositionibus numericis, ut patet exemplis S. Thomæ adductis n. 15. Vnde M. Bañez dicta q. 6. post primam conclusionem, notat, quod quando dicimus, quod manet caro secundum speciē, nolumus negare, quod modo non habeam ego eandem carnē numero, quam habui quando eram puer: sed asserimus, quod licet materialiter non maneat eadem, cum semper deficiat: manet tamen hæc numero caro formaliter; quia semper succedit caro secundum eandem naturam, & dispositiones, situm, & figu-

ram. Et in homine hoc facilius percipitur, quia anima est indiuisibilis, & causat dispositiones, & accidentia. Vnde licet entitariuè, & materialiter partes pereant, sunt eadem formaliter, quia succedunt sub eadem forma, & sub eisdem accidentibus: & hæc mutatio fit imperceptibiliter, ut expositum est num. 17.

QVAESTIO XXII.

Vtrum augmentatio, & nutritio continuo durent?

§. I.

Certa præmittuntur.

I Sensus quæstionis satis patet ex dictis in simili q. 17. §. 1. ¶ Certumque est; primo, augmentationem non durare continuo per totam vitam, ut patet ex dictis q. 21. num. 21. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. quæstiuncula 3. ait: tempus augmenti, secundum Phylosophum, est usque ad finem tertij septenij, ut in pluribus, quia res naturales non currunt semper eodē modo, sed ut frequenter. Ibi postea docet, quod in primis quinque annis peruenit puer ad medietatem totius augmenti, ut Phylos. dicit 1. de Gener. Anim. c. 18. Et ad tertium aduertit, quod quāuis pueri plus habeant de humido, quam proeecti; quia tamē illud est minus inspissatum, citius potest à calore consumi: & idēo frequentiori refectioe indigent.

2 Ratioq; iam est assignata: quia ad augmentū exigitur, non solum restaurare deperditum, sed etiam ad dandū præexistenti additamentū: virtus autē cōuersiua, cū in agēdo repatiatur; non semper potest viuēs augere. Præterea probatur, nam 6. Phys. q. 6. ostendimus virtutia habere terminos intrinsecos magnitudinis: quod falsum esset, si per totam vitam augmentum duraret. Et ideò Phylos. & S. Tho. hic lec. 17. lit. c. dicunt: Non autē semper animal augetur; sed quādiu cibus cōuersus in carnem potest extendi in maiorem quantitatem.

3 Obijcies: nam adueniente noua materia augmenti, virtus ipsa augmentatiua augetur: sed per totam vitam aduenit nutrimentum, & noua materia augmēti: ergo per totā vitā animal augetur. Probaturs maior, sicut se habet calor elementaris ad ignē, ita calor naturalis ad corpus viuētis, vt ex dictis constat: sed calor naturalis crescit quo plura ei apponuntur cōbustibilia: ergo & calor naturalis semper augetur per alimentum cōuersum in substantiam aliti. ¶ Respōdet Arriaga disp. 2. sec. 5. subf. 4. yiuens non eo ipso quod nutriatur, debere naturaliter mori; quia poterit vno alimento recuperare gradum caloris, quem alio alimento amisit. ¶ Sed hoc manifestæ experientia aduersatur; & est contra cōmunem, sine villo solido fundamento.

Et ideò facilius cum cōmuni repondetur negādo maiorē: Ad probationem disparitas assignanda est

ex D. Thoma in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. ad 5. sic dicente: Illud quod ex nutrimento aggeneratur, non ita perfectē consequitur naturam speciei, sicut illud quod primo per virtutem formatiuam in carnem, vel os conuersum est. Tū, quia generatio erat carnis secundum se; secundum autem est carnis in alio, quasi per cōmissionē. Tum etiam, quia quanto virtus animæ magis diffunditur, debilior redditur: vt patet in corde, quod quanto maius est, tanto minus calidum est; vnde animalia habentia magnum cor, sunt timida naturaliter, vt Phylos. in lib. 13. de Animalibus cap. 4. dicit: Et ideò aliquomodo est extraneum; & propter hoc permixtum ei, quod prius erat, est causa debilitatis virtutis; sicut aqua admixta vino, vt ponit exemplum Phylosophus 1. de Generat. tex. 42. & ideò ad vltimum oportet, quod sequatur diminutio, & corruptio. Hæc S. Thomas. Et 2. dist. 19. q. 1. art. 4. & 1. p. q. 97. art. 4. & cum sequuntur Scotus in 3. dist. 16. q. 2. §. Ad quæstionē, & in 2. dist. 19. q. vnica, §. Concedo. Et Petr^o Garcia super Fen. 1. lib. 1. disp. 18. c. 11. Vbi radices peculiare debilitatis caloris naturalis assignant. Alia argumenta soluunt Rubio quæstione 8. & Ioānes a S. Thoma quæstione 8. articulo 4.

4. Certam est secundo, nutrimento durare toto tēpore vitæ. Vnde S. Thomas hic lect. 17. lit. c. ait ex Phylosopho, quod aliquis nutritur quousq; saluatur, id est, quādiu conseruatur in vita: quia semper

semper oportet restitui per nutrimentum, id quod continuè soluitur, idest, id quod diminuitur, oportet nutrirī. Quod nō est sic intelligendū, quod si pro breui tēpo re impediatur nutritio, statim animal pereat: quia sumptio alimenti non est instanti, & alteratio eius etiam indiget tempore, & experimur quod non quodlibet impedimentum virtutis nutritiæ, est immediata causa mortis.

5 Est ergo sensus, quod viuens semper est in indigentia alimenti, propter temperamētum calidum abundans, quod consumit humidum, & quia ex diuersitate alimentī, & alijs dispositionibus subiecti, variatur actio caloris naturalis; ideò etiam variatur nutritio. Et aliquando impeditur, vel infirmitate subiecti, vel defectu caloris; vel resistentia indebiti, & minus proportionati alimenti: vel quia nutrimentum non est debitè applicatum; sicut plantæ in hyeme nō nutriuntur, nec augentur; quia gelu est congelatum nutrimentum, ne possit viuenti applicari.

6 Obijcies: nam plura animalia in magna parte hyemis dormiunt, vt patet in gliribus, camicibus, & alijs: ergo non comedunt: ac per consequens viuunt sine nutrimento. Idem refertur de vrsis, & aliquibus serpentibus. Imò in regionib⁹ frigidissimis Sarmatiæ etiā homines pluribus mēsis sine alimēto viuūt. Quod & de alijs viris, & fœminis refertur.

Respōdetur multos dubitare de omnib⁹ huiusmodi historijs, & eas

vt fabulas contemnere. ¶ Ceterū non ita generaliter hæc omnia rejicienda cēseo, quia à fide dignis referuntur. Præcipuè Fortunius Licetus Medicus Parauin⁹ integrū volumen tribus libris distinctū edidit, hoc titulo prænotatum: *de his, qui sine alimento diu viuere possunt*. Vbi authorib⁹, & historijs antiquis, & recentioribus, probat de facto plures sine alimento plures trāssegisse dies, & menses. Cuius doctrinam refert, & probat N. Episcopus Baptista Lanuza, notitia scripturarum, & nitore eloquentiæ, & virtutum splendore, nostri sæculi re, & nomine Hieronymus, homilia 5. Quæ dragel, §. 8. vbi docet dari homines talis complexionis naturalis, quod naturaliter per plures dies viuere possunt sine alimēto, & absque eo quod fame crucientur. Quamuis addat hoc saepe euenire virtute Dæmonis, vt in casu relato à D. Prospero libro, qui inscribitur: *Dimidium temporis* cap. 6. & diuina virtute sepius, vt contigit Moyse, & Elie, Beatæ Chatarinæ Senensi, B. Colubæ Perusina, & alijs.

7 Adhuc tamē pro casibus argumenti nō est opus adhuc recurrere: nā vt ait M. Ioan. à S. Thoma q. 8. art. 4. animalia illa, licet externum alimentum non recipiant; habent tamē internū aliquē humorē crassiorē, seu pituitā, quæ tēpo re illo à calore naturali cōcoquitur vice alimenti, & ob caloris defectum, lentè, & paulatim illum cōsumūt: vel ob prædictū defectū caloris, ita parū cōsumūt, vt paucissimo indigeant alimento.

8 Tertio videtur certū augmē-
tationem, & nutritionem non ha-
beretalem continuitatem, & regu-
laritatem, quod numquam interrū-
pantur: nec talem, quod tempore
quo durant, si tantum augetur in tā-
to tempore, in medietate eius au-
geatur dimidium, & sic proportio-
naliter: quin potius certum est irre-
gularem motum esse, & quod vno
tempore est dispositio ad augmen-
tum, & postea vel interrumpitur,
vel parum augetur. Ita docēt, & ex
professo probant Philosophus, &
S. Thomas lib. 8. Phylcorū lec. 5.
litt. e. verba S. Thomæ sunt. Dicit
ergo contra hoc Aristoteles, quod
non est possibile continue aliquid
augeri, vel minui; ita scilicet, quod
quantitas aucta diuidatur secundū
tempus, ita quod in qualibet parte
aliquid eius augetur; sed interpo-
nitur medium tempus post augmē-
tum vnius partis, in quo nihil au-
getur, sed fit dispositio ad augmen-
tum sequentis partis. Et hoc mani-
festat per similia: quorum primum
est, quia videmus, quod gutta plu-
uiæ multiplicata cōterit lapidem.
Sed non possumus dicere, quod si
gutta multiplicata tantum fodit,
vel remouet de lapide in tanto tē-
pore, quod medietas guttarū pri-
9 in medio tempore remouerit me-
dietetatem illius quantitatis, &c. Idē
docet S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 6. & 1.
2. 7. 52. art. 3. & lib. 2. Contragētes
cap. 89. Ratioque huius irregula-
ritatis quandoque prouenit defe-
ctu virtutis subiecti, impedimēto,
vel infirmitate eius: quādoque ve-
ro ex indispositione alimenti, vel

ex minus proportionata applica-
tione ad virtutem nutritiuam.

§. II.

Vtrum augmentatio sit cōtinua?

9 **R**emanet ergo dubium, vtrū
Reo tempore quo durant nu-
tritio, & augmentatio sint motus
successiui, & cōtinui? An verò mu-
tationes instantaneæ, quarum suc-
cessio morulis tota interrūpatur?
Et rursus, si successione, & con-
tinuitatem habent; videndum est,
an illis conueniat perse, & ratione
sui? An verò solum per accidens, &
ratione alterius?

10 Afferunt ergo plurimi nutri-
tionem, & augmentationem esse
motus discretos, licet habeant cō-
tinuitatem secundum quid; quia
successionem in suis partibus ha-
bent; per quod differunt à genera-
tione, quæ tota est in instanti. Ita
Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. in sol.
ad arg. contra 9. cōcl. Sonc. 8. Me-
taph. q. 22. & 24. Ferrara 8. Phyl. q.
6. & ibi lauell. Astud. 1. de Gener.
q. 10. & 16. Tribuitur Alber. Mag-
no, & Auerrois 8. Phyl. tex. 23. & te-
nent Niphus q. 6. & 8. Metaph. q.
7. Tolerus q. 11. Hurtado disp. 3.
sect. 3. sub. 2. Arriaga disp. 2. sect.
3. subsect. 1. Pomponatius de Nu-
tritione cap. 19. & 8. Metaph. disp.
7. c. 4. & alij plures.

11 Communior sententia do-
cet nutritionem, & augmentatio-
nem eo tempore, quo durant, esse
motus continuos. Ita Soto 1. Phyl-
sic. quæst. 4. & lib. 6. quæst. 3. lauel-
lus

Ius hic tract. 2. cap. 3. dub. 3. & ita videtur priorem sententiam retrahere. Hanc tenet Bañez cap. 5. q. 2. conclus. 3. probans eam octo rationibus. PP. Carmelit. disp. 6. q. 1. Ioannes à S. Thoma q. 8. art. 4. difficult. 2. Extra Scholam S. Thomę tenent Marsilius hic quęst. 14. Venetus cap. 7. Pereira, & Iandunus, quos citat, & sequitur Rubio q. 3. Conimb. quęst. 16. art. 2. Cabero disputat. 6. dub. 5. & alij frequenter.

12 Non desunt tamen Recentes, qui dicunt nutritionem fieri, tam in instanti, quam in tempore; quia fit ad introductionem vltimę dispositionis in materia alimenti: vltima autem dispositio potest introduci tam in instanti, quam in tēpore, quia eadem virtus est in causa in instanti, ac in tēpore sequēti: ergo nutritio fieri potest tam in instanti, quam in tempore.

13 In fauorem tamen communis sententię, & pro ea exponenda. Dico primo, augmentatio, per se loquendo, est motus cōtinuus. Solet probari ex D. Thoma 3. p. q. 33. art. 1. vbi ait: *Augmentum oportet esse successiuum: tum, quia augmentum non est sine motu locali: tum etiam, quia procedit ex virtute animę iam in corpore formato operantis, quę non operatur nisi in tempore.* Idem docet ad 4. & lib. 1. de Gener. lect. 11. ex quo formatur ratio pro conclusione. Nō potest esse acquisitio maioris quantitatis, quin simul sit acquisitio maioris loci, vt docet Phylosophus in principio capituli 5. & probat S. Thomas illa lect. 11. quia locus cō-

mensuratur locato secūdum magnitudinē; & idēd necesse est, quod quando mutatur magnitudo locati, quod etiam fiat transmutatio secundum locum. Sed acquisitio maioris loci fit motu locali successiuo, & continuo: ergo augmentatio est motus continuus.

14 Secundo probatur; nam Phylosophus, & S. Thomas 5. Physic. lec. 4. lit. c. & alibi sępē dicunt augmentationem esse verum motum: ergo est continuus motus. Probatur consequētia, nam quod intrinsecum est superiori, debet conuenire inferioribus: sed motus in genere includit cōtinuitatem: ergo & augmētatio, quę est species motus. Vnde Phylosophus 5. Physic. text. 34. & 35. eum appellat vnum numero motum, qui non interceditur.

15 Istę tamen rationes, nisi amplius vrgeantur, videntur parum probare. Prima enim solum ostēdit augmentationem esse successiuam ratione alterius motus ipsam cōmitantis; & idēd restat probandum, quod ratione sui habeat cōtinuitatem. Deinde, S. Thomas ibi relatus solum docet augmentationem nō esse rotam in instanti, sed in tempore successiuo; quod Authores primę sententię nō negāt: non tamen affirmat esse cōtinuā: de quo est difficultas.

16 Quare posset responderi cū Ferrara quęst. illa 6. concl. 4. quod motus augmenti est continuus secundum quid, quia non introducitur simul tota quātitas eius, quod augetur, sed vnum minimum post

aliud minimum successiue: & quæ libet instantanea mutatio, quæ est factio minimæ quætitatis, non vocatur à D. Thoma motus augmenti; cum per minimum quantitatis non appareat viuens maius notabiliter. Sed aggregatum ex pluribus huiusmodi instantaneis mutationibus dicitur motus augmenti: & per hoc differt augmentatio ab illuminatione, quæ omnino est instantanea mutatio. Et idè dixit Auerois 3. Phys. cõm. 6. quod motus augmenti componitur ex pluribus moribus, & pluribus quietibus.

17 Secundæ rationi potest respõderi ex dictis q. 17. n. 33. & 34. & vltius addit Ferrara ad 1. & 3. quod sicuti motus est vnus, ita est continuus; si est vnus simpliciter, debet esse continuus simpliciter, si est vnus secundum quid, debet esse continuus secundum quid. Augmentatio autem est secundum quid continua, & secundum quid vna, quia quantitates in diuersis instantibus factæ, vniuntur in eadem parte corporis: & trãsmutationes alimenti videntur quasi continuare vnã instantaneã factionem quantitatis cum alia.

18 Vt hæc præcludantur, & cõclusio efficaciùs probetur, in primis afferendus est S. Tho. 1. de Gener. tex. 84. lect. 24. circa finem, dicens: *Nam motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicet, quantitate, qualitate, & vbi.* Ergo non solum successiõnem, sed etiam continuitatem concedit S. Thomas augmentatiõni.

Deinde radicis intentum ex-

plicatur ex D. Thoma lib. 6. Physicorum lect. 7. in fine dicente: *Patet ergo, quod nõ est accipere aliquod primum in quod mutatum sit in motu locali. Et similiter manifestum est in mutatiõne quantitatis, quæ est augmentum, & decrementum: quia hæc etiam mutatiõ est secundum aliquod continuum, scilicet secundum quantitatem accrescentem, vel subtractam, quæ cum sit in infinitum diuisibilis, non est in ea accipere primum.*

19 Ex quo sic probatur conclusio, primo à paritate motus localis, in quo idè non datur primum mutatum esse, quia cõtinuum spatium est diuisibile in infinitum: sed etiam quantitas acquisibilis per augmentationem, est diuisibilis in infinitum: ergo acquiritur in tempore continuo.

Secundo probatur à priori, ratio ne in simili quoad hoc, iam proposta q. 17. n. 38. forma quæ perse loquendo habet latitudinem successiue percurrendam cum contrarietate, potest terminare motum successiuum, & continuam: sed quantitas maior, quæ est terminus augmentatiõnis, est huiusmodi, vt ostendimus 5. Physic. q. 1. §. 2. ergo perse loquendo motus augmentatiõnis est continuus. Quia hæc ratio loco citato 5. Physic. latius est ponderata argumenta soluendõ; idè nunc ad alia transeundum.

20 Tertio probatur: nam toto aliquo continuo tempore potest materia augmenti esse debite approximata virtuti augmentatiuæ, & absque vllõ impedimento: ergo augmentatio, perse loquendo impedimentis seclusis, est motus conti-

continuus. Antecedens patet experientia: & quia alioquin naturaliter debite, & cōnaturaliter prouidisset virtuti augmentatiuæ de materia augmenti, si toto tempore, quo potest agere, non agit. Cōsequentia probatur, quia agens naturale debite approximatum passio, naturaliter absque interruptione in illud agit.

§. III.

Vtrum nutritio sit continua?

21 **D**ico secūdo, nutritio etiam sit successiuè, & continuè; non perse; sed ratione augmentationis, vel acquisitionis quantitatis, quæ ibi cōcomitatur. Priorem partem negat Mafius à nobis relatus §. Phys. q. 1. n. 21. Sed tota cōclusio est Thomistarum, quos ibi retulimus n. 22. Nec video qualiter priorem partē possit negare, qui primam conclusionem admisserit, quia vel sequetur dari naturaliter substantiam sine quantitate, vel quod augmentatio perse loquēdo non fiat continuè. Id sequi probatur, quia si in instanti aggeneratur pars substantiæ; vel in illo instanti est pars quantitatis? Et tunc iam erit augmentatio in instanti. Vel in illo instanti addita parte substantiæ, reseruat pro tempore sequēti addenda pars quantitatis; & sic iam erit aliqua pars substantiæ sine quātitate: quod naturaliter repugnat substantiæ corporeæ.

22 Specialiter secūda pars probatur ex dictis quæst. 17. §. 3. quia quoad hoc par ratio est de nutritione, ac de alteratione; quia pars

substantiæ seclusa quantitate est indiuisibilis, & inextēsa; & ideo nō habet continuitatem, & successio nem ratione sui; bene tamen ratione quantitatis, & motus ad ipsam. Vnde bene notat M. Bañez hic c. 5. q. 1. ad 2. quod quemadmodum accidentia, quæ per motum ex natura sua producuntur; quando sūt simul cum substantia, in instanti intrinseco incipiunt, quia consequuntur ad substantiam productam; ita corruptio, & generatio, quæ alias instantaneæ sunt, quando perse ordinantur ad esse substantiæ; si tamen ordinantur, & cōmitentur motū successiuū; nō possunt nō successionem, & continuitatem habere.

23 Hincque probatur hæc conclusio simul cum præcedente, duplici via. In primis, quia corruptio formæ alimenti sit cōtinuè, & successiuè; ergo & nutritio, & augmentatio fiunt, non solum successiuè, sed & continuè. Antecedens probatur, quia vltima dispositio corruptiuæ illius formæ, potest continuo motu aduenire: quod experimur in dispositionibus ad corruptionē tabulæ corrūpendæ ad aduētū formæ ignis; siquidē sensu percipim⁹ successiuè cōburi. Prima vero cōsequentia est manifesta, quia dixim⁹ q. 8. n. 4. quod calor consumat⁹ simul introducitur cū forma ignis; introducta autē vna forma, corrūpitur alia: & cū materia non maneat sine forma, aggeneratur cōtinuè noua pars substantiæ, & quātitatis; quia calor naturalis eo modo proportionali agit naturaliter, ac calor elementaris.

24. Deinde, quia nec ad nutritio-
nē, nec ad augmentationē requiri-
tur aliquid fixum, & determinatū,
& in indiuisibili cōsistens: ergo nil
obstabit successioni nutritionis, &
augmentationis, & earum conti-
nuæ durationi, sed potius habebūt
latitudinē successiuē percurrēdā.
Antecedens probatur, quia in nu-
tritione, & augmentatione suppo-
nitur viuens cum quātitate requi-
sita ad propriam consistentiam, &
ad debitas operationes exercen-
das: ex parte verò alimenti quāto
minor pars fuerit, tāto perfectius,
& facilius viuens ager in illam, &
præexistēti aggenerabit: ergo etiā
si generatio sit in instanti, aggene-
ratio, nutritio, & augmentatio fiet
in tempore.

25. Sed obijcies: nam si nutritio
fiat cōtinuē, sequitur quod forma
alimenti desinat per vltimum esse;
& nutritio, & aggeneratio substan-
tialis incipiant per vltimum non
esse: sed vtrūque est falsū, & reie-
ctum 6. Physic. q. 5. quia substantia,
vtpote indibitibilis, perse loquen-
do non incipit, nec desinit succes-
siuorum more: quoad hoc autē ea-
dem procedit ratio de substantia
partiali, ac totali: quia vel sequi-
tur dari duo instantia immediata;
aut pro aliqua duratione dari par-
tem materiæ sine forma: ergo nu-
tritio fit in instanti. Sequela proba-
tur, quia illo modo incipit, & desi-
nit motus successiuus, & cōtinuus,
& ea quæ ad modum ei⁹ incipiūt,
& desinunt.

In hoc argumento diluendo val-
de laborat Rubio, vt patet q. 3. à n.

33. vsque ad 41. Sed meo videri fa-
cile responderat M. Bañez q. 2. ad
3. & 4. & sequitur M. Ioann. à S.
Thoma ad 2. quod non est eadem
ratio de inceptioe, & desitione
substantiæ totalis, vel partialis sūp-
ta in gradu determinato, ac de in-
ceptioe, & desitione aggenera-
tionis, & alimēti: quia non est in-
cōueniens, quod aggeneratio par-
tialis substantiæ incipiat ad modum
motus, & quod alimētum desinat
successiuē: quia quādo forma sub-
stantialis de nouo producitur exis-
git determinatam dispositionem;
secus autem quando solum produ-
citur noua pars substantiæ, quæ cō-
seruatur in toto: quia minus requi-
ritur dispositionis pro forma con-
iuncta toto, quam pro forma de
nouo totaliter introducta: de quo
Phylosoph. 1. Physic. text. 38. Vnde
in forma conceditur sequela. Ad
probationem dicitur, quod perse
loquendo substantia incipit, & de-
sinit in instanti; per accidēs tamen,
& ratione adiunctæ diuisibilitatis
potest latitudinem, extensionem,
& continuitatem habere, & se ac-
cōmodare ad modum motus. Vt
patet in simili, quia dixim⁹ 6. Phy-
sic. q. 5. n. 24. quod forma substan-
tialis, quæ desinit ad generationē
alterius, desinit per primum non
esse, ne dentur duo instātia imme-
diata; vel duæ formæ simul; vel
materia sine omni forma; reco-
lantur etiam, quæ supra
diximus q. 18.

n. 30.

§. III.

Vtrum per accidens augmentatio sit in instanti?

26 **I**nquirendum tamē restat, an in aliquo casu, saltem per accidens, augmentatio, & nutritio possint esse, & de facto sint in instanti?

27 Negatiuam partem videtur supponere omnes Auctores nostrae sententiae relati num. 11. & precipuè videtur probari, quia vt ait S. Tho. relatus num. 13. augmentū nō est sine motu locali: motus autem localis, nec per accidens potest esse in instanti, vt diximus lib. 4. Phys. q. 9. n. 13. & lib. 6. Phys. q. 5. n. 8. & 28. ergo nec per accidens motus augmenti potest esse in instanti. ¶ Secundo, quia motus augmenti distinguitur à mutatione instantanea per continuitatem: ergo non potest esse augmentatio, & esse in instanti.

28 Affirmatiuam partem supponunt Auctores relati num. 10. & videtur sequi ex his, quae in simili diximus q. 17. quod datur alterationes continuæ, & non continuæ: ergo & dari possunt augmentationes continuæ, & non continuæ. Licet sit disparitas, quod alterationi cōuenit continuitas per accidēs, augmentationi verò perse. Sed hoc ad praesens parum refert.

Secundo id videtur colligi ex dictis num. 22. & 25. quod substantia perse competit esse in instanti, & per accidens potest ratione alterius incipere, vel desinere in tem-

pore: ergo pariter augmentationi potest competere vnus modus essendi perse, & alius conuenire per accidens.


29 Tertio, videtur fauere S. Thomas locis relatis nu. 8. & precipuè 2. 2. q. 24. art. 6. dicens: Augmentum autem corporale in animalibus, & plantis, non est motus continuus, ita scilicet, quod si aliquid augetur in tanto tempore, necesse sit, quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, sicut contingit in motu locali. *Sed per aliquod tempus natura operatur disponens, & nihil augens actus; & post modum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantā actus.* Ex quo constat, quod impediri potest virtus augmentatiua, & nutritiua, etiam approximato alimento, quia non est vltimate dispositum ad formam substantialē, & ad quā titatem ipsius viuentis: sed hæc dispositio, licet perse loquendo inducatur continuè; potest tamen subito introduci; vel nimia virtute viuētis; vel propter mininā partē alimēti, quod subito cōuertitur à calore naturali; vel quia successio motuū se habuit dispositiuè, & antecederet; & ideo nutritio, & augmentatio sunt termini extrinseci aliorum motuū. Qua propter mihi probabilius videtur in his casibus nutritionem, & augmentationem consumatiuè sumptas, non esse motus continuos; sed instantaneam mutationem: & quoad hoc concordo cum prima sententia.

30 Ad primum respōdeo, quod

si sumatur augmentum pro omnibus motibus ipsam cōmitantibus numeratis q. 18. n. 9. sic absque dubio habet successiōē, & implicat cōtradictionē esse in instāti. Modo autem nō loquimur in illo sensu, sed pro termino illorum motuum localium, & alterationum; & dicimus, quod ipsa acquisitio partialis substantiæ, & partialis quātitatis potest esse in instāti, vt terminus extrinsec⁹ motus propriè sumpti; sicut de illuminatione, & alterationibus subitis diximus q. 17.

31 Per quæ respondetur ad secūdum, quod sicut dantur alterationes instātanæ mutationes, & aliæ, quæ sunt motus successiui, & continui; & omnes conueniunt in ratione alterationis: ita datur augmentatio, quæ est motus cōtinuus; & augmentatio, quæ est instantanea mutatio, & terminus extrinsecus mot⁹ localis, & alterationum, quib⁹ disponitur materia ad nouā partem substantiæ, & quantitatis, quæ subito aggeneratur, & viuēti adduntur sine motu locali eius. Forte tamen hoc est augmentum, & non motus augmētī, iuxta phrasim S. Tho. verbis relatis. q. 18.

n. 7.



QVAESTIO XXIII.

De rarefactione, & condensatione.

S. I.

Status quæstionis:

1 **O**rdinem huius quæstionis ad præcedentes assignauimus q. 18. n. 4. docuit enim M. Soto libro 5. Physicorum quæstione 1. ad 7. quod rarefactio comprehenditur sub motu augmētationis, quia est mot⁹ a minori ad maiore quantitatē extensionem; & ideo ad cōpletam notitiā augmētationis habendam, de rarefactione est disputandum.

2 Sed obieciēs S. Thomam lib. 1. de Generat. lec. 14. litt. c. in fine expresse docere, quod si aer rarefiat, vel condensetur, dicendum est quod talis transmutatio non potest proprie dici augmentum, sed alteratio; sit enim secundum transmutationem passibilem qualitati, scilicet rari, & densi, & c. Et 4. Phys. lec. 14. lit. K. ait S. Thomas, quod rarefactio, & condensatio pertinet ad motum alterationis. Respondetur hoc verissimum esse, vt dicenda monstrabunt; quia non additur materia, nec quātitas, sed qualitas in rarefactione. Caterum M. Soto illo libro 5. q. 2. ad primū distinguit duplicem augmentatiōē aliam propriè dictam, vt augentur viuētia; aliam improprie dictā, vt est rarefactio. Quia igitur hucusque egimus de aug-

menta-

mētatione propriè dicta, sequitur vt dicamus de augmentatione impropriè dicta, quæ est rarefactio, propter proportionem, & similitudinem illius cum augmentatione propriè dicta; quæ est tanta, vt multi arbitrati sint esse augmentationem; & ideo vt hoc discernatur, hoc loco de rarefactione tractandum cum communi Doctorum.

3. Vt disputatio procedat, duo supponenda sunt. In primis, quod vt sumitur ex Philosopho 4. Physicorum textu 84. libro 3. de Cælo textu 10. & D. Thoma ibi lec. 3. litt. g. & alijs locis citandis, *rarum est illud, quod sub magnis dimensionibus parum continet materia. Densum verò quod sub parvis dimensionibus multum continet materia.* Quæ definitiones ex dicendis in tota quæstione lucè accipient. Dari autem rarum, & densum continua experientia est manifestum; oculis enim conspiciamus aquam condensari, & rare fieri; & pariter aerem, & alia huiusmodi. Sed difficultas est in exponendo modo quo id contingat.

4. Secundo videtur certum, quod præcise ratione rarefactionis, & condensationis, non augetur, nec minuitur substantia, & materia rei, quæ rarefit, vel condensatur; quia ignis dum rarefacit ceram, materiam ceræ non auget: & quia cum raritas, & densitas contrariantur; contraria autem nata sim fieri circa idem; materia autem per hoc quod est sub vno contrario, & postea sub alio, non est alia, & alia, sed eadem numero; ideo eadem numero est materia

magni, & parui, rari, & densi, vt docent Philosophus, & Sanctus Thomas 4. Physic. lec. 14. litt. h. & deinceps: & ideo lit. K. concludunt: Vnde, & magnitudo, & paruitas sensibilis corporis non extenditur, vel ampliatur in rarefactione, & cōdensatione per hoc quod materia aliquid superadditum accipiat; sed quia materia, quæ prius erat in potētia ad magnum, & paruum, transmutatur de vno in alterum. Et ideo rarum, & densum non fit per additionem partium subintrantium, vel per subtractionem earundem; sed per hoc quod vna est materia rari, & densi. Hæc ibi.

5. Quia tamen non facile percipitur, qualiter eadem materia numero occupare possit modo maius spatium, & postea minus, nulla additione sibi facta; quia vel partes ad inuicem penetrabuntur; vel eadem erunt simul in duplici spatio; vel locus naturaliter non adæquabitur locato: quæ omnia impossibilia sunt naturaliter, vt in libro quarto Physicorum est demonstratum. Ideo valde cruciantur multorum ingenia, vt hoc explanare possint; & in plures diuiduntur opinionones, quas vt examinemus prius fideliter referemus.



§. II.

Opiniones Doctorum.

6 **A**ntiquissima in hoc pūcto opinio fuit Democriti; quia tamē sunt qui gratis dubitent opinionem de vacuitatibus fuisse alicuius Authoris, placet eam referre verbis ipsis Phylosophi, & S. Thomæ: nā 4. *Phyfic. lectione 14.* in principio ait S. Thomas. Dicit ergo (Phylosophus) quod quidā Phylosophi fuerunt, qui opinati sunt, quod vacuum sit in corporibus, accipientes rationem ex raro, & denso: *videbatur enim eis, quod rarefactio, & condensatio fieret propter vacuum intrinsecum corporibus.* Et postea lit. b. ait S. Thomas, quod illi qui dicunt vacuum esse in corporibus, dupliciter possunt hoc intelligere: vno modo quod in quolibet corpore sint multa quasi foramina vacua, quæ sint separata secundū situm ab alijs partibus plenis; sicut est videre in spōgia, vel in punice, vel in aliquo alio huiusmodi. Alio modo, quod vacuum non sit separatum secundum situm ab alijs partibus corporis; vt pote, si dicamus, quod dimensiones, quas dicebant esse vacuum, subintrēt omnes partes corporis.

7 Affinis præcedēti est opinio Okami Opusculo de Eucharistia, & Gabrielis in Canonem lec. 45. *Vallij. 4. Physicorum textu 84. & Controu. 27. ad Tyrones, & Arriaga disp. 26 Physicæ sec. 10. subsec. 2. vsque ad 5. & aliorum Recentiorum dicentium rarefactionem fie-*

ri per intromissionem corpusculorum in partibus intimis corporis cum separatione locali continui: & condensationē consistere in negatione intromissionis horum corpusculorum, seu in expulsionem ipsorum, cum partiū continui coniunctione. Probant hanc sententiā aliorum impugnatione, & quia clarissimè satisfacit difficultatibus alioquin in superabilibus.

8 Prædicta sētētia vt cōmētū *Nominaliū* reijcitur à quodā Neoterico Societatis. Et ipse recurrit ad sententiā de punctis inflatis: quæ *paradoxa* vocatur ab Hurtado, & *ridicula* dicitur à Masio locis relatis 6. *Phyfic. q. 1. n. 34. & Arriaga sec. 9. subsec. 1. dicit, quod omnes Recentiores vt improbabile illā omiserūt: & tamē adeo inuix viæ se alij commiserunt: quia sine tumefactione, & inflatione punctōrū rarefactionē explicare non valuerunt. Probātque, quia si totum occupat duplo maius spatiū, quodlibet punctū debet duo occupare spatia, & quodlibet punctum correspondere duplici puncto: sicut animæ animalium perfectorum, quæ sūt corporeæ, cum sint indiuisibiles, vt diximus q. 21. necessario sunt præsentēs secundum se totas per replicatas præsentias singulis partibus materiæ: ergo licet puncta, & partes quantitates sint corporeæ, poterunt singulæ pluribus partibus spatijs simul respondere.*

9 Veniamus ad sententias inter Doctores clasicos magis receptas. Quidam vt ab his difficultatibus se expediant, dicit in rarefactione
pro

produci nouā quantitatem. Quod dupliciter sustinetur: nam quidam asserunt totam precedentem quantitatem corrumpi, & loco eius aliam maiorem de nouo generari. Ita Gorfredus de fontibus Quod lib. 1. q. 3. & Marsilius 1. de Gerner. q. 15. & Hispalensis in 2. dist. 18. q. 2. Imo refertur, sine nomine Authoris, sententia asserens in rarefactione nouam acquiri quantitatem; sed tamē sine amissione precedentis.

10 Scotus in 4. dist. 12. q. 4. §. *quā tum ad istam*, docet oportere ab omnibus concedi aliquam quantitatis partem nouiter aduenire: alioquin non esset nūc maior quam prius. Idem sequitur Toletus 4. Physic. q. 11. circa finem. Et Buridanus 4. Physicor. textu 84. addit, quod istæ duæ quantitates sunt simul penetratiue; quod non est inconueniens, quia illæ dimensiones faciunt subiectum extensius; esset autem, si subiectum non esset extensius.

11 Ex Thomistis huic sententiæ videntur fauere Caietanus. 3. p. q. 77. ar. 5. §. *circa prædicta*, vbi docet, quod noua quantitatis pars per rarefactionē fit, quod, & dicit ibi §. *Ad secundam vero*. M. Soto 4. Physicorum exponens textū 84. ait, raram fit magis raram per hoc quod idem subiectum acquirat maiorem quantitatem; non quæ venit ab extrinseco, sed quæ educitur de potentia sui subiecti. Et fauet lib. 5. quæst. 1. ad 7. Cæterum ibi quæst. 2. ad 1. ait, cum cera rarefit, nec substantia acquiratur, nec noua quā

titas; sed prior quantitas extenditur; & sic solum acquiritur noua extensio. Tamet si alij probabiliter dicant, quod acquiritur noua quantitas. Ita ille. Eodem modo problematicè procedit Ferraralib. 4. Contragentes capite 65. in fine.

12 Cæterum in rarefactione nō acquiri nouam quantitatem, nec nouam quantitatis partem; sed perfecte terminari ad qualitatem, & inde consequi nouam terminationem quantitatis in ordine ad locum maiorem, vel minorem occupandū, docent Capreolus in 2. dist. 18. q. 1. conc. 4. & in sol. arg. & dist. 19. q. 1. ad arg. Durandi cōtra 2. & in 4. dist. 12. Sōcinus 8. Metaphis. q. 4. & q. 27. art. 2. Bañez. 1. de Gerner. cap. 5. q. 12. Ioan. à S. Th. q. 7. ar. 1. PP. Carm. disp. 7. q. 2. & cōmuniter Thomistæ, à quibus nec relati n. 11. dissentiūt. Tum, quia loquitur de maiori parte extensionis in ordine ad locum, & non de noua quantitate entitatiue. Vnde Caietanus 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. expresse ait, quod in rarefactione quæritas fit maior extensius; non per additionē quæritas ad quantitatem, ut contingit in motu augmenti; sed per maiorem extensionem precedentis quantitatis. Aliam vero opinionem admittunt, quia non erat locus de ea disputandi, & adhuc ex suppositione illius, poterant satisfacere difficultati, de qua disputabāt. Et ideo M. Soto ait. *Sed utrumlibet dicatur, nil refert ad solutionem præsentis argumētī. Si milia legi possunt in Ferrarā, qui tãdem docet hanc opinionem esse veram, & Sancti Thomæ.*

Eandem sequuntur Ariminensis in 2. dist. 12. q. 2. art. 1. concl. 1. Durandus in 1. dist. 17. q. 7. n. 22. & in 2. dist. 18. q. 1. n. 8. & Suarez to. 3. in 3. p. disp. 56. sec. 3. & in præsentis Cõimb. Rubio, Hurtado, Cabello, & communiter Authores. Pro qua exponenda sententia.

§. III.

Reijciuntur tres primæ sententia.

13 **D**ico primo, rarefactio non fit per vacuitates intrinsiccas corporibus; nec per intromissionem corpusculorum in partibus intimis corporis. Prior pars constat ex dictis 4. Phys. q. 8. quod non potest dari vacuum in natura.

14 Secunda verò ex D. Tho. 4. Phys. lec. 14. lit. i. ubi ex Philosopho, ait: *Non ergo condensatio fit per hoc, quod aliqua alia partes subintrando adueniant; vel rarefactio per hoc quod partes inherentes extrahantur, &c.* Et probatur primo, quia aer, & ignis sunt corpora rarissima; & tamen nõ habent poros intra quos intromittantur corpuscula, vt ad sensũ patet: ergo rarefactio non cõsistit in intromissione corpusculorum. Minor adhuc probatur, quia ignis aliud corpusculum consumeret, & aer non habet aliud corpus subtilius, nisi ignis, qui non est diffusus per totum aerem.

Respondet Arriaga n. 224. in aere misceri atomos, exalationes terreas, & vapores. In igne aerem, & vapores; qui non statim cõuertun-

tur in ignem, quia habent qualitates quibus resistat: ideoque ignis semper habet intra se plurima corpuscula, ratione quorum est rarus; esset autem densus, si omnino illis careret.

Alij dicunt non esse idem corpus esse subtile, & esse rarum; subtile enim est quod parum diuisioni resistit: vnde aer, si purus sit, est nimis subtilis, & nihil raritatis habet: idẽ dicturi de igne.

15 Vtraque euasio præcluditur ex D. Tho. in 2. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 4. dicente: *In qualibet specie oportet esse terminum quẽdam rarefactionis, ultra quem species non saluatur. Vnde vltima raritas, ad quam potest perueniri, est secundũ quod materia stat sub forma ignis, vt dicit Cõmentator in 4. Physicorum com. 70. Vnde posset aqua tantũ rareferi, quod iam nõ esset aqua, vel vapor, sed aer, vel ignis. Præterea, cum ignis sit maximè actiuus, non posset perire in sine regionem ignis vapor ille, &c.* Ergo ponere ignem, & non esse rarum, est contra D. Thomam. Imò cõtra communem omnium conceptionem, & solum negatur vt hæc Nominalium positio pallietur. Deinde, cum ignis sit maximè actiuus, post aliquatulum temporis potest omnia illa corpuscula cõsumere; & tamen non minus rarus; imò rarior ad sensum apparet, quam ante quam illa consumeret: ergo raritas ignis non consistit in corpusculis intromissis.

16 Tertio, atomi, exalationes, & vapores realiter distinguuntur ab aere; & aer realiter differt ab igne: ergo possunt ad inuicem separari:

rari: sic autem separatis, cōuenit vtrisque recepta definitio rari, vel densi: ergo in aliquo alio consistit rarefactio. Quarto, aer, & ignis in propria regione elementari non admiscunt corpora extranea; & tamen non amittunt raritatē. Rursus, aer poros non habet, quia fluēdo destruerentur; & aliquid subtilius aere non est, nisi ignis, qui ex natura sua ascendit, & non descendit ad vacuitates aeris: ergo in his corporibus raritas non consistit in intromissione corpusculorum. Vnde Petrus Garcia super Fen. 1. disp. 4. c. 7. docet nullā esse necessitatem, neque naturalem causam, quæ dari poros in quolibet elemēto persuadeat.

17 Secundo principaliter probatur conclusio, quia adhuc quando corpus rarum habet poros, in quorum cavitates ingrediuntur corpuscula, non in hoc consistit rarefactio: ergo sententiā hęc diuertit ad extranea, quæ sunt per accidēs ad intētum. Probatur antecedēs: nam prius est corpus rarefieri, quā talia ingredi corpuscula; nam idēo ingrediuntur, quia inueniūt vacuitates, seu poros, in quos ingredi poliunt; & idēo si ingressus impeditur, iam erat in corpore raritas. Deinde, si vnum tantum corpus esset in mundo, in illo esset, vel raritas, vel densitas, quia illi conueniret definitio rari, & densi à Philosophis assignata; & tamen nō essent corpuscula, quæ ingrederentur. Rursus, corpora Beatorū. v. g. corpus Christi, & eius SS. Matr. s nunc in cælo habent raritatem, &

densitatem; siquidē sunt corpora organica constantia oīsibus, & carne; & constat carnem esse raram, & habere plures poros, quam ossa: & tamen adhuc si sint in vacuo supra omnes cælos (vt ex D. Tho. diximus esse corpus Christi 4. Phys. q. 9. n. 7.) hanc raritatem, & densitatem retinent.

18 Mitto alia multa argumēta, quæ congerit, & vrget Hurtado; vt quod sequetur processus in infinitum; siquidem illa ipsa corpuscula possunt rarefieri, &c. & alia sumpta ab experiētijs, quia vas (etiam si sit æneum) si sit aqua plēnū, & bene obturatum, rumpitur cum aqua congelatur, ne detur vacuum: quod non eueniret, si aqua cōtineret illa corpuscula: siquidē illis repleretur spatium ab aqua cōgelata relictum. Rursus vrget alij: nam si spongia, vel lana manu comprimantur, intromittuntur, & egrediuntur corpuscula: & tamen sine noua rarefactione, aut condensatione: ergo in hoc non consistit rarefactio. Scio multa ad hęc euadenda esse excogitata; sed non iudico sententiā dignam, quod in ea confutanda tot chartæ consumantur; præcipuē cum leuissimis fundamentis nitatur.

19 Arguit Arriaga. Primo, impugnatione aliarum opinionū. Secūdo, quia ex cōmuni saltē apprehensione condensatio videtur dicere maiorem partium vnionem. Tertio, dicit apertē probari euidēti experientia; quādo aqua calore bullit, habet quasdam bullas intus aere plenas: ergo raritas aquæ fit

per intromissionem aeris in aquā. Quarto, caro humana est rara propter poros; & ratione pororū diximus q. 20. n. 14. viuentia augeri. Quinto, hinc clarescit cur calor rarefaciat, & frigus comprimat; quia calor se iungit inter se partes, & inde dat locū vt intret aer, vel atomi: frigus verò magis vnit.

20 Hæc tamen diluere facillimū est. Ad primum patebit ex nostræ sententiæ expositione. Ad secundum nego antecedens, quod non solū cōmunis conceptio nō approbat: imò adhuc, qui eius sequuntur sententiam, negant: quia locali approximatione, vel distantia, etiam sine maiore vnione, potest esse rarefactio.

21 Ad tertium quidam dicunt illas bullas non fieri ex aere, sed ex partibus aquæ subtilioribus, quæ præ nimio calore sursum exhalāt: & idcō potius pellunt aerem, quā ad se trahant. ¶ Aliter benè respōdet Cabero, transeat tota illa experientia; ex qua solum infertur in poris corporis rarefacti aerem ingredi; non verò in hoc consistere rarefactionem: siquidem prius est corpus rarefieri, quam aerē ingredi in poros.

22 Ad alia duo argumenta admittimus aliquando dari in rarefactis poros: sed tamen id non semper contingit; & campori dantur, in eis non cōtingit rarefactio. Imò ex vltima experientia posset comprobari, quod rarefactio est per qualitatem causatam ex primis qualitibus, vt postea latius dicemus; siquidem ex frigore, vel calore cōsequitur,

23 Dico secundo, rarefactio nō fit penetratione, nec inflatione pūctorum. Prima pars patet, quia impenetrabilitas est de ratione quantitatis, & terminorum eius, iuxta dicta lib. 2. Log. q. 13. & 14. nu. 15. & lib. 4. Phys. q. 6.

24 Secunda item pars est cōprobata 6. Phys. q. 1. n. 34. & 35. Nunc addendum argumentum ad homines; quia isti, contra quos disputamus, negant intensiōem posse fieri per maiorem radicationem in subiecto; eo quod non potest esse subiectum magis calidum, nisi addatur noua pars caloris: ergo nec quantitas poterit extendi in rarefactione per solam tumefactionē partium, vel punctorum sine additione quantitatis, vel qualitatis. Probatur consequentia; nam sicut se habet qualitas ad intensiōem, se habet quantitas ad extensiōem: ergo si concipiunt inflationem pūctorum sufficere ad habendas maiores dimēsiōes, etiam virtualis terminatio sufficit ad intensiōem qualitatis. Videatur Caiet. 2. 2. q. 24. ar. 4. & 5. nam hæc ratio etiam simpliciter est efficax; & ea vltimus q. 15. & 16. n. 29. & hic n. 35.

25 Argumentum obiectū n. 8. laborat in æquiuioco; quia nescit discernere inter indiuisibilitatem substantiæ, quæ est indiuisibilitas genere differens à quantitate, & situ; & indiuisibilitatem puncti, quod est indiuisibile habens sitū: & idcō nec potest nisi puncto correspondere: & contradictionem implicat pūcta inflari.

§. III.

*Non acquiritur noua quantitas;
bene tamen noua qualitas.*

26 **D**ico tertio, in rarefactione non acquiritur noua quantitas totalis, nec partialis Sumitur ex D. Thom. 4. Phis. lec. 14. litt. l. dicente: *Et sic patet, quod raram, & densum diuersificant qualitates, & non quantitates.* Idem indicat 1. de Gen. lec. 14. lit. c. in fine. Et 1. 2. q. 52. ar. 2. ad 1. ait, quod in magnitudine corporali est augmētum *absque omni additione, sicut est in his, quæ rarefiūt, ut dicitur in 4. Phis.* Cum ergo non neget ibi addi qualitatem, vt postea diceretur, negat omnē additionem substantiæ, & quantitatis totalis, & partialis: hanc enim vim habet illa distributio vniuersalis: *absque omni additione.*

27 Prior pars probatur primo, quia si in rarefactione destrueretur tota quantitas præexistens, destrueretur etiam ipsa substātia: sed hoc ad sensum apparet esse falsum; nā ad sensum apparet esse densa, vel ce-tera; modo apparet densa, & modo rara: ergo in rarefactione tota quā-
titas non destruitur. Maior probatur, quia vt docet S. Thomas 3. p. q. 77. art. 2. & communiter admittunt Philosophi, quantitas est primum accidens, & prima dispositio rei corporalis, media qua omnia alia conueniunt, & inhaerent: ergo quantitate destructa, naturaliter omnia accidentia destruantur. Cum igitur naturaliter non possit substantia conseruari sine accidentibus, nec potest eadem substantia

permanere, non manente eadem quantitate.

28 Secūdo, sequitur corpus Christi, vel sanguinem desinere esse sub Sacramento per hoc præcisè, quod vinum congeletur, vel rarefiat: quod est contra communē Theologorum. Et id sequi videtur certum, quia non manente quantitate, quæ est subiectum reliquorum accidentium, illa non manent: nō manentibus autem accidētibus panis, & vini; corpus Christi non manet sub Sacramento.

Tertio, ignis est rarior aere; & tamen generari potest in eadē materia aeris; vt patet cum totus aer inflamatur, & ardet: ergo vnum corpus potest esse rarius, quam aliud, quia mutet quantitatem: ergo frustra excogitatur quantitatem mutari eū corpus rarefit, vel cōdē satur. Præterquā quod non adest causa corruptiua illius quātitatis.

29 Secunda pars probatur in primis, quia ex opposito sequitur rarefactionem non distingui ab augmentatione, quæ terminatur ad augmentum quantitatis. Id tamē est apertè falsum, cum experiamur per causas nō valentes augere corpora, ea rarefieri; vel condensari à non valentibus ea diminuere.

30 Vtriusque partis ratio communis, cui hæcenus nō video satisfactū, est: quia si adueniret noua quā-
titas, vel reciperetur vbi erat quā-
titas præexistens: & sic duæ quantitates penetrarentur: & erunt naturaliter duo accidentia solo numero distincta in eadē parte subiecti: quod sæpè reiecitimus q. 15. nu. 30.

vel reciperetur in parte materia, quæ antea erat sine quantitate: & hoc magis repugnat, quia materia nunquam est sine quantitate, à qua extenditur, diuiditur in partes, & fit capax loci corporei, & aliarum sensibilium qualitatum.

31 Dico quarto, rarefactio est alteratio per se terminata ad qualitatem tertiæ speciei. Sumitur ex Philosopho. 7. Phys. tex. 11. & 2. de Partibus Animalium cap. 1. & S. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. ad 3. ait: *Rarum, & densum sunt quedam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus.* Idem docet in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. & lib. 1. de Gener. lec. 14. lit. c. in fine ait: Dicendum est, quod talis transmutatio (nempe, si aer rarefiat, vel condensetur) non potest propriè dici augmentum, sed alteratio; sit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet rari, & densi; variatio autem qualitatis, vel quantitatis se habet ex consequenti: sicut ex motu, qui est secundum locum, variatur motus secundum dextrum, vel sinistrum; non tamen dicitur motus secundum situm, quia variatio situs consequenter se habet ad rationem loci. Hæc ibi.

32 Sed obijcies S. Augustinum, qui to. 1. lib. de Decem Categorijs cap. 12. rarum, & densum ponit in quarta specie qualitatis, ita differens: *Lenitudo quoque, & asperitas, & raritas, ac densitas, e quibus rarum, densum, leue, & asperum designamus, qualitatibus quidem numero sociantur; sed habent alteram interpretationem sui: siquidē*

densum coarctationem nimiam coniunctarum partium videtur ostendere; rarum contra, in quo intervallis frequentibus laxior partium videtur esse coniunctio. Ergo istæ qualitates pertinent ad quartam speciem, & significat varias situationem partium.

Imò Philosophus in Prædicatione Qualitatis, ait: *Rarum verò, & spissum, asperum, & leue putabuntur quidem quale quid significare; sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quæ circa quale est.* Et S. Thom. hoc lib. 2. de Gen. lec. 2. lit. d. ait: *Rarum autem, & densum, ut in 4. Phys. dicitur, non sunt partes physice; sed positio partium materia, secundum propinquum in densis, & secundum remotum in raros.* Non ergo rarefactio, & condensatio significant motus ad qualitates tertiæ speciei.

33 Respondetur omnes istas authoritates facillè exponi ex verbis relatis S. Thom. illa lect. 14. distinguendo terminum primarium, & secundarium; & attendendo voces esse æquiuocas, & quandoque denotare significatum directum, & quandoque sumi pro eo, quod importatur in obliquo. Licet ergo rarefactio formaliter sit alteratio ad qualitatem tertiæ speciei, ut tam sæpè docent Philosophus, & S. Thomas: tamen ex consequenti variantur partes localiter, & situationaliter; & quandoque habent poros, & varietatem in sua coniunctione, vel terminatione: & ideo ad hoc significandum non nunquam voces solent induci: sicut *ly sinus*, & *ly habitus* plures habet acceptiones, ut diximus lib. 2. Iog. q. 29.

Igitur rarū, & densum perse primo significant qualitates tertix speciei; sed secundario significant raritatem situalem, & extrinsecā. Et de ista exponendus videtur S. Tho. lib. 2. de Gen. lec. 7. litt. c. dicens: *Rarum, & densum non addunt se per partes materia qualitatem, quæ essentialiter sit qualitas; sed potius sit in partibus materia ad distensionem per maiore & minorem quantitatem.*

34 Ratio conclusionis prima sumitur ex eo quod istæ qualitates perse tactu discernuntur, licet asperum, & lene: ergo sunt passibiles qualitates. ¶ Secundo, quia habent contrarietatem inter se, & omnes conditiones requisitas ad motum propriè dictum: & tamen perse primo non determinantur ad augmentationem; nec ad motum localem; quia corpus Christi in Eucharistia sine presentia locali habet internam raritatem, & densitatem. Et duo corpora se excedentia in raritate, & densitate, possunt esse æqualia in extensione in ordine ad locum: ergo perse primo terminantur ad qualitatem. Præterea, aqua calida citius, & fortius congelatur, vt experientia est comperitum, & docet S. Thom. 1. 2. q. 37. art. 1. ad 2. & q. 48. ar. 2. *Quasi frigiditate vehementius in calidum agente: ex quo consequitur congelatio. Quod non esset, nisi congelatio esset alteratio ad qualitatem terminata.*

35 Denique S. Thom. relatus q. 15. & 16. sæpè comparat rarefactionem intensionem qualitatis: ergo sicut ibi per nouam terminationem quantitatis virtualis, qualitas intē-

ditur, ita hic quantitas extenditur, & rarefit; quia ipsa qualitas adueniens est causa vt partes situ aliter disponantur, vt possint paruæ dimensiones continere multum de materia in condensatione; & è contra in rarefactione parum materia sub magnis dimensionibus.

§. V.

Soluuntur argumenta.

36 Sed hinc argui potest contra tertiam conclusionem; primo, quia vt diximus. n. 3. rarū est, quod sub magnis dimensionibus parum continet materia; & densum, quod sub paruis dimensionibus multum continet materia: ergo cum idē corpus ex raro fit densum, aut ex densum fit rarū, mutatur in toto, vel in parte eius quantitas. Antecedens est certū, cum contineat definitiones receptas rari, & densi. Consequētia verò probatur, quia vt diximus 1. Phys. q. 7. n. 35. ex D. Tho. dimensiones sunt accidētia de genere quantitatatis: ergo si dimensiones variantur, etiā quantitas variatur, vel in totum, vel in parte. Et deinde, in rarefactione est maior extensio quantitatis in ordine ad locum: sed ista prouenit, vt effectus secundarius extensionis in ordine ad se, qui est proprius, & primarius quantitatis effectus formalis, vt diximus lib. 2. Log. q. 14. ergo aduenit noua pars quantitatatis.

Quod totum videtur docere S. Th. 4. Physic. lect. 14. lit. i. docens, quod rarefactio fit per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem;

*ut sic rareferi nihil aliud sit, quam materiam recipere maiores dimensiones per re-
ductionem de potentia in actum; condensari
autem è contrario: idè dicit 1. p. q. 92.
art. 3.*

Dices, in definitione fieri mentionem dimensionum pro quantitate in ordine ad locum; non verò pro noua quantitate in ordine ad se.

Sed cõtra, primo vrget argumẽtũ factum; quia extensio in ordine ad locum est effectus secundarius: qui non potest augeri, non aucto effectũ formali primario: & ideo eadem quantitas nequit esse in duplici loco modo circumscriptiuo.

Secundo, in corpore Christi sub Sacramento Eucharistiæ datur dẽsitas ossium; & tamen non est ibi extensum in ordine ad locum, vt cum D. Tho. 3. p. q. 76. artic. 5. docent Theologi: ergo raritas, & dẽsitas in aliquo alio, quam in extensione in ordine ad locum, cõsistit.

37 Iterũ dices, quod licet in rarefactione non sit maior quantitas quoad entitatem; est tamẽ maior quoad explicationem: qua explicatione posita, quantitas præexistens occupat maiorem locum: & totum hoc in definitionibus explicatur.

Sed ne hæc solutio videtur satisfacere; primo, quia explicatio quantitatis est de genere quantitatis, sicut explicatio qualitatis est de genere qualitatis: ergo non fiet rarefactio per additionem qualitatis, sed per additionem quãtitatis.

Deinde, quia vt ostẽdimus q. 14. §. 3. quantitas est incapax suscipiẽ-

di magis, & minus; sed diuersa terminatio sufficit ad intensionem, & vt qualitas suscipiat magis, & minus, vt diximus q. 16. §. 4. ergo rarefactio quantitatis non consistit in diuersa eius terminatione.

38 Respondetur, quod ratione qualitatis partes sic dilatantur, vel cõprimuntur, vt eis debeat maior, vel minor locus: & quia hoc est notius quoad nos, quam qualitas, quæ perse primo acquiritur per rarefactionem; ideo per secundario significata, vel connotatiuè importata, datur definitio: vnde Capreolus in 2. dist. 19. q. 1. ad arg. contra 2. ait, quod definitur rarefactio per maiores dimensiones tãquam causa per effectum notiorẽ quoad nos, & naturaliter inseparabilẽ. Et sic in illa, impliciter saltẽ, proponitur prædicta qualitas. In forma negatur vtraque consequentia primæ probationis. Ad secundã dicitur, quod ab eadem quantitate nõ variata ratione diuersæ qualitatis, vel alicuius æquivalentis; non posset prouenire diuersus effectus secundarius; secus verò si varietur situatio, & terminatio, & figura quãtitatis ratione qualitatis, vt in hoc casu contingit. Et de hac variatione loqui S. Tho. illa lec. 14. lit. i. patet, quia ibi litt. l. ait: *Et sic patet, quod rarum, & densum diuersificat qualitates, & non quantitates.* Et sic intelligendus 1. p. q. 92. art. 3. & q. 19. ar. 1. Vtramque ergo solutionem in argumentum relaram, in sensu prædicto intellectam, accipiamus.

39 Ad primam improbationem patet

patet ex dictis. Ad secundam dicitur, quod rarefactio, & condensatio non consistit in ipsa actuali occupatione loci; sed in tali proxima dispositione, quod maiore locum, vel minorem eadem quantitas, & materia possit occupare: quod reperitur in corpore Christi sub Sacramento; cum ibi totam retineat quantitatem, & intrinsecas qualitates.

40 Ad primam impugnationem secundæ solutionis dicitur, quod qualitas est causa quod quantitas explicetur, vel cōplicetur: & idè quāuis perse primo rarefactio causet aliquid de genere qualitatis; tamen secundario causat diuersam terminationē, quæ est effectus quātitatis, sic, vel sic situatæ.

41 Ad secundam probationem Capreolus in 2. dist. 18. q. 1. concl. 4. docet quantitatem esse capacē intensionis, quia dicit S. Tho. 1. 2. q. 52. art. 2. ad 1. quod in magnitudine corporali potest esse augmentum per solam intensionem absque omni additione, sicut in his, quæ rarefiunt, ut dicitur in 4. Physic. Idem dicit 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. Ex quo infert Capr. in solutione ad argumenta Scoti contra quartam, quantitatem effici maiorem per solam intensionē, per hoc quod perfectius actuatur subiectū, quia dat perfectius esse quā prius; & sic non est ibi noua forma, sed nouum esse, sicut in intensione aliarum formarū; & sic quātitas est terminus à quo, & ad quē; tamen sub alio, & alio esse.

42 Doctrinam hanc, quantum ad hoc, quod in intensione existen-

tia accidentis varietur, reiecit supra q. 16. Quantum verò ad hoc quod ponit rarefactionē fieri per intensionem, communiter reijcitur a Thomistis, nempe Caietano 2. 2. q. 24. art. 5. Soncinato 8. Metaphis. q. 27. Soto, quem citat, & sequitur Bañez hic c. 5. q. 12. concl. 5. Tum, quia quantitas est intensio nis incapax. Tum, quia aliud est extendi accidens; aliud verò intēdi. Denique, quia aer rarior, nō est magis quantus, quam aer densus.

43 Ad auctoritatem S. Thomæ, Soto, & Bañez dicunt, quod forsam locis citatis non est legendū, *intensionis*; sed *extensionis*. Sed quia in omnibus codicibus, nō in vno, sed in pluribus locis *intensionis* legitur; idè alia merito desideratur expositio. ¶ Facile n exhibent Caietanus, & Sōcinas, & alij, quod S. Thomas non vult affirmare rarefactionem esse intensionem; sed quod illi assimilatur, in hoc quod sicut intensio fit absque additione qualitatis, sola præexistenti noua addita terminatione; ita rarefactio fit absque additione quantitatis: qualitate enim superueniente non additur noua quantitas, sed præexistentis terminatio. Præterquam quod iam diximus q. 13. n. 16. quod etiam extensio qualitatum solet dici intensio paulo latius vocabulo sumpto: quo sensu forsam accipitur à D. Thoma locis citatis: & in hoc sensu sicut qualitas quoad extensionem admittit latitudinem; ita & quantitas; licet nō quoad intensionem rigurose sumptam.

44 Præterea principaliter arguitur: nam aqua rarefacta occupat maiorem locum, quam eadem condensata: ergo per rarefactionem acquirit maiorem quantitatem. Antecedens patet experientia, & est à nobis concessum. Consequentia verò probatur, quia nō potest eadem quantitas maiorem locum occupare, nisi illæ partes, quæ correspōdebāt partibus v.g. dimidij vasis, postea respondeant partibus totius: sed hæc correspondentia esse nequit non additis partibus quantitatis: ergo additur in rarefactione noua quātitas. Probatur minor: indiuisibilia quātitatis corporis locati, non possūt correspondere nisi indiuisibilibus loci, quia indiuisibile latitudinæ carens, non potest correspondere adæquatè, nisi indiuisibili, & non parti extensæ: ergo sunt plura indiuisibilia, quam erant antea: ergo est maior quantitas. Probatur consequentia, quia additis indiuisibilibus, adduntur partes.

45 Respondent PP. Conimbric. cap. 5. q. 17. art. 4. tot indiuisibilia inueniri in quantitate minoris extensionis, ac in quantitate maiori, quia sunt infinita: & quia si circulus minor includatur in maiori, omnes lineæ, quæ transeunt à centro ad circulum maiorē, transeunt per minorem: quod esse non potest nisi tot puncta, & lineæ sint in vno, ac in altero.

Huic euasioni acquiescere non possumus, quia iam illam refecim⁹ 6. Phys. q. 2. n. 25. Et rationes cōtrariæ potius probāt oppositum, quia

materialiter vnum infinitū potest plus materiæ habere, quam aliud. Nec potest esse, quod quātitas maior excedat in partibus, & non excedat in pūctis. Rursus, ad sensum apparet deductis lineis à centro, quod lineæ minoris circuli nō respondent omnibus indiuisibilibus lineis circuli maioris: ac per cōsequens plura indiuisibilia sunt in circulo maiori, quā in minori.

46 Aliter respondet Rubio tractatu de rarefactione quæst. 1. ad 3. quōd ratione dispositionis circularis pauciora puncta possunt correspondere pluribus: acquirunt verò diuersam dispositionem partes, & puncta aque per rarefactionem; cū magis distent inter se, & magis excedantur in ordine ad locum.

47 Sed contra: nam diuersa positio nō tollit, nec variat naturam indiuisibilium; nec facit, quod indiuisibile sit proportionatum, & adæquatam parti: ergo sicut indiuisibilia non possunt inflari, etiam ratione diuersæ situationis partium; nec poterunt correspondere nisi indiuisibilibus. Deinde, in sententia illius, & nostra, vnum indiuisibile non est immediatum alteri; siquidem continuū non constat ex solis indiuisibilibus: ergo punctum vnum non potest correspondere adæquatè pluribus punctis, nisi si respondeat partibus interioribus: indiuisibile autem non potest adæquatè correspondere parti, quia est illi improportionatum; sicut inflans nequit adæquare tempus, iuxta dicta 4. Physic. q. 14. §. 4.

48 Respondet M. Ioannes à S. Thoma hic q. 7. art. 1. ad 1. aquam rarefactam plura puncta, & indiuisibilia habere, quam antea; non tamen plures partes; sed maiorem explicationem, & dilatacionē earundem partium, quæ fit per additionem indiuisibilium, & punctorum; nam eadem pars, quæ necitur vnico indiuisibili cum alia, potest pluribus connecti; eo quod indiuisibile inadæquatè correspondet parti, & non adæquatè: vnde eadem pars potest correspondere pluribus indiuisibilibus: & tunc dicitur dilatari, cum pluribus indiuisibilibus explicatur extensio partis in loco; tunc autem contrahitur, quando vnico indiuisibili, vel paucioribus connectitur.

49 Impugnat hanc solutionem Cabero disp. 7. dub. 1. ad 2. Primo, quia voluntariè cōceditur indiuisibilium multiplicatio, & negatur multiplicatio partium. Secundo, indiuisibile nō facit maius; vnde etiam si multiplicentur indiuisibilia, si partes non multiplicentur, non crescet extensio. ¶ Tertio, extensio partium, vel prouenit à qualitate, vel à situ, & loco; non autem ab indiuisibilibus: siquidem effectus formalis indiuisibilis non potest esse extensio. ¶ Quarto, nā illa indiuisibilia, vel differunt specie; vel numero? Non primo; siquidem nullum talis distinctionis inuenitur vestigium. Si distinguantur solo numero, non possunt esse in eadem parte subiecti: & idè eadem pars non potest neci bis, his punctis scilicet, & illis, quos antea

habebat. Quicquid sit de efficacia harum impagnationum.

50 Melius, & facilius respondēt PP. Carm. disp. 7. q. 3. nu. 41. & 42. quod vt sit omnimoda proportio partium locati cū partibus loci; & indiuisibiliū istius, cum indiuisibilibus illius; debet esse eadem raritas & densitas in quātitate vtriusque. Quando verò vna quātitas est rarior alia, fere omnia puncta determinata, & signabilia, quæ signari possūt in extremitate corporis cōdensati, correspondēt fere omnib⁹ punctis signabilibus, quæ signari possunt in superficie cōuexa corporis loci. Cæterū nō omnia puncta, quæ vago, & cōfuso modo, & in potētia (quoad diuisionē, & designationē) quæ reperiūtur in partibus proportionalibus vnus, correspondēt in diuisibilib⁹ alterius; quia ad hoc debet esse paritas, & adæquatio quātitatis, & terminationis illius.

51 Quod explicatur ex dictis 6. Phys. q. 1. n. 39. & q. 2. n. 21. & 26. de motu tardo, & veloci: nā in eodē spatio, & in eodē tēpore sunt duo mot⁹: quorū alter est velocissimus, & alter tardissimus: & licet cuilibet mutato esse motus tardus signato, correspondeat ex parte motus velocissimi aliquod mutatum esse, & indiuisibile; non tamē sunt tot mutata esse vaga, & indefinabilia in motu tardo, ac in motu velocissimo: nā velocior nō esset, nisi plures partes proportionales, & aliquotæ, & earū indiuisibilia fluxisset de motu velociori, tēpore illo quo trāseūt pauciores partes, & in diuisibilia motus tardioris.

Pariter

Pariter dicendum de correspondentia locati rari ad locum densum, vel è contra. Et ratio omnium est, quia vt diximus quarto Physicorum quæst. 1. num. 30. locus æquatur locato secundum extrema vtriusque; eo autè ipso, quod quantitates non sint eiusdem raritatis, & densitatis, non sunt eiusdem terminationis, & situationis: & ideò nequit esse omnimoda correspondentia, & commensuratio, sicut quando sunt eodem modo terminatæ quantitates. Videatur S. Tho. in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. q. 2. ad quintum.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum sine rarefactione, & sine additione quantitatis possit aliquid fieri maius quàm erat antea?

I Et appendix ad præcedentem, quam latè hic pertractant Cõimbricenses, & Rubio, & M. Ioan. à S. Thoma. Sed opportunius disputatur 1. p. q. 92. ar. 3. vbi eruditè Bañez dub. 2. Vel in 2. dist. 18. vbi communiter Interpretes id inquirunt, occasione ipsius Magistri, & Durandi, qui partem tenent affirmatiuam.

§. I.

Cõclusio communis, & vera.

2 Sententia tamen negatiua clare sumitur ex D. Augustino libro 10. de Genesi ad litteram cap. vlt.

& eã docet S. Thomas 1. p. q. 92. art. 3. ad 1. ita scribens. Nullo modo potest multiplicatio materiæ intelligi, eadem materia manente, absq; additione; nisi per hoc quod maiores dimensioes accipiat: hoc autem est rarefieri, scilicet materiam eandem accipere maiores dimensioes, vt Philosophus dicit in 4. Physicorum. *Dicere ergo materiam multiplicari absque rarefactione, est ponere cõtradictoria simul, scilicet diffinitionem absq; diffinito.* Idem docet S. Thomas 1. p. q. 119. ar. 1. & in 2. sent. dist. 18. q. 1. ar. 1. & dist. 30. q. 2. art. 1. & fere communiter Theologi, & Philosophi.

3 Et ratio Sancti Thomæ est facilis, quia maioritas substantialis, & materialis intelligi non potest nõ addita portione materiæ: maioritas formalis quantitatiua non est sine quantitatis additione: maioritas autem situalis, & terminatiua, non est nisi varientur termini quãtitatis, vt contingit in rarefactione: ergo ponere aliquid esse maius, & non addi substantiam, quantitatem, vel rarefactionem, est ponere contradictoria simul.

4 Respondet Durandus q. 1. n. 8. falsum esse, quod definitio rarefactionis sit, quod eadem materia accipiat maiores dimensioes: illa enim quæ sũt diuersa per essentiã, non se habent vt diffinitio, & diffinitum: sed paruam fieri magnũ, supposita eadem materia, & densum fieri rarum, sunt diuersa per essentiam: ergo vnum non est diffinitio alterius. Minor probatur, quia illæ actiones sũt distinctæ realiter, quæ

quæ sūt ad terminos distinctos realiter : sed actio qua ex paruo fit magnum, est ad perfectam quãtita-
tem: actio vero, qua ex dēso fit rarum, est ad qualitatem, vt habetur
4. Phys. ¶ Et ideo è contrario es-
set arguendam, sic. Illa quæ sunt
diuersa per essentiam, possunt
diuina virtute separari, nisi al-
terum sit pura potentia, quæ
ab omni actu separari non potest:
sed extensio eiusdem materiæ per
maiolem quantitatem, & rarefac-
tio sunt diuersæ actiones realiter:
ergo, &c. Item, si rarefieri esset eã-
dem materiam accipere maiores
dimensiones, nõ posset esse rarefac-
tio, vbi nulla esset materia: quod
falsum est; nam Deus posset acci-
dentia remanentia in Sacramento
Altaris mutare secundum rarum,
& densum. Hæc Durandus.

5 His abũde satisfacit Capreolus
in 2. dist. 19. q. 1. ad arg. cõtra 2. cõ-
cedens rarefactionem esse ad qua-
litatem, & quod maioritas situalis
quantitatis est quid distinctum à ra-
refactione; sed tamen se insepara-
biliter committantur: quia rarefac-
tio quodammodo in genere effi-
ciētis est causa maioritatis dimen-
sionum; maioritas vero dimensio-
nis est causa rarefactionis in gene-
re causæ materialis; & est quid no-
tius quoad nos, & ideo per illam
diffinitur, iuxta dicta q. 23. n. 38.
Ad secũdum negat maiorem, quia
non omnia absoluta possunt illo
modo separari propter connexio-
nem essentialem, iuxta dicta 1. p.
Metap. controu. 7. n. 73. ¶ Ad ter-
tiũ dicitur, quod Phylosophi, qui

impossibile reputabant quantita-
tem esse sine subiecto, bene diffi-
niebant rarefactionem. Fideles au-
tem ponunt accidentia esse vice
substantiam, supposito illo miracu-
lo; & ideo bene possunt acciden-
tia separata rarefieri: vnde S. Tho-
mas. 3. p. q. 77. art. 2. ad 3. inquit,
*quod subtracta materia, diuina virtute
conseruantur qualitates materiam conse-
quentes, sicut rarum, & densum.*

§. II.

*Vtrum possit dari rarefactio sine
ne qualitate?*

6 PRO maiore horum explicatio
ne inquirendum restat, an dila-
tatio, & compressio partium, quæ
fit per qualitatem rarefactiuam, pos-
sit fieri sine illa? Negat Cõimb.
q. 18. art. 2. & 3. & Rubio q. 3. n.
164. quia qualitas necessario con-
notat illam partium situationem,
& sine illa intelligi nequit: alias
posset manere dēsititas, quæ est qua-
litas, corpore ipso situaliter rarefa-
cto, & laxato: quod repugnat.

7 Cæterum M. Ioannes à S. Tho-
ma q. 7. art. 1. in fine tertiæ conclu-
sionis dicit, quod aliquando datur
dēsititas, & raritas situalis penes di-
uersam positionem partium, sine
qualitate; quia id quod pertinet ad
dispositionem partium, & situm,
est effectus huius dēsitatis, vel rari-
tatis, quæ est qualitas: nõ repugnat
autem effectum aliquem ex diuer-
sis causis prouenire. Vnde com-
pressio, & laxatio partium potest
fieri solo motu locali sine altera-
tione

tionē: & sic fiet post diem iudicij quādo non erit alteratio physica, & ar. 2. §. *Sed inquires*, idem probat, quia effectus secundarius est separabilis à primario: hæc autem dilatio est effectus secundarius, quia raritas non dicit ipsam actualem extensionem ad locum, sed aptitudinem ad illam: quæ stare potest cū opposito actu; sicut gravitas cū ascensu. Loquitur ergo D. Thomas de additione partium quantitatis, vel substantiæ, & de raritate situalli, & ideo non nominavit qualitatem; sed dimensiones pertinentes ad situm. Nec S. Thomæ ratio esset efficax, nisi hoc modo exponatur: siquidem definitio raritatis ut est qualitas non est habere actu partes materiæ sub magnis dimensionibus: sed habere dispositionem, seu aptitudinem ad magnas dimensiones sub parua materia.

8 Adhuc tamen in fauorem prioris sententiæ (quæ videtur ad mentem Capreoli vbi supra, & Soncinatis 8. Methap. q. 4. ad 2. & 3.) posset argui, quia licet effectus secundarius possit impediri posito primario; non tamen potest communicari non communicato, vel multiplicato primario: & ideo eidem corpori nequit dari præsentia duplex circūscriptina, ut diximus 4. Phys. q. 7. n. 11. nec materiæ cōmunicari potest effectus secundarius formæ, non communicando illi formam, ut admissimus. 1. Physicorum q. 8. n. 12. ergo si raritas actualis est effectus secundarius rarefactionis formalis alteratiuæ; quamuis illa possit impediri, nequit tamē dari sine illa. ¶ Præ-

terea, situs est duplex, alter partium in se, & alter partium in loco: licet autem in Eucharistia non sit iste secundus; est tamen primus: & ideo ibi est raritas, & densitas, ut diximus q. 23. n. 34. ¶ Possetque hinc retorqueri argumentum, quia raritas situallis in ordine ad locum cōuenire nequit, nisi cui conuenit situs variatus in se: ergo nec potest conuenire raritas situallis, nisi cui conuenit raritas formalis. Patet consequentia, quia hæc est effectus secundarius illius, sicut situs in loco est effectus situationis in se.

Denique, licet effectus causæ efficientis possit à diuersis causis prouenire, iuxta dicta 2. Phys. q. 23. n. 8. non tamen id esse potest in effectū causæ formalis: qualitas autē est causa formalis variationis dimensionū; licet ratione motus etiā ibi sit causalitas effectiua, iuxta dicta n. 5. ergo non potest esse rarefactio sine qualitate.

9 His non obstantibus, tenenda est sententia M. Ioan. a. S. Thomæ, cui fauet Soncinas in prima solut. ad 3. dicens se loqui ut Metaphysicū, & non ut Theologum, ut ratio procedebat: ac per consequens loquitur ex natura rei; & non de potentia absoluta. Et iste probabilem dicunt Conimbricenses. Ratioque est: nam effectum causæ efficientis, & causæ formalis potest Deus eundem præstare, vel per ipsam formam; vel per aliquid quod sit illi æquiualens propter eminentiam; ut licetate prouenit ab igne, & à Sole; & uiuificatur aliquid, vel
forma

forma imperfecta; vel anima rationali. Et Theologi dicunt aliquem posse sanctificari, vel qualitate, vel gratia unionis, vt sanctificatur Christus humanitas. Licet ergo conuulter alteratio rarefactiua causet qualitatem, & hæc causet situationem diuersam partium in se, & in loco: tamen hæc duo à Deo fieri possent alia via, & mediante alia forma, vel motu.

10 Ad primum argumētum respondetur cōcedendo antecedēs, & negando consequentiam: quia solum inferitur, quod debeat dari hæc, vel alia æquiualeus causa: quod concedimus, nam motum, quē causat modo illa qualitas, causabit Deus, vel perse, vel media alia causa secunda.

11 Ad secundū fatemur in corpore Christi in Eucharistia esse densitatem, & raritatem formalem, resultantem ex materia, & alijs primis qualitatibus, & ex situ partium in se: quamuis prout in Sacramento non sit extēsus in ordine ad locum. Et idē in isto exemplo nos vim non facimus pro puncto præfenti.

12 Ad tertium dicimus, quod antecedens est verum; sed consequens est distinguendum, & cōcedendum de aliqua raritate formali, siue à causa, quæ nunc est, siue ab alia; negandum tamen de raritate formali, quæ nunc est à qualitate; quia iste effectus potest prouenire ab ista, vel ab illa causa.

13 Ad quartum dicitur, quod quicquid teneatur de eodē numero effectū; nunc loquimur solum

de eodem genere, vel specie; & in isto sensu non solum in causis efficientibus; sed etiam in causis formalibus est verum, quod non repugnat effectum eundem ex diuersis causis prouenire, vt constat ex dictis num. 9.

QVAESTIO XXV.

Vtrum aliquid possit agere in seipsum?

1 **A**B hac quæstione incipimus exponere, quæ Philosophus docet à cap. 6. vsque ad 10. Cuius ordinis rationem assignat tex. 43. & S. Tho. tota lect. 18. postquam enim egit de generatione, & corruptione in communi, & de alijs consequētibus, scilicet de augmentatione, & alteratione: incipit de terminare de quibusdam, quæ ad hæc requiruntur. Quia igitur dicturus est libro secundo de transmutationibus elementorum; idē in isto lib. intendit præmittere tractatum de missione; sed cum hæc fieri non possit sine actione, & passione: & hæc non possint fieri sine tactu (nam ea quæ ad inuicem nō se tangunt, nō possunt ad inuicem agere, & pati) idē determinando de ipsis, oportet de tactu tractare: vt sic disputetur de natura actiuorum, & passiuorū, & de modis eorum.

2 Cæterum cum conditiones omnes ad agendum requisitas exponere, potius pertineat ad Metaphisicos, quam attineat ad institutum horum librorum; idē remittimus

timus ad ea quæ diximus 2. p. Methaphil. controu. 13. Non potuimus autem præsentem quæstionē prætermittere, utpote à Philosopho tactam, & subsequentiū fundamentum: eam tamen non controuertemus in illa vniuersalitate, qua est disputata illa cōtro. 13. a. 2. sed præcipuè agemus de actione, quæ vocatur vniuoca, ut non nullas experientias physicas hic ventilatatas à Doctoribus declarem.

§. I.

Sententia affirmans.

3 **S**unt qui absque vlla distinctione intrepidè proferant aliquid posse agere in seipsum. Ita Arriaga disp. 3. sec. 9. ut sic facilius assignet causam antiperistaltis. Et ibi n. 168. negat in ætate esse minorem calorem stomachi animalis, quā in hyeme, & n. 170. dicit propter excessum caloris non adeo recte fieri concoctionem in ætate: quod dicit *euidenter* confirmari, quia in ardentissima febre est maior calor, qui tamen non iuuat, sed potius impedit cōcoctionem, & nutritionem. ¶ Rursus, posse aliquod agens in seipsū operari, dicit Arriaga sec. 10. *manifesta experientia* ostendi, qua videmus aquam ab igne separatā, propriam frigiditatem in se reproducere. Et animal propria virtute recuperat proprium calorem. Itē omnia agentia producunt suos actus. Lapis, si nō impediatur, seipsum mouet in centrum, ignis sursum. Distinctio autem, quæ requi-

ritur ad operandum, non est inter subiectum recipiens effectum, & inter causam illum producentem; sed inter effectum productum, & causam: ergo idem potest agere in seipsum.

4 Hanc doctrinam (quam eius Author euidētē, & manifesta experientia comprobata vocitat) Cabero tractat. 1. disp. 8. dub. 2. appellat *delirium Medicum*, adeo Philosophiæ Naturali contrarium, ut Medici possint irridere, & ludibrio habere Theologos, quia hæc audēt proferre. Hippocrates enim aphorismo 15. ait. *Ventre hyeme, & vere calidissimi sunt natura, & somni longissimi.* Itaque per ea tempora cibi dari copiosius debent: caloris enim natium copia magna inest, ut cibus proinde plenior requiratur. Hæc ille. Arriagæ argumentum nullius est momenti, quia nescit distinguere calorem naturalem à calore febris. Et experimur sæpè corpus febre æfluare; & stomachum interno frigore debilitari. Quod autem in ætate frigidiora appetamus alimenta, est ad expellendum calorem extrinsecum: nam maioris caloris interni stomachi continua fames, quæ præualet tempore hyemis, perhibet experientiam. Hæc non prosequimur, quia quæ Medicorum sunt tractare debent Medici. Ad punctum principale reuertamur.



§. II.

Communis. & certa conclusio.

5 It ergo cōclusio, nullum agēs naturale potest agere in seipsū secundum eandem partem. Hęc est Philosophorum omnium, etiā Aristotele antiquiorum, ex quorū mente Philosophus hic tex. 48. in fert: *Si simile pati aliquid possibile, & ipsam à seipso.* Cuius rationis vim declarat S. Thom. lec. 19. litt. c. nam si simile agit in simile, vbi maior est similitudo, magis est ratio actio- nis, & passio- nis: sed cum nil sit similius alteri, quam idem sibi ipsi, idem à seipso patietur, & seipsum corrumpet: nihil ergo incorruptibile, nil immobile erit.

6 Præterea idem docent Philosophus, & S. Thomas 4. Phys. text. 41. lec. 10. & probāt duplici ratione: quia mouens, & motum habēt oppositionem ad inuicem: opposita autem nō possunt eidem in esse secundum idem: non ergo est possibile, quod secundum eundem motum, sit aliquid idem mouens, & motum. Rursus, nihil est in actu, & in potētia respectu eiusdem: sed omne quod mouetur, in quantum huiusmodi, est in potentia: omne autem, quod mouet, est in actu, in quantum huiusmodi: ergo nihil est respectu eiusdem, actu mouens, & motum. Et sic nil mouet seipsum. Quæ rationes alibi sunt ponderata.

7 Ex dicendis etiam quæstione sequenti hęc conclusio probatur;

nam rationes omnes, quæ probant simile non agere in omnino simile, ostendunt à fortiori idem non agere in seipsum, prout ponderat S. Thomas relatus numer. 5.

Deinde ipse Sanctus Thomas lectione 23. litt. c. ait, Philosophus ponit secundam conditionem, & est quod agens, & patiens debent esse diuisa, & non continua; quia id quod est continuum non est passibile. Veritas autem huius propositionis ex hoc est: *quia nil patitur à seipso*: quia non est magis ratio quare vna pars eius agat, & alia patiat, quam alia, cum partes continui sint similis naturæ. Quæ ratio S. Thomæ etiam intentum conuincit.

8 Comprobant eandem veritatem manifestæ experientia: videmus enim aereni habentem lucem vt vnum, non posse seipsum intendere ad gradum vt octo: neq; duo calida vt quatuor se possunt intendere vsque ad summum, & sic de alijs: ergo idem non potest agere in seipsum.

Respondet Arriaga num. 175. has qualitates non esse operatiuas alterius similis qualitatis in proprio subiecto, sed in extraneo: & ratio à priori est, quia operari immanenter in seipso, perfectior modus est, quā operari transēter in alio. Vel probabilius dicitur id reduci in proprias naturas horum accidentiū. Et alius dicit operari in se esse minus perfectū modū, quia dicit mutationem sui, quam operari in alio, quod hanc mutationē non includit.

9 Cæterum hæc absque fundamento comminiscuntur nullo Authore, vel ratione fundati. Radicitusque conuelluntur ex doctrina S. Thomæ 3. p. q. 8. art. 5. sic dicentis. Quia vnumquodque agit in quantum est ens actu, oportet quod idem sit actus quo aliquid est actu, & quo agit; sicut idem est calor quo ignis est calidus, & quo calefacit. Non tamen omnis actus quo aliquid est actu, sufficit ad hoc, quod sit principium agendi in alia: cum enim agens sit præstantius patiente (vt August. dicit. 12. super Genes. ad lit. cap. 16. & Philosophus in 3. de Anima textu 19.) oportet quod agens in alia, habeat actum secundum eminentiam quãdam. Hæc S. Thomas: cuius doctrina satis ab ipso fundatur; & nil assumit, quod non perse pateat.

10 Ex qua habetur in primis noua probatio conclusionis; nam idem respectu eiusdem non est nobilior; & ita nec potest esse agens, & patientes secundum idem. Habetur secundo, quod posse agere in aliud, pertinet ad eminentiam actualitatis in seipso: & ita si qualitates iste sunt actiue in aliud, nõ est cur nõ agant in seipso: si non exigeretur distinctio agentis, & patientis. Tertio habetur quod est petitio principij hoc negare, & reducere in naturas illarum qualitatam: quia cum id non sit perse notum: vnde illi constat hanc esse naturam illarum qualitatam? Denique non satisfacit secundo exemplo: neque poterit rationem disparitatis assignare, si de vno ad alios casus arguatur.

11 Argumenta contraria frivola sũt, & iam diu ab alijs soluta. In primis supponunt, quod resultantia passionum sit noua efficientia, & noua actio: cuius contrarium ostendimus 2. Phys. q. 10. & 2. p. Metaph. cont. 9. art. 6. Deinde Suarez, qui tenet resultantiam esse veram actionem, docet disp. 18. Metaph. sec. 3. n. 12. pertinere ad consummatam rei productionem: vnde (inquit) etiam communiter dici solet, naturalem resultantiam tribui generanti, & non esse a forma, vel proprietate intrinseca, nisi quatenus vicem obtinet generantis: & esse quasi instrumentum eius: vnde est illud axioma: *Qui dat formã, dat consequentia ad formã*; quia ad generantem expectat constituere genitum cum debitis proprietatibus. Ex qua doctrina corruunt penitus omnia exempla, excepto illo de operationibus animæ.

12 Cæterum ibi non est motus strictè sumptus; nec actio, quæ solet vocari vniuersa, de qua modo loquimur, & idem adhuc concessio ibi aliquid mouere seipsum, non infirmatur nostra conclusio. Veritas tamen est, quam tradit S. Thomas 1. 2. q. 9. art. 3. ad 1. quod voluntas non secundum idem mouet, & mouetur. Vt autem ipse D. Sæctus aduertit 1. 2. q. 51. art. 2. ad 2. *Idem secundum idem non potest esse mouens, & motum; nihil autem prohibet idem à seipso moueri secundum diuersa, vt in 8. Phys. text. 28. probatur.* Qua doctrina explicat S. Tho. per actum proprium ab ipso agente causatum posse produci habitum in eodem agente receptum.

§. III.

De Antiparistasi.

13 **R**estât soluēdæ duæ antiquæ, & tritæ difficultates, quæ videntur opponi communi conclusioni. Prior est *Antiparistasi*, quæ sic dicitur voce Græca, & Latine est idem ac *circum obfistemia* debilitatis cōtrarij ab alio fortiori. In qua sunt, qui vt fugiāt difficultates, neq̄ dari actionem, per quam vnū contrarium intendatur ad præsentiam alterius. Et cū manifestis vrgentur experientijs, respōdent eas esse secundum apparētiā sensus tangentis, & non secundum veritatem. Quod tribuitur Galeno lib. 3. de Simplicium Medicamentorum facultatibus cap. 7.

14 Hoc tamē manifestæ refragatur experientiæ obseruatæ à Phylosopho 1. Metheororum, & à Diuo Thoma ibi lec. 14. litt. o. & lec. 15. lit. i. ait S. Tho. Dicit ergo Phylosophus primò, quod per experimētum videmus, quod calidū, & frigidū sua cōtrarietate circūstāt se inuicem, & aggregant. Et hoc manifestum est in terra: nā in allu interiora terræ sunt frigida, propter hoc quod caliditas aeris frigiditatem terræ circūstāt, vnde congregatur interius: è conuerso autē tempore frigoris interiora terræ sunt calida, propter hoc quod frigus concludit interius calorem, qui erat in terra: & inde est, quod aqua fontium in æstate est frigida, & in hyeme calida. Et hoc oportet

putare fieri etiam in superiori loco: vnde in tempore calido frigidum contrarietate calidi circumstantis inclusum, vehementius operatur: vnde aliquando valdè cito ex nube facit aquam. Et propter hoc multo maiores guttæ fiunt in calidis dieb⁹, quam in hyeme, &c. Hæc S. Thomas.

15 Istas autem experientias nemo sensibus integris valet negare; cum manibus eodem modo dispositis experiamur aquam fontium in æstate frigidam, & in hyeme calidam: & rursus si in æstate contrectentur aquæ non puteales, nō apparent frigidiores. Nec verum est hoc negare Galenum, sed solum aliquo casu; imò communem confirmat experientiam in Commentarijs Hypocratis Sectione 1. Problematis. 15. doctrinam relata m. 4. approbans. Cum ergo experientia sint certæ, illarum causæ sūt inuestigandæ: quia à contrario repugnat contrarium roborari; siquidē repugnat calorem esse principium frigiditatis: ergo qualitas non intēditur à contrario. Si igitur aliæ causæ non assignentur, qualitas intendet seipsam.

16 Respondet Marsilius q. 17. & 18. Venetus in Summa cap. 23. Albertus de Saxonia quæst. 15. & alij, quod licet actione corruptiua directa nil agat in se perse; tamen actione corruptiua reflexa aliquid in se agit, vt in Antiparistasi. Quod fit hoc modo: aqua enim diffundit species intētionales per medium, quæ cum occurrunt contrario, redeunt ad subiectum à quo

proceſſerunt, ipſumque infrigidant.

17 *Sed hæc ſementia* (inquit Suarez diſp. 18. Metaph. ſec. 9. n. 14.) *dicuntur incredibilia; & non ſolunt difficultate n.* Primum cõſtat primo, quia fingit ſpecies intẽtionales ſine fundamento. Secũdo facit ſpecies intẽtionales inſtrumentũ alterationis materialis quod inauditum eſt, & falſum, cum ſpecies ſolum pro ſenſibus, & intellectu ſint à natura data. Tertio, cum ſpecies non ſint corpuscula, ſed accidẽria, non poſſunt ire, & redire; niſi eo modo quo deferuntur per diaſtanum: quod nõ condecit ad intentum. ¶ Secunda pars probatur, quia cum illæ ſpecies ſint quaſi inſtrumenta illius, à quo cauſantur, & in cuius virtute agunt, reſtat integra difficultas quomodo poſſunt in agẽdo excedere eius virtutem? Et ideo etiã ſi reflectantur; non poſſunt magis intendere, quam ſi directe agerẽt. Sæpe etiã agentia contraria ſunt vicina; vni repugnat qualitas alterius: ergo per reflexionem actionis, difficultas non ſoluitur.

18 Secũda ſolutio tribuitur Aſtudillo lib. 1. de Gen. q. 21. & Pomponatio de Reactione art. 3. & eã tenet Toletus hic q. 14. circa finem, ſ. *Alia præterea*, dicens, quod initio actionis, antequam ſupereatur vnum cõtrarium ab altero, fortiori per alteram particulam temporis ſe defendit, & ſuam ad ſe virtutem actiuam conuertit, ſe vnies, & ſuam virtutem ad ſui deſenſionẽ, ne pereat aut lædatur ab altero: & ita ex naturali appetitu ſuã con-

ſeruatiõnis, in ſeipſum conuertit actionem ſe fortificans. Hæc ille.

19 Nec hæc via euaditur difficultas, ſed ei ſuccumbitur; ſiquidem admittit ſimile in ſeipſum agere ſecundum eandem qualitatem. Et reſtat aſignãda ratio cur antea nõ intendebatur illa qualitas, & modo intenditur? Et videndum quibus armis ſe defendat à contrario. Et quomodo in præſentia illius faciat id quod excedit propriã virtutem?

20 Inſtabis in fauorem huius ſolutionis (quamuis à ſuis authoribus non citetur) dicendo, videri expreſſam Phyloſophi, & S. Thomæ dum 1. Meteororum lec. 14. litt. o. ita dicunt: *Boreas propter ſuam frigiditatem congregat calidum, quod eſt in locis humectis, antipariſtaſim faciens, id eſt, cum quadam contrarietate circumſtaſis calidum: cum enim frigidum circumſtat calidum, ſi non omnino poſſit extinguere ipſum, congregat illum: & ſic ex congregatione calidi, vigoratur effectus eius: & ideo magis reſoluitur vapor.* Ergo conſiſtit antipariſtaſis in eo, quod qualitas circum obſeſſa à contraria, ſe unit, & congregat, & conuertit in ſe ſuam actionem, & ſic vigoratur effectus eius.

Reſpondetur Phyloſophum, & S. Thomam, ſolũ docere, id quod experimur de antipariſtaſi, & quod virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa, & quod natura inclinatur ad conſeruatiõnem media congregatione, & vnione, qua vigoratur virtus, & effectus eius. Quod totũ verum eſt. Sed tamen non dicunt hoc fieri conuertẽdo actionem in ſe

seipsum: nec declarant an hoc fiat propter densitatem materiæ? De quo quæstione sequenti dicemus. Idecirco nõ fauet præcedenti solutioni in puncto in quo ab ea dissentimus.

21 Tertio respondent Suarez illa sec. 9. n. 18. & 19. Rubio c. 9. de Reactione q. 7. n. 121. Hurtado, & alij, quod istæ experientie proueniunt propter exhalationes calidas in cauernis generatas, quæ impediuntur ne ascendant, existente medio densiori, & crassiori. Generantur autem virtute Solis, & aliarum influentiarum cælestium: & cum sint subtiliores aqua, illi facile miscentur, dum ascendere conantur: & sic eius frigiditatem temperant, saltem continuè in illam reagendo.

22 Hanc solutionem vt insufficiens relinquit M. Ioan. à S. Thoma hic q. 5. ar. 1. pagina 152. Tum, quia non semper extrahitur tanta copia exhalationum ex omnibus locis subterraneis, nec de eo nobis constat: & tamen in omnibus subterraneis inuenitur aqua calidior. Tum, quia manet eadem difficultas, quomodo ille exhalationes possunt intèdere illum calorem in aqua vltra proprium gradum caloris, quæ habet; ex eo solum quod circumdantur a frigido? Denique, quia iam assignatur pro causa directæ illius caloris, agens illud, quod talem calorem illis exhalationibus imprefit; quod fuit Sol.

23 Igitur vt clarius, & vniuersalius propria causa assignetur, recurrendum ad communem solutionem, quam tradunt etiam Suarez,

& alij pro tertia solut. relati. Conimb. & Ioan. à S. Thoma, & alij frequenter, distinguentes causam per se, & causam per accidens: & quod causâ per se, aliquando est intrinseca, aliquando est extrinseca: & hæc, si sit vniuersalis corporea, diuersi modo operatur iuxta varias recipientium dispositiones.

24 Certum est ergo, quod maior intensio non est tribuenda agenti obliuendi, tamquam causæ per se; quia vnum contrarium per se loquendo potius tendit ad alterius destructionem, quam ad eius intensiorem. Tribuitur ergo illi tanquam causæ per accidens; vel quia tollit impedimentum, quod erat vt ab alia causa produceretur: vel quia est occasio melioris applicationis, vel dispositionis subiecti ad qualitatem illam intensam recipiendam.

25 Causa vero intrinseca particularis assignatur cum crescit in qualitate sibi innata, & naturali, ipsa forma substantialis, à qua resultat propria passiones. Quod autem in meliori gradu nunc resultet, prouenit ex ablatione impedimentorum; & quia virtus vincitur, & quia ex inclinatione propriæ cõseruationis resistit fortius contrariis, vt sumitur ex D. Thoma verbis relatis n. 20. & adductis q. 23. n. 34. & super Psal. 17. ad illa verba: *Præfulgore inconspicuo eius*, &c. ait S. Thomas, naturale est, quod oppositum fortius agat in oppositum: constat autem, quod in nubibus admiscetur frigidum, & calidum: ergo quando calor aeris circumstantis frigidum constringit, quod non potest consumere, tunc

frigidum agit interius circundante extra calore. Hæc ibi. Nec negamus, quod aliquando circundante calore, euaporentur aliqua exhalationes adusta: sed cum calor non sit talis, qui ualeat aquam consumere; vnitur, & resultat eius proprietates in dispositione meliori, quam antea erant.

26 Si denique incrementum sit in qualitate extranea, sibi sit causa proxima illius, vel principalis, vel instrumentalis, illi causæ erit tribuendus talis effectus. Quando uero causæ proximæ deficiunt, recurrendum ad influentiã Solis, & Syderum: sicut docent M. Bañez hic c. 6. q. 2. ad 3. & M. Soncin. 9. Met. q. 8. ad 5. quod ea, quæ generantur in media regione aeris, attribuuntur tanquam causæ principali cælestiũ Planetarum influentiæ hæc tamẽ variatur ex diuersa dispositione recipientis subiecti, & aliorum circumobstantium. Vnde S. Tho. 1. p. q. 115. art. 3. ad 4. ait, *quod actiones corporũ cælestiũ diuersimode recipiuntur in inferiorib⁹ corporib⁹, secundũ diuersã materiam dispositionem.* Hincque possunt causa assignari omnium effectuum, qui sunt per antiparitasum, absque eo quod idem secundum idem directe, aut reflexe, perse, vel per accidens sit mouens seipsum.

27 Secunda difficultas, quæ posset tractari de intensiõne medijs per reflexionem qualitatis. Nõ potest resolui non præmissa doctrina sequentis quæstionis; ideoque ibi proponatur, & dilactur opportunius §. 4.

QVAESTIO XXVI.

Verum si nihil possit agere in sibi si nihil?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 Similitudo agentis, & passi multis modis potest contingere; vel enim assimilantur in genere; vel in specie; vel in qualitate & uirtute actiua: & quia de ista uirtute est præcipua quæstio, eam subsistere oportet. Potest autem similitudo in qualitate, & uirtute actiua multis modis contingere: & sunt tres combinationes præcipuæ. Aliquando enim conueniunt in qualitate, gradu, efficacia, raritate, & extensione, & in omnibus parificantur. Secundo possunt conuenire in qualitate eadem, non tamen in eodem gradu, & efficacia; ut si calor ut duo comparetur cum calore ut quatuor. Tertio, si sint similia in gradu, & intensiõne; non uero in extensiõne; vel raritate, vel figura, aut in extensione, & multitudine, aut alijs cõditionibus requisitis ad agendum: ut si unum sit pedale, & aliud bipedale; unum densum, aliud rarum; uel diuersimodè actiua; ut ferrum, & lignum si ambo sint calida ut sex.

2 Certum est præterea, quod si aliquid assimiletur alteri in una qualitate, & in altera ei contrarietur, possunt

possunt ad inuicem agere, & pati; quia assimilatio se habet per accidens, & materialiter: sicut nix, & calx conueniunt in albedine, & differunt, quia nix est frigida, & calx est calida: & tunc per accidens vnū album agit in aliud, quia non agūt ratione albedinis, sed ratione contrariarum qualitatū.

3. Loquendo de agente æquiuoco non est necesse, quod assimiliter passio, nec in principio, nec in fine actionis; sicut Deus, Angeli, Cæli, & astra agunt in hæc inferiora: & tamen non habent materiam ad inuicem transmutabilem.

4. At vero agens vniuocum debet assimilari in genere cum passio. Vnde Philosophus textu 50. ait, necesse esse quod agens, & patiens in genere sint idem, & similia, & diuersa specie, & contraria. Vt autem notat S. Thomas lec. 19. lit. d. nõ sumitur hic genus logicè; quia hoc modo alia corpora essent eiusdem generis: sed sumitur genus naturaliter: & hoc modo omnia que comunicant in materia, sunt eiusdem generis. Et ratio est facilis, quia agens dicitur vniuocum, quia producit effectum eiusdem speciei: quod esse non potest nisi materia sit in potentia ad formam: ergo in materia debent comunicare.

5. Duo principia in hac parte sūt indubitata. Alterum quod simile omnibus modis recentis non potest agere in simile. Ita omnes Philosophi Antiqui, quos in hoc bene dixisse notant Philosophus, & Sanctus Thomas lect. 19. litt. c. Et in 2. distinct. 19. quæst. 1. art. 4. ad

secundam, ait: *Oportet, quod virtus alterantis virtutem alterati excedat.* Quia non est conueniens, quod omnino simile in materia, & in forma patiatur ab omnino simili sibi in materia, & in forma; quoniam sicut antiqui dicebant, nullum corpus est dignius agere in alterum, quam alterum. Et quia sequetur, quod idem à seipso patietur. *Hoc esse veluti primum principium in Philosophia*, notat Suarez disputatione 18. Metaphisicæ sectione 9. n. 7.

6. Rationem radicalem tangit Sanctus Thomas lect. 23. litt. b. ex Philosopho textu 77. dicens, *esse principium manifestum, quod ens quoddam est in potentia, & illud est passiuum; quoddam est in actu, & illud est actiuum.* Vnde agens agit quatenus est in actu, & patiens patitur quatenus est in potentia: quia agere est dare esse passio, & reducere de potentia in actum: sed id quod est in potentia, est dissimile ei, quod est in actu: ergo simile non agit in omnino simile. Et ex his perspicies rationem hanc nos non desumpsisse ex Suarez (vt aliqui indiscretè calumniantur: nec enim si ita esset, poeniteret; nam ab omnibus discere, sumus parati) sed potius ipse ex Sancto Thoma multis locis relatis secunda parte Metaphisicæ Cōtrouersia 13. articulo secundo.

Nec me latet rationē hanc modernis non placere, sed quod obijciunt, procedit ex sentētia iam reiecta q. 15. & idē non expedit in his immorari: videatur S. Tho. 1. p. q. 2. ar. 3. rat. 1. & q. 25. ar. 1. cor. & ad 1. & q. 2. de Pot. art. 3.

7 Aliud indubitatum principium est, quod si sit similitudo in specie, & dissimilitudo in qualitate; vel similitudo in qualitate, & dissimilitudo in gradu, potest esse actio, & passio; quia habent sufficientem contrarietatem, & dissimilitudinem in principio, ut possint sua actione intendere perfectam similitudinem: & hoc experientia ipsa comprobatur; siquidem videmus minus calidum perfici in calore ab agente calidiori. Idcirco, ut inquit M. Bañez q. 2. conc. 5. in his conveniunt Authores, qui quæstionem disputant: dissident verò quando est similitudo in qualitate, & in intensione, & dissimilitudo in raritate, & densitate, vel in extensione, & multitudine. An tunc agens possit agere in passum?

s. II.

Tres præcipue sententiæ cum suis fundamentis.

8 **M**ultorum opinio tenet simile in qualitate, & gradu nunquam posse in sibi simile agere, & illud perficere secundum illam qualitatem. Ita Astudillo q. 21. Albertus de Saxonia q. 15. Venetus in Summa cap. 23. & Victoria de Augmento Charitatis, quos refert, & sequitur Bañez cap. 9. q. 2. conc. 6. dicens se satis mirari non posse, quod viri doctissimi in oppositam sententiam declinauerint, & principia metaphisicalia reliquerint, aut malè intellexerint. Subscribunt huic Conimb. Rubio, & alij,

quos referunt, & sequuntur PP. Carm. disp. 8. q. 2. Suarez disp. 18. Metaph. sec. 9. nu. 23. Arriaga hic disp. 3. sec. 7. conc. 3. Cabero disp. 8. dub. 4. & passim alij.

9 Probaturque, primo ab inconuenienti: nam sequitur, quod duo agetia remissa applicata, se inuicem intenderent: quod aduersatur experientia; siquidem duæ aquæ calidæ, vel frigidæ non se intendant: nec calida se inuicem perducunt ad summum caloris; alioquin omnia calida seipsa inuicem comburerent. Sequela probatur; nam in opposita sententia calidum ut quatuor potest ratione densitatis producere calorem ut quinque: rursus, hoc posset producere ut sex, quia eadem est ratio istius, ac præcedentis: & sic deinceps usque ad summum. Imò duæ candelæ accensæ posset propriam lucem intendere. Et cum lux candelæ, & lux Solis sit eiusdem speciei, sequeretur, quod exigua candela iuxta Solem accensa eius lucem intenderet.

10 Secundo probatur à priori, quia causa debet continere effectum in sua virtute: nam ut docet Philosophus text. 77. & 3. Phys. text. 17. quod est in potentia, reducitur in actum, ab eo, qui est actu: sed calor ut quatuor, etiam ratione densitatis, non continet calorem ut quinque: quia densitas non est qualitas actiua: ergo nec ratione densitatis potest producere calorem ut quinque.

Tertio, omne agens intendit alii simile sibi passum in forma, quæ est principium agendi; & cum ad per-

perfectam similitudinē peruenit, cessat actio; si enim vltra proportionem formæ, quæ est principiū agendi, procederet, effectus esset perfectior sua causa vniuoca, & causaret vltra id quod continet: ergo cum est similitudo in qualitate, & gradu, nil est quod agens possit causare.

11 Denique, multitudo formæ, raritas, aut densitas augent efficaciam extensiuam; non verò intensiuam: & idèd ratione istarum nõ augetur virtus agendi intèsuè, vt possit intensiorem effectum producere: sed solum quoad hoc vt suum adæquatam effectū facilius, velocius, fortius, & ad maiorem distantiam, cæteris paribus, possit efficiere. Vnde (inquit Suarez nu. 25.) dici potest augeri quoad modum faciendi; nõ quoad rem, quã potest facere.

12 Nihilominus nõ desunt, qui prædictam sententiam, vel omnino negent; vel ita coarctēt, vt in multis casib⁹ oppositum illius verificetur. In primis Marsilius hic q. 18. & 19. & alij dicunt simile in gradu posse agere in simile, & illud intendere, si sit dissimile in densitate. Idem sequitur Toletus hic q. 13. & addit post tertiam conclusionē, quod similitudo, vel dissimilitudo intensiōis per accidēs se habet ad actionem; sed attendi debet similitudo potentiæ, & virtutū: in quo sensū est intelligenda communis Phyllosophorū propositio; à proportione minoris æqualitatis non fit actio.

13 Id in quo cōueniunt, probāt

primo vulgari illo exemplo de ferro cādētī; quod comburit stuppā, & producit ignem: sed in ferro nõ est forma ignis; cum in eodem nõ sint duæ formæ substantiales; nec est calor in summo; quia iste non est nisi vbi est forma ignis: ergo iã ratione densitatis ferri producit intensior calo, rquam fit in ipso.

Responderi solet, vt nos admissimus 2. Phyl. q. 11. n. 13. in poris ipsius ferri igniti esse verè ignem: & ille comburet stuppam. Quod docent Durandus in 4. dist. 44. q. 5. ad 2. & Bañez vbi supra ad 1. & esse communē omnium Phyllosophorum cōsensum, dicit Suarez n. 29. cuius signum sumi potest ex fulgore, qui ab igne semper prouenit, vt dixit Plato in Timæo. Et quia vehementia caloris aperiuntur pori, & inflamatur aer, & exhalationes in ignem vertuntur.

Reijcit tamen hanc solutionem Toletus: primo, quia hoc non tollit difficultatem: nam sit v. g. terra ignita, quæ poros non habet, cum sit elementum simplex. Secundo, ridiculū est dicere poros ferri comburere stuppam; & non potius ipsas partes solidas ferri candētis, cū sint densiores.

Et tertio, quia quo res fit densior, & minores, & pauciores habet poros, eo magis comburet; & quo rarior, & plures, ac maiores habet poros, eo minus comburet: cum deberet esse contrarium, si pori igniti comburunt.

14 Secundum argumentum sumunt ex exemplo luminis; nam si plura luminosa applicētur eidem

medio lumen intenditur, vt experientia videtur manifestum; videmus enim cubiculum eo plus illuminari, quo plura adhibentur lumina. Imò multa numero lumina, si in idem cōcurrant, ignem generant, vt patet in reflexione speculi; cum singula seorsum lumina minime id valeant, nec tãtam calefaciendi habeant virtutem.

15 Tertio est argumentũ à priori: nam quod actiuus est, potēs est agere in min⁹; nã si est maioris potentie, quam aliud, potest in illud agere, & vincere: sed calidum vt quatuor in materia densa actiuus est, quam calidũ vt quatuor in materia rara: ergo potest agere in ipsum. Probatur minor, quia Phyl. t. Meteororum dicit quod virtus vinita fortior est seipsa dispersa, vt retulim⁹ q. 25. n. 14. & 20. deinde, quia quo agēs est propinquior passo, tãto magis agit in ipsum; quod experientia patet: cũ igitur partes densi minus distent ab vno pũcto medij signato, quam partes rari positi in eodem loco, magis densam calefaciet: ergo est actiuus, & potēs in aliud agere. Alia argumenta vt minoris ponderis omittuntur.

16 Tribuitur hæc sentētia M. Soto 2. Phys. q. 4. ad 5. & reuera in multis fauet: sed multa alia in relata sententia admiscuntur, quæ longè distant à doctrina M. Soto, vt dicenda monstrabunt.

17 Denique M. Ioannes à S. Thoma hic q. 5. art. 2. conc. 3. inter duo prima extrema videtur medi⁹ procedere: docet enim quod densi-

tas, & raritas, & aliæ similes conditiones ad agendum requisitæ, non augent actiuitatem, & virtutem agentis formaliter, & directè: concludere tamē possunt indirectè, & per modum cuiusdam dispositionis, vt virt⁹, quæ erat debilior, fortificetur, & intensior fiat virtute agentis in tali dispositione. Priorē partem probat, quia illæ conditiones non dant maiorem actiuitatē; eo quod non dant maiorem actualitatem, & perfectionem.

Secundā ostendit; tum ex communi sententia, iuxta quam virtus emissa ab agente habet in remotis aliquem effectum, quem non producit in propinquo, propter indispotionem subiecti. Et etiam idē probat ex actione reflexa luminis, & caloris, quæ aliter non valent explicari.

s. III.

Resolutio quæstionis.

18 Videtur hæc sentētia reliquis probabilior, & simul vera cum doctrina M. Soto, & solū deficiens ex parte qua ei opponitur; si ei opponitur. Igitur pro ea exponenda.

Dico primo, actiuitas agentis attenditur penes perfectionem, & multitudinem formæ, tam substantialis, quam accidentalis. Hæc secūda pars sequitur ex prima, cum quantitas accidentis consequatur quantitatem formæ substantialis existētis in sua naturali dispositione. Vtramque partem tenent Au-

thores relati num. 12. & eam probat M. Soto conclusione quinta, hac ratione. Tota virtus agentis est forma: ergo secundum eius quantitatem erit, & actionis quantitas. Ex quo sequitur, quod ubi esset forma infinita, esset actiuitas infinita; & ubi finita, finita.

19 Quod totum docent Philosophus, & Sanctus Thomas tertio Phyllicorum lectione octaua littera. b. ubi concludunt. *Vnde manifestum est, quod potentia ignis vincere tur à potentia aeris infiniti: & sic infinitum excedit, & corrumpit finitum, quantumcumque posterioris nature videatur.* Ex quo patet, quod vnum elementum infinitum alia corrumpere, non probant ex eo quod occuparet omnia loca: sed ex eo quod actiuitas æquatur multitudini formæ, & eius perfectioni: quod est intentum.

20 Clarissimè idem docent octauo Phyllicorum lectione 21. nam littera. e. sic ex Philosopho. ait Sanctus Thomas. Videm⁹ enim, quod aliqua minor magnitudo habet maiorem virtutem, quam maior magnitudo: sicut paruus ignis habet maiorem virtutem actiuam, quam multus aer. Sed per hoc non potest haberi, quod quantum infinitum habeat potentiam finitam: quia si accipiatur aliqua, adhuc magis excedens magnitudo, habebit maiorem virtutem; sicut si aer maior secundum quantitatem aliquam habet minus de virtute, quam paruus ignis, si multum augeatur aeris quantitas, habebit maiorem virtutem, quam paruus ignis. Quod quotidiana

na experientia comprobatur, si quidem aer magnus paruus ignem extinguit. Ex quo à fortiori sumitur argumentum, quia si quantitas magna excedit actiuitatem formæ alterius (speciei in parua quantitate, multo melius in eadem specie ex multitudine formæ actiuitas multiplicabitur, & augebitur.

21 Ratio etiam supra formata est S. Thomæ 1. p. quæst. 25. art. 2. sic dicentis. In omnibus agentibus hoc inuenitur, quod quanto aliquod agens perfectius habet formam, qua agit, tanto est maior eius potentia in agendo: sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam ad calefaciendum: & haberet vti que potentiam infinitam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus. Quod totum docet S. Thomas vt ex infinitate diuinæ essentia probet infinitatem diuinæ potentia: ergo actiuitas agentis attenditur ex perfectione, & multitudine formæ. Et recolenda sunt, quæ ex D. Thoma 3. p. quæst. 8. artic. 5. diximus quæst. 25. num. 9. nam ibi omnium radicem assignat Sanctus Thomas illis verbis: *Oportet quod idem sit actus, quo aliquid est actu, & quo agit.* Cum ergo agens sit actu per formam, & hæc sit eius virtus actiua, iuxta eius mensuram perfectionis, & quantitatis, attenditur actiuitas agentis. Quia de hac conclusione, sic in genere proposita, non potest esse dissidium; in ea amplius firmanda detineri non oportet.

22 Dico secundo, intensio forme nō se habet per accidēs ad actiuitatē: imō ceteris parib⁹, quō forma est intensior, eo est maior actiuitas agentis. Hęc est contra Toletum: sed conueniunt in ea Authores primæ, & tertie sententiæ: nec negatur à M. Soto, quia solū solut. ad 5. no tab. 3. ait, quod est insignis fallacia dignoscere multitudinem formæ p̄ces intensionem: quia sine intensione potest esse maior multitudo, quæ sufficiat ad nobiliorem effectum. Iuxta sensum conclusionis sequentis. Solum ergo sequētē cōclusionem docet, & huic non opponitur.

23 Rationes omnes primæ sententiæ ad minus hanc cōclusionem cōuincūt. Manifesteque probatur ex dictis, & ab ipso Toletō concessis: nam quō forma est perfectior, eo est maior actiuitas agētis, cum forma sit ratio agendi, & perfectior forma, perfectior ratio agendi: sed forma intensior est essentialiter perfectior, quam remissa, vt ostendimus q. 15. §. 7. ergo intensio nō se habet per accidens ad actiuitatem formæ.

24 Alia ratio sumitur ex D. Thoma 3. Metheororū lec. 6. nam *modus operandi consequitur modum essendi*. Et 3. p. q. 77. ar. 3. *Vnumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere*. Quod, & docet. 1. p. q. 75. art. 2. & 3. & q. 89. art. 1. & alibi sæpe. Sed intensio dat meliorem essendi modum, & perfectiorem terminationem quantitatis perfectionis qualitatis actiuæ: ergo perse se habet ad maiorem actiuitatem maior intensio formæ.

25 Dico tertio, stante æquali intensione qualitatis agentis, & passivi, si sit excessus in multitudine formæ, potest (etiā directe, & perse) in illud agere. Ita M. Soto illo notab. 3. & probant argumēta secundæ sententiæ. Præcipue tamen vim facimus in eo, quod hęc conclusio videtur sequi ex prima, quam certissimam diximus. Hanc autem ex illa deduci, sic probatur, quia maior actiuitas agētis sumitur ex maiori perfectione formæ: sed maior perfectio formæ est eius multitudo quā eius intensio: ergo præualere potest multitudo formæ intensione. Probatur minor, quia intensio tantum est perfectior terminatio quātitatis virtualis, multitudo est maior quantitas virtualis: ergo multitudo præualet intensionī.

26 Dices præualere quoad extensionem; non vero quoad intensiōnē: nec intensiōnē vnus posse præualere intensionī alterius, quia cætera non sunt paria.

Latet in hoc tota æquiuocatio oppositæ opinionis, quia verū est, quod multitudo quantitatiua, præcise ex maiori quātitate, solum affert maiorem extensionem. Cæterum quando sub maiori quantitatis extēsiōne est maior quantitas virtualis qualitatis, & plus de forma substantiali, simpliciter est plus actiuitatis, & virtutis: ergo vincere potest æqualem alias intensiōnem. Imō tanta potest esse multitudo, quod potest vincere maiorē intensiōnē alterius, vt in casu Philosophi relato n. 20.

27 Deinde, quæ comparatiuē ad

ad proprium subiectum dant extē-
sionem, in ordine ad agendum dāt
intentionem, si aduentur illæ par-
tes, & agāt respectu eiusdem: quia
agunt per modum vnius, & res-
pectu eiusdem. Quod explica-
tur sumpto argumento à for-
tiori: nam videmus plura agen-
tia partialia, quorum singula non
pollunt effectum producere, si ad-
nētur, & vicē habeant vnius agen-
tis totalis, efficiunt effectum exce-
dentem virtutem singulorum, sed
non excedentem virtutem totius
multitudinis, vt cōstat in pluribus
trahētibus nauem, quæ à nullo so-
lo trahi potest. Ergo pariter si pars
formæ non potest agere in aliā for-
mam æqualem in intentione; si ta-
mē hæc adunetur cum alia parte,
multitudo formæ agentis vincere
valet intensionem passi.

28 Præterea conclusionem no-
stram videtur supponere S. Tho-
mas 2. 2. q. 24. artic. 5. ad 2. dicens,
*quod additio luminis ad lumen, potest in-
telligi sic, quod intenditur in aere propter
diuersitatem luminarium causantium lu-
men.* Sentit ergo S. Thomas, quod
multitudo formæ agentis causat
maiores intensionem. Et in 2. di-
stinct. 13. quæst. 1. artic. 3. ad 2. ait,
*quod non intelligitur conunctio, & sepa-
ratio luminum, nisi secundum intensionē,
& remissionem luminis, multiplicatis,
vel subtractis luminariibus; quorum ra-
dij confusi esse dicantur propter lumina-
rium distinctionem.* Seclusa ergo alia
causa, præter multiplicationem lu-
minarium (de qua sola loquitur S.
Thomas) etiam actione directa est
intensio luminis multiplicato lu-

minari; & eius remissio eo substra-
cto. Nec enim vllum verbum ego
reperio, quo indicet S. Thomas se
loqui solum de actione reflexa;
vel indirecta. Denique clarissimē
intentum docet Sanctus Tho-
mas capite 2. de Diuinis Nōmini-
bus lectione secunda, illis verbis:
*Quinimo ex diuersis luminariib⁹, sicut ex
diuersis causis agentibus fiet vnum lumē
tantum intensius in aere, & vno lumina-
ri subtracto cessaret super additio inten-
sionis: sicut ex pluribus causis calefacien-
tibus intenditur calor in calefactibili, &
vna causa subtracta minuitur calor.*
Quod dicit S. Tho. necessario di-
cendum, iuxta veram sententiam
asserentem, quod lumen non est
corpus, sed qualitas, vt demōstrat
S. Tho. 1. p. q. 67. ar. 2. & 3.

29 Dico tertio, diuersitas in dēsi-
tate, & raritate, & alijs dispositio-
nibus subiecti, sufficit vt produca-
tur effectus, nō solum intēsiōr, sed
etiam vt inducatur forma substan-
tialis, quæ alias non induceretur.
Prior pars sumitur ex D. Thom. 3.
Metheor. lectione 6. litt. f. quæst.
1. de coloribus Iridis, vbi ait:
*Quod lumē existens in medio debilius o-
peratur, quam existēs in corpore lucido,
vel illuminato: debilius autem operatio
consequitur debilius esse; quia modus ope-
randi consequitur modum essendi.* Fauet
in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. q. 4. ad 5. vbi
docet impediri reuerberationem,
si speculum opponatur directē ra-
dio Solis: quod prouenit ex diuer-
sa receptione lucis.

30 Vtraque pars probatur pri-
mo ex doctrina S. Tho. 3. Phys. lec.
4. & in 2. dist. 15. q. 1. artic. 2. ad 6.

communiter recepta, quod agentia corporalia, quæ operantur per virtutem diffusam, licet non possint operari a distans, quin agant in propinquum: sed tamē possunt in remotū aliquid operari, quod nō operantur in medio, *sicut exigit dispositio viriusque: sicut piscis, qui detentus in rete, stupefacit manū, præter hoc quod stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est.* Et Sol in visceribus terræ operatur metalla, & non in aere, quia ibi ad hoc dispositionē non inuenit. Similiter magnes non attrahit palleam, & attrahit ferrum. Vnde Sanctus Thomas quæst. 5. de Verit. art. 9. ad 17. ait, *quod actio agentis recipitur in medio per modum mediij: & ideo quandoque alio modo recipitur in medio, quam in ultimo: sicut virtus magnetis attrahentis ferrum, deferitur ad ferrum per mediū aerē qui non attrahitur: & virtus piscis stupefacientis manum, deferitur ad manum mediante reti, quod non stupefacit.* v. dicit Cōm. 8. Phys. com. 37. ergo similiter virtus, quæ de se capax non est in aliam agendi, si tamen diuersa adsit dispositio, poterit in illam agere.

31 Pariter videmus ignem inflamare stuppam, vel sulphur distans, & non aerem inter medium: eo quod inuenit dispositionē in stuppa, ratione cuius potest crescere calor vsque ad summum: cum autem calor diffundatur vniiformiter difformiter, in parte magis distanti erat calor minus intensus: ergo iam ratione diuersæ dispositionis subiecti crescit intensio effectus.

Obijcies, forma substantialis nō introducitur nisi introducta summa dispositione: sed qualitas remissa non valet introducere summam qualitatem: ergo nec valet introducere formam substantialem.

32 Retorquetur argumentum, & amplius firmatur conclusio: nam accidens in virtute substantiæ producit substantiam, vt diximus 2. Phys. q. 10. docuimus autē hoc lib. 9. 8. causalitatem effectiua non cōuenire dispositionibus cōmitantibus a forma fluētibus; sed solum dispositionib⁹ præuijs. Cum ergo istæ aliquando sint minus intentæ; imo nunquam æquentur vltimæ dispositioni, si in virtute substantiæ valent producere substantiam, etiam poterant producere qualitatem magis intensam, quam sit ipsa qualitas agentis, si secundum se firmatur.

33 Occurri potest ex doctrina Suarez. disput. 18. Metaph. sec. 8. num. 31. non posse agens agere intensius indistans, quam in propinquum, quin medium deseruiat tãquã coëficiens instrumentale, aut parziale ad agendum in remotum, saltem quoad illum gradum maioris intensiōis: alioquin sequitur illam actionem, quatenus est intensio in tali gradu, fieri ab agente remoto immediate in passum distans absque vlla actione circa medium, vel per medium: quia actio remissa, quæ fit in medio propinquo, per se non confert, nec continuatur cum actione in distans, nisi ad summum vsque ad similem gradum: et

illa intentio maior, que fit in distantis, est actio in mediata in illud sine medio. Sicut si totum mediū, & passum distant, prius essent calida vt quatuor absq; actione ignis; & deinde ignis applicatus, inmediate intenderet illum calorem in distante passū, & non in medio; sine dubio illa actio esset inmediate in distantis: ergo idem erit, etiam si calor vt quatuor factus sit ab eodem igne.

24. Sed contra hoc est primo, quia non satisfacit exemplis adductis, quia Sol media luce causat metalla in visceribus terræ, & pariter piscis stupefacit manum: & tamen nec aer, nec rete coadiubant, nisi deferēdo virtutem diffusam. Deinde, si in parte proximiori est dispositio ad qualitatem minus intensam, & in remota ad magis intensam, cum vnumquodque recipiatur ad modum recipientis, ex diuersa dispositione non est cur non diuersificetur effectus. Demum, si in medio est qualitas minus intensa, reuertat illi explicandum, quomodo coefficere possit effectum intensiorem in parte distantis? ¶ Facile ergo dicimus non esse inconueniēs, propter diuersam dispositionem, eandem qualitatem diffusam in vna parte habere effectum diuersæ rationis, ac habet in alia: & quod in vna habeat effectum sibi proportionatum; & in alia habeat effectum excedentem virtutem propriam, sed non excedentem virtutem principalis agentis à quo deciditur, & in cuius virtute agit: nec excedentem virtutem omnium agentium coadu-

natorum ad vnum effectum, quando partialiter est à pluribus. Quod totum tandem fatetur Suarez loc. 9. 136.

35. Ad argumenta proposita à n. 9 vsque ad 11. responderetur eorum intentum ad mittendo, si cætera sint paria; secus si sit excelsus in multitudine, vel accidentia agant in virtute substantiæ; vel subiectum sit indispotum pro vno effectū, & dispositum pro alio: sicut in fluxu Solis, & aliarum causarum varios effectus in inferioribus producant iuxta variam dispositionem inferiorum.

Quæ adducuntur n. 13. vsque ad 16. nobis fauēt: & quatenus opponi possunt secundæ conclusioni, vel tertiæ, soluta sunt n. 26. & doctrinam conclusionum conferendo facile est de omnibus iudicare.

6. III.

De reflexione.

36. Solet præterea principaliter probari conclusio experientia actionis reflexe: videmus enim ex reflexione lucis aerē reddi clariorem; siquidem melius sibi legitur, vel videtur aliquid: similiter si obliuatur corpus tersum, ei acclatur simile lumen vsque ad aliud corpus; sicut dicitur 1. Machabeorum 6. *Resulsi Sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis.* Item experimur aliquando generari ignem luce Solis media crystallo illi obiecta: sed horum, & similiarum non potest assignari alia causa nisi virtus agentis.

agentis principalis, quæ melius operatur ubi meliorem inuenit dispositionem: ergo raritas, & densitas, & aliæ dispositiones subiecti sunt in causa vt intensior producat effectus.

37 Sunt qui actionem reflexam negent. Sed quia luce ipsa Solis vident se conuincendos; admittunt reflexionem in lumine, & in alijs qualitibus negant. Ita Paulus Aresius hic q. 4. sec. 9. & quidam Recentiores.

38 Caterum cum difficultates omnes communiter æquè vrgeat in luce, ac in alijs qualitibus, nõ est cur ad euadendas difficultates, in eis reflexionem negemus. Deinde, in calore, & in igne, & in alijs experimur plus vigere, quãdo obfistēs prohibet vltra progredi. Vnde S. Th. lib. 2. de Cælo lec. 10. lit. e. post medium, ait: *Tales enim reflexiones per contrarésistentiam corporum, non solum competunt corporibus sed etiã qualitibus: nam & calor reflectitur, cum inuenit obstaculum, & similia huiusmodi.* Et 2. de Anima lec. 14. litt. g. docet, quod calor reuerberatur, cum habet obstaculum. Et in generatione soni esse resilientiã, docet S. Tho. 2. de Anima lec. 16. lit. f. & lec. 17. lit. f. Ergo absque firmo fundamento negatur in alijs qualitibus reflexio. Ea ergo supposita, causæ illius sunt inueuigandæ.

39 Primus modus dicendi est, quem iam retulerat, & reiecerat Suarez disp. 18. Met. sect. 9. nu. 32. & approbat Cabero disp. 8. dub. 3. docens, quod dum agens principale in minori sphæra operatur, inten-

sus agit in partibus eius, quã si actio eius ad maiorem sphæram diffunderetur: eo quod virtus collecta ad pauciora fortius agit in singulis. Vnde ignis producturus calorem per spatium duarum vlnarum: si inter vtramque vlnã ponatur obstaculum, ipse ignis reduplicat actionem, quã in toto illorum vlnarum spatio exercere intēdebat.

40 In multis tamē deficit, in primis, quia sequitur, quod quanto corpus obfistēs est magis proximũ principali agenti, tãto intēsius operaretur: vnde si corpus opacũ propè Solem poneretur, in illo, & in aere immediato produceret totã lucem, quam in toto Orbe producit: quod est apertè fallum. Sequitur etiam, quod quodlibet corpus opponeretur, æqualis esset reflexio: quod euidenter aduersatur experientia; siquidem nec res nigra æquè reflectit lucē, ac res alba; nec hæc æqualiter ac speculũ. Tertio sequitur æquali proportione duplicandam actionem reflexam per totam sphæram: cũ tamen videamus partibus proximioribus corpori obfistēti fortius fieri reflexionem lucis, vel caloris.

41 Aliter Arriaga disp. 3. sec. 8. sub. 2. & 3. respõdet intentionē illã maiorē ab ipso Sole immediate produci, posita tãquã conditione, existentia crystalli natura sua reflectentis. ¶ Sed cõtra primo, quia sola variatio cõditionis, si non adsit maior virtus agentis, nõ sufficit ad intēsiore effectũ; quia eũ causa nõ cõtrinet. Secũdo, quia illa cõditio, vel

vel est diuersa dispositio passivæ: Et sic incidit in nostram sententiã, quam reliquerat. Vel est fortificatio virtutis: & illa explicanda restat. Tertio, cum medio crystallo generatur ignis in stappa, vel papyro; videndum quæ conditio sufficit ut substantia generetur?

42 Recentiores alij respondent per reflexionem produci novam lucem ab obsistente in medio sibi proximo; talem tamen, quæ non intendat lucem directam antea productam; sed quæ alteram intentionem numero diversam constituat; quod non est inconveniens, quia hæc lucēs habent diversa manera in eodem medio. Quod constat in speciebus intentionalibus: dug enim species eiusdem obiecti numero diversæ dantur simul in eodem medio, quarum una representat obiectum directam, & alia reflexam.

43 Etiam hanc dicendi modum obiter impugnaverunt Suar. illa sec. 9. n. 35. dicens, quod hæc multiplicatio luminum, licet Perspectivis placeat, à Philosophis non est recepta; siquidem accidentia plura numero nequeunt esse in eodem numero subiecto.

44 Deinde sequitur, quod in ære sunt tot numero lumina, quot in cælo sunt astræ: nam respectu eiusdem medij quædam illuminant directam, alia reflexam: consequens autem per se apparet incredibile. Tertio, si duo agentia causarēt ambo directam; vel unum esset intensius alio; illa lumina non distinguerentur numero; sed unum lumen intensius producerent: sed situs agentium directus, vel reflexus non facit, quod lux in eodem medio cau-

sata maneat indistincta: ergo non sunt plura numero lumina, ut nota fuerat iam S. Tho. relatus n. 28. Denique admissis illis diversis luminibus, manet ferè tota difficultas cur in reflexione maior appareat lux in ære immediato, quam in remoto ab obsistente? Cui satisfacere nequeunt, nisi recurrendo nobiscum ad diversam subiecti dispositionem.

45 Exemplum in contrarium adductum de speciebus intentionalibus, cessat, si cum Soncinate 7. Met. q. 9. ad 2. dicatur, quod distinctio numeralis accidentium intentionalium, non est accipienda ex parte subiecti; sed ex parte suarum causarum efficientium. Nec urget tenendo cum Caiet. (Medina, & Nazario, & cum alijs Thomillis) 3. p. q. 35. ar. 5. §. *Ad secundam objectionem*, quod in esse sensibilis duo alba sunt diversarum rationum, & quod species diversorum individuorum sunt diversarum specierum, quia ipsa individua diversa sunt diversarum rationum: & representantur adhuc inquantum distinguuntur: & sic sunt diversæ speciei in esse sensato. Quod opportunius alibi discutendum reservamus.

46 Verò similior est solutio quam tradunt PP. Carm. in Physica disp. 15. q. 3. n. 42. & in præteriti disp. 8. q. 2. n. 19. quod sicut applicatis duobus luminosis æqualibus, lumen non intenditur, sed extenditur: ita contingit in reflexione, quod non intenditur, sed extenditur lumen, ex eo quod opaca corpuscula, quæ in medio aeris residet, & illum in partem reddunt, non illuminantur ex omni parte per actionem directam, quia opacitas illorum

id impedit: per reflexionem autem ex omni parte illuminatur, & ideo ad se sum apparet maior lux: cum tamen solum creuerit extensiuæ, non intensiuæ.

47 Negare non possumus aliquando ita contingere, ut admittimus lib. 2. Phys. q. 22. s. 1. Cæterum non potest solutio esse vniuersalis, nam & si aer dictis corpusculis careret, posset esse reflexio: & tunc illius maioris lucis causæ essent inuestigandæ. Deinde, per reflexionem non solum illuminatur aer, sed etiam paries, vel clypeus aureus è regione oppositus; & in illis non est refugium confugere ad corpuscula opaca. Deinde in corporibus celestibus est reflexio lucis: sine illis corpusculis. Possunt item esse tres, vel quatuor reflexiones iuxta multitudinem speculorum, vel clypeorum reflectentium, vel impediendum lumen: & tunc non facile valet explicari reflexio per corpuscula opaca. Demum, quia diximus in igne, & calore esse posse reflexionem: & tamen omnia corpuscula in medio residentia calehant versus omnem partem ab igne: ergo non est sola multiplicatio, & extensio lucis, sed aliquando maior intentio.

48 Restat ergo dicendum cum M. Ioanne à S. Thoma illa q. 5. art. 2. s. Quia propter: & Suarez illa sec. 9. n. 36. Hurtado disp. 9. Phys. lect. 9. & alijs, quod hæc diuersa operatio prouenit ex diuersa recipientis dispositione: quæ tamen se sola non est causâ directâ reflexionis; sed solum in quantum sic determi-

nando, vel modificando influxum agentis principalis, est occasio ut eius virtus principalis magis explicetur. Vel in quantum multiplicatis qualitatibus in diuersis partibus, adunantur ad intendendam qualitatem in eadem parte; quia non est inconueniens, quod vnus gradus producat ab vno agente, & eius intentio ab alio, ut supponit S. Thomas relatus nu. 28. Similiter ad sensum videmus, quod si lignum applicetur igni, si in partibus remotis est siccum, & in partibus proximis humidum, vel viride, inflammat, vel calefit in partibus remotis, & non in propinquis: idem patet alijs exemplis adductis in probatione 3. conclusionis.

49 Sed opponunt aliqui absque fundamento asseri, & contra rationem, quod omnia obliuientia sint capaciora qualitaris secundum quam fit reflexio, quam alia corpora intermedia. In primis densitas reperita in obliuente non reddit subiectum capacius luce, vel alia qualitate recipienda: eo quod densitas est multitudo partium sub parua dimensione, vel loco: quod nihil iuvat ad recipiendam lucem, quia vna pars subiecti non disponit aliam ad qualitatem recipiendam. Similiter nec tertia, quæ ad reflexionem conducit, non potest subiectum reddere magis capax ad qualitatem recipiendam: eo quod partes non esse eminentiores alijs (quod per tertiam significatur) impertinens est ad qualitatem recipiendam.

Secundo, crysallus non magis est capax lucis, quam aer: & tamen reflectit

flectit crystallus, & non aer: nam si ponatur supra chartam, charta est minus lucida, quam esset, si rātum supra se aerem haberet: ergo corpora reflectentia, nō sunt capaciora lucis, alijs corporibus non reflectentibus. Vnde videmus crystallum intensius reflecti cum habet à tergo argentum viuum: quod est minus capax lucis, quam aer.

Vltimo, nam certum est aquam esse minus diaphanam, minusque capacem lucis, quam est aer: nihilominus aqua est reflexiua lucis, & non aer.

50 Hæc tamen argumenta impugnant, id quod non affirmamus, quod videlicet omnia obliuentia sint capaciora lucis. Sed solum dicimus, quod dispositio, quæ dat capacitatem ad obliuendum, modificat, & determinat qualitatem actiuam, & facit quod in tali subiecto sic disposito producat qualitas, quæ alias non produceretur: sicut anima in foemina generat lac, quod non generat in viro, propter diuersam subiectorum dispositionem: recolenda item sunt, quæ de motu resiliētæ diximus 7. Phys. q. 2. In particulari qualiter alperum, & lene conducat ad diuersam receptionem luminis, explicat S. Thomas 3. Meteororū lec. 6. q. 2. & de reuerberatione speculi videndus in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. q. 4. ad 5. Igitur dato quod istæ dispositiones non variant quoad substantiam; variant quoad modum conducentem vt fiat effectus, qui alias non fieret. Sola autem capacitas lucis sine opacitate corporis

terminātis, non sufficit ad reflexionem: & in hoc illa exempla desiciunt, & impugnant id, quod non asserimus.

QVAESTIO XXVI.

Utrum agēs vniuocum possit producere effectum sibi omnino æqualem?

s. I.

Negatiua sententia.

1 PROponitur ad examinandam sententiam P. Rubio hic cap. 9. tract. de Actione, & Reactione q. 6. quem sequuntur Recentiores eiusdem moti fundamētis. Dicunt ergo, quod si diuinitus duo corpora penetrarētur, posset agēs in passum producere effectum omnino similem, quia virtus agentis secundum totam intensionem est actiua: quia agens naturale nullo modo impeditum perfecte operatur. Per penetrationem autem agentis, & passus est perfectissima approximatione virtutis: ergo agit inquantum potest: ergo producit effectū sibi omnino æqualem in gradu intensiōnis.

2 Asserunt præterea, quod agens ratione maioris magnitudinis, aut densitatis, potest aliquando producere effectum eiusdem intensiōnis, & omnino similem: quia defectus approximationis compensatur densitate, & magnitudine, & alijs dispositionibus ad agendum requisitis. Et in his assertis nō dissentimus,

si intelligantur iuxta dicta q. præcedente.

3 Quod ingerit difficultatem, est quod asserit Rubio n. 95, videlicet, agēs eiusdem virtutis proportionatum passio secundum densitatem, & magnitudinem, non penetratum cum eo, sed ei contiguum, non posse producere effectum circa ipsum æqualis intensiois. Probat hac ratione: approximatio agentis ad passum est cōditio necessario requisita ad agendum: & ideo propter maiorem, vel minorem distantiam diuersarum partium respectu agentis asserunt omnes uniformiter difformiter circa illas agere; & ideo in partibus proximioribus intensius. Sed agens, & passum non sunt perfecte approximata, etiam si sint contigua, nisi se penetrant: ergo non poterit agens producere totam intensioem, quam habet. Minor probatur primo, ea quæ non sunt simul, aliquomodo distant, & non sunt perfecte approximata: sed ea quæ nō se penetrant, nō sunt simul: licet sint cōtigua: ergo nō sūt perfecte approximata. Secundo probatur minor, quia se penetrare duo corpora idē est, ac esse simul loco, vel spatio: corpora autem contigua diuersis spatijs correspondent: ergo distāt saltem negatiuē: ergo non sunt perfecte approximata vt requiritur ad agendum, & patiendum.

§. II.

Vera sententia.

4 Dico tamē primo, etiam sine penetratione, agens vniuocum potest producere effectum eiusdem omnino intensiois. Hanc videtur supponere fere omnes Authores quæstione præcedente pro omnibus sententijs relati; licet nō expresse discutiant. Sumitur ex D. Thoma 1. 2. q. 6. art. 1. dicente. *Materia quandoque recipit formam agentis secundum eandem rationem prout est in agente, sicut est in omnibus agentibus vniuocis.* Et q. 7. de Potentia art. 1. ad 7. ait. *Quando effectus perfecte assimilatur agenti, utpote ad æquans agentis virtutem, tunc forma effectus est in agente secundum eandem rationem; ut patet in agentibus vniuocis, ut cum ignis generat ignem, quod & docet S. Thomas 1. p. q. 13. art. 5. & alibi sæpe.*

5 Ex quo sumitur prima probatio, quia vna substantia valet generare aliam eiusdem omnino perfectionis, etiam sine penetratione agentis, & passii: ergo vna qualitas actiua valet aliam producere, etiam sine penetratione, supposito quod sit qualitas actiua.

Dices posse sibi similem producere in specie; non tamen in accidentibus individualibus; & de illis procedit difficultas.

6 Sed contra: nam vt docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus cōsequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed

sed etiam secundum modum fieri, vel essendi: ex debilitate enim virtutis actiue in semine cōtingit, quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Ergo pariter si qualitas actiua accidentaliter fuerit perfecte actiua, & efficax, poterit aliam producere sibi similem in specie, & modo.

7 Præterea principaliter conclusio probatur, & æquiuocatio sententiæ oppositæ tollitur: nam in corporalibus ad agendum requiritur approximatō sufficiens ad contactum quātitatium, & situalium; qui est solum secundum vltimam superficiem tangentis, & tacti, vt docet S. Thomas 2. contrag. cap.

56. nec vlla ratione, aut auctoritate probari potest maiorem approximationem requiri vt corpora ad inuicem agant, & patiantur: ergo defectu approximationis non impeditur actio. Supponimus autem qualitatem esse actiuam, & productiuam sui similis (nam de ista loquimur) ergo non est cur nō producat eiusdem intensiōis effectum. Probatur consequentia, quia vt docet Sanctus Thomas quest. 5. de Veritate artic. 9. ad 9.


Omne agens intendit assimilare sibi patiens secundum quod potest. Et 2. de Anima lec. 10. lit. a. concludit: Agēs enim agendo assimilatur sibi patiens. Et lectiōne 14. litt. g. in fine, ait: Omnis forma, in quantum huiusmodi, est principium agendi sibi simile.

8 Explicatur amplius: nam agentia corporalia actiua ad extra, non operantur nisi diffundendo

sua virtutem: ad hoc autem nō requiritur quod sint intimè in rebus (vt Deus in illis, & in omnibus adest) sed sufficit, quod quascumque passio contiguerit: quod fit per iuxtapositionem, etiam sine penetratione, aut continuatione: ergo per solum contactum est sufficiens approximatō: quia vt ait Sanctus Thomas quæstione tertia de Potentia articulo 11. ad quintum, oportet mouens, & motum esse simul quantum ad motus principium; non tamen quantum ad totum motum, vt apparet in proiectis: de quo 2. parte Metaphisicæ Controuersia 13. articulo tertio, & libro secundo Physicorum quæstione 15. concl. 3.

9 Sed obijcies, si calor vt octo valet producere calorem vt octo, & calor vt quatuor calorem vt quatuor: ergo non habent terminum suæ actiuitatis. Patet consequentia, quia calor productus est eiusdem actiuitatis cū calore producente: ergo valet idē facere ac sua causa fecit. Sed hoc est aperte falsum cū nullam qualitatem creatam experiamur sine termino diffundi,

di, vel multiplicari. Vt respondeatur.



s. III.

D. Sphæra actiuitatis.

10 **D**ico secundo, omnia agentia naturalia habent sphæram suæ actiuitatis. Est Phylosophorū communis. Et hinc manauit illud proloquium, quod *agentia ista agunt vniiformiter & formiter*, idest a sūmo gradu vsque ad nō gradū, vt declarāt M. Soto. 1. Phys. q. 4. in fine. Bāñez hic cap. 6. q. 3. conc. 2. & Tolerus q. 16. ad 3. & Suarez disp. 18. Meta. h. sec. 8. n. 48. Paretque experientia: nam vt ait S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 7. *ignis in propinquiora fortius agit, quam in remotiora*: & quo magis ab eo elongamur, minus sentimus eius actiuitatem. Idemque patet in luce, frigore, & calore, & in similibus accidentibus, siue physicis, siue sensibilibus, & intentionalibus. Et ab incōuenienti id probat S. Tho. 1. 2. q. 5. art. 6. ad 2. dicens: *Neque enim omnia, quæ sunt illustrata, aut calefacta, possunt alia calefacere, & illuminare: sic enim illuminatio, & calefactio essent vsque in infinitum.*

11 Huius rationem à priori desuperant posse assignari Hurtado, & Arriaga disput. 3. sect. 13. & Cabero disput. 8. dub. 3. & ad solam experientiam dicunt confugiendum.

Cæterum hac via possent maiorem Physicæ partem ommittere, dicendo sufficere experientiam, & eorum quæ experimur rationem non esse quærendam. Deinde, ex-

perientia artem: facit, vt docet Philosophus 1. Metaph. quatenus, vt ibi declarat S. Thomas lec. 1. lit. e. ex multis experiencijs apprehensis, fit vniuersalis acceptio de omnibus similibus: & Phylosophorum curæ est, eorum, quæ experiuntur, rationem inuelligare.

12 Rationem ergo à priori tangit S. Thomas relatus q. 22. n. 3. & 1. p. q. 67. art. 3. ad 1. & q. 104. art. 1. quia qualitas in subiecto proprio, & connaturali permanentiori, & perfectiori modo est, ac in subiecto extraneo, & non connaturali: sed diffusio qualitatis (nō producta substantia) semper est generatio sibi similis in subiecto non connaturali: ergo ibi minoris est permanentiæ, & inefficacioris actiuitatis; quamuis contingat eandem habere intensiōem. Cætera patent: & maior probatur, quia vnumquodque recipitur admodum recipientis: & qualitas in substantia, à qua dimanat, est in subiecto connaturali: in subiecto verò alio est vt in non connaturali. Vnde videmus non permanere lucem in aere, nisi ad præsentiam illuminantis, & calorem in aqua, vel in aere minus durare, & minorem habere actiuitatem, quam habeat in igne: non solum quia est intensior; sed quia est vt in subiecto connaturali. Et hæc est causa cur paulatim per diffusionem debilitatur actiuitas accidentis, ita vt à summo gradu procedatur vsque ad non gradum. Quæ sphæra actiuitatis non est eiusdem rationis in omnibus agentibus, iuxta diuer-

diuerfas ipsorum naturas. Et sic solutum manet argumētum obiectū num. 9. sicut enim calor naturalis in materia adueniēte debilitatur; ita diffusio qualitatis in subiecto extraneo, vel distanti, semper de crescit vsque ad non gradum, quia vna ex conditionibus ad efficaciter agendum, est connaturalitas subiecti, & debita approximatio.

13 Ad argumentum propositū n. 3. concessa maiori, negatur minor. Ad probationes responderetur, quod in illis confunditur approximatio, & accipitur pro eodem ac penetratio; cum tamen in corporalibus, quæ sunt approximata, necessario debeant differre in situ: quia licet sint contigua, non sunt continua, nec intima; & ideo licet eorum vltima sint simul; non tamen sunt vnum. Deinde, vt inquit M. Bañez c. 9. q. 4. ad 2. licet cōtactus sit in superficie; actio tamen, & passio est in corpore, quia tactus est sola conditio. Superficies autē dupliciter consideratur: vno modo rātū vt superficies: & sic quodā modo indiuisibilis est: alio modo vt est terminus corporis: & ob id in corpore est passio, quia superficies non sunt, quæ se tangunt vt quod, sed corpora secundum superficies.

14 Præterquam quod, cum agāt per diffusionem virtutis, sufficit, quod cōtiguantur in principio diffusionis, & postea virtus diffusā potest distare, & non esse immedia ta agēti à quo emanauit: & in hoc differunt agentia corporalia à spiritualibus. Quod egregiè notat S.

Tho in 1. dist. 37. q. 1. ar. 1. dicens, mouens, & motū, agens, & patiens, & operans, & operatum, oportet simul esse, vt in 7. Physic. text. 10. probatur. Sed hoc diuersimodè cōtingit in corporalibus, & spiritualibus: quia enim corpus per essentiam suā, quæ circumlimitata est terminis quantitatis, determinatū est ad situm aliquem, non potest esse, quod corpus mouens, & motū sint in eodem situ: vnde oportet, quod simul sint per contactum: & sic virtute sua immutat corpus, quod immediatè sibi cōiungitur: quod etiam immutatum aliud immutare potest vsque ad aliquē terminum. His verbis fere totius quæstionis doctrinam complex⁹ est S. Tho. quæ exposita est n. 7. & 8.

QVAESTIO XXVIII.

De resistentia qualitatum.

§. I.

Quotuplex sit resistentia?

Resistere, si vocis originem attēdam⁹, testè Calepino, duo significat, nempe, *gradum sistere*; & *aduersari*, seu *repugnare*. Hinc ortum duxit duplex resistentia; alia quæ dicitur actiua; alia quæ vocatur passiuā; prima correspondet secundæ, & magis vsitatæ vocis significationi, quia repugnare, & quasi aduersus alterum dimicare, agendo fit; secunda etiam habet locum in priori significatione; quia etiam nil agendo, possumus alterius gradum sistere. Vtriusque meminit S. Thom. in 4. dist. 5. q. 1.

art. 3. q. 3. ad 4. & dist. 11. q. 1. art. 3. q. 3. ad 2. dicens, quod potest esse resistentia dupliciter: uno modo ex parte agentis, quando scilicet, ex contrario agente virtus ipsius debilitatur: alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impediuntur effectus. Et distinct. 17. q. 1. artic. 5. q. 1. ad 2. ait, quod contrarium inuentum in subiecto resistit actioni dupliciter: uno modo inquam agit in ipsum agentem; quod patet in mutuo agentibus, & patientibus: alio modo impedimentum præstando in ipso susceptibili ad receptionem formæ. Et infra ait: Contrarium autem impedit ne suum contrarium in subiectum recipiatur, formaliter, non actiue, inquam scilicet facit potestiam non esse propriam illi formæ. Itaque resistentia actiua est ex parte agentis, sicut ignis resistit aquæ eam debilitando, & frigiditatem minuendo: resistentia passiua se tenet ex parte indispositionis subiecti, vel contrariæ, vel ineptæ ad formam: & ideo solet etiam resistentia formalis nuncupari, eo quod vna forma alteri formaliter repugnat, & est impossibilis in eodẽ subiecto.

2. Aliam resistentiæ diuisionem tradunt Bañez hic c. 9. q. 3. & ibidẽ Conimbric. & alij dicentes resistentiam esse triplicẽ, nẽpẽ, negatiuã, priuatiuã, & contrariã. Negatiua est quãdo subiectum non est capax recipiendi formam: sicut celũ dicitur negatiue resistere calori, & frigori; quia istarum qualitatum est incapax. Resistentia priuatiua appellatur, quando patiens difficile cedit actioni agentis; vt res durissima difficile frangitur; & colũ-

na firma resistit impellenti absque aliqua actione. Resistentia contrarietatis appellatur quando passium per qualitates cõtrarias adiuuas resistit agenti. Hanc diuisionem multi confundunt cum præcedente; ceterum M. Bañez eas proponit vt diuersas diuisiones resistentiæ; in id priorem diuisionem videtur facere subdiuisionem istius.

3. Alijs terminis Suarez disp. 43. Metaph. sec. 1. nu. 8. dicit duobus modis contingere vnam rem alteri resistere: primo formaliter per immediatam repugnantiam: secundo radicaliter, & quasi per diminutionem virtutis alterius: & hæc est per actionem; prima verò resistentia conuenit etiam his qualitatiõ, quæ nullã vim agendi habent. Addunt alij resistentiam actiuam, & formalem esse duplicem; aliam in actu primo; aliam in actu secundo, seu in actuali lucta. Et dari posse resistentiam actiuam distinctam à formali: nam resistentia formalis dicit informationem: seclusa autem informatione dari potest resistentia actiua, vt si agentia se impediunt, & neutram formam introducat, nec contrariam expellat.

4. Verumtamen, quamuis differentia fortè solum ut in modo loquendi, melius totum percipitur ex notatis nu. 1. Et sic resistentia negatiua potest reduci ad eam, quæ se tenet ex parte passi, quia incapax est indispositio subiecti: & ita facit alium gradum sistere; & retardat alterius actionem, etiam dum conatur formam inducere. Ac per consequens sufficit resistentiam di-

stinguere in eam, quæ se tenet ex parte agentis, & quæ se tenet ex parte passi. Et in rigore neutra datur nisi in actuali pugna, vel actionum, vel formalis repugnantia, vel materialis indispositionis: & ratio est, quia obstaculū actionis, & pugna vnius agentis cum alio, vel accipitur ex parte agentis; vel ex parte patientis: si primum, est resistentia actiua: si secundum, est resistentia passiua, vel formalis; nō semper formæ, quæ inest; sed quæ impeditur ne iniat ob subiecti incapacitatem. His præmissis.

§. II.

Quo ordine conueniat?

Inquitur primo, quo ordine conueniat qualitatibus resistentia formalis?

Sunt qui absolutè affirmant, eo ordine conuenire resistentiam formalem qualitatibus, quo eis conuenit actiuitas. Pro qua sententia refertur Vallesius lib. 1. Controu. Medicarum cap. 5. & Cōtrou. 11. ad Tyrones. Petrus Martinez 1. de Gener. cap. 9. q. 3. & Niphus com. 195. q. 3. concl. 1. dub. 2. Et sequuntur Moderni, qui eam probant primo: nam qualitas magis actiua perfectior est alia minori actiuitate prædita: sed perfectionibus entitatibus perfectiores virtutes sunt tribuendæ: ergo qualitates magis actiue, sunt magis resistentiæ.

Secundo alij idem probant, quia eo maior est formalis resistentia, quo maior est, & virtus in conser-

uante formâ, & ipsa exigentia conseruationis in ipsa forma: sed qualitates magis actiue, & habent fortius conseruans, & maiorem exigentiam suæ conseruationis: ergo maiorem habent resistentiam formalem. Probatur minor, quia istæ qualitates conseruantur à forma, vel ab alia simili, vel perfectiori: ergo quo maior fuerit virtus qualitatis, eo melius conseruatur. Nec ex alio capite potest desumi maior exigentia conseruationis, quàm ex perfectione formæ: vnde sicut qualitas, quæ perfectior est, habet maiorem actiuitatem, ita habebit maiorem exigentiã suæ cōseruationis.

6 Communis tamen sententia docet resistentiam actiuam commensurari actiuitati, & perfectioni qualitatum, quibus agens agit; resistentiam verò passiua, seu formalem non esse æqualem actiuitati; sed quo res est maioris actiuitatis, eo esse minoris resistentiæ. Ita Soncinas 9. Metaph. q. 6. ad 2. Astu dillo hic q. 22. Bañez cap. 9. q. 3. notab. 3. Conimb. q. 3. art. 3. Suar. disp. 43. sect. 1. n. 11. dicens esse cōmunem, & passiuam alij, tam Thomistæ, quam extranei. Duplici argumento probat Bañez, & post eum alij. Primo, quia sic mutua actio, & passio inter elementa valet reperiri, & vnum tertium ex eis constitui, ipsis ob mutuam actionem, & reactionem corruptis: si namque ignis, cui maior inest actiuitas, minoris resistentiæ non esset, non corrumperetur ab actione aliorū elementorum; sed in se potius ipse cōverteret reliqua.

7 Præterea isti diuersi ordines experientia comprobantur: difficilius namq; corrumpitur terræ siccitas, quam aquæ humiditas, vt patet in fornace, vbi multo tempore siccitas perseverat, quocumque alio adiuncto. Aquæ item humiditas difficilius expellitur, quam frigiditas; calefit namque aqua; & tamen non siccatur: constat autem frigiditatem excedere calorem in resistentia; nam aqua facilius extinguit ignem, quam ignis calefaciat ipsam; ignis enim, qui est maximè calidus, est maximè passiuus à suo contrario: ergo ordo resistentiæ passiuæ oppositus est ordini resistentiæ actiuæ.

8 Huic tamen experientia respondent, quod difficilius dimouetur à subiecto siccitas, quam calor, quando siccitas est in subiecto denso, & calor in raro: secus verò quādo ambæ sunt in subiecto æquè denso, vel raro, & agentia sunt æqualis virtutis. Terra autem est nimis densa, & idè plures partes habet ad resistendum, quam ignis.

Rationem etiam priorum contemnunt, quia etiam si resistentia calidi maior sit resistentia frigidi, frigidum non impetit calidum sua resistentia, sed sua actiuitate; quia vbi non est impetus, ex vna parte saltem, non potest esse lucta, & cōcertatio: & idè in pugna harum qualitarum resistentia non congruitur cum resistentia, sed cum actiuitate: ergo victoria expectanda non est ex excessu inter resistentiam, & actiuitatem. Deinde admissio esse excellam, intelligitur ex

teris paribus: vnde & si fortius in aliquo vincatur, potest victoriam reportare, quia excessus aliud potest compelli, vt nos explicuimus q. 26.

9 Cæterum dum nos arbitrantur æquiuocatione laborare, ipsi videtur æquiuocè voces sumere, quasi *resistere* semper significet actiuè pugnare, & numquam accipitur pro hoc, quod est passiuè impedire alterius conatum, & alterius sũtere gradum: vnde qualitas potest esse resistentia hoc modo, etiã si actiua non sit. Fatemur ergo cōparationè debere fieri in sensu formali, & cæteris paribus. Adhuc autem hoc modo loquendo, sunt pro nobis manifestæ experientia; quia stante æquali densitate terræ, & aquæ, vel addèdo plus aquæ in quantitate, vt æquetur densitati terræ, videmus humiditatem aquæ consumi, & terræ siccitatem manere: & sic de alijs experientijs: de quibus latè Rubio c. 9. q. 2. n. 66. videmus enim terram maximè resistere igni, & fere nil agit in ignem. Et sic cessat prior responsio. Posterior nullius est momenti, quia arbitrantur omnè resistentiam esse per conatum actiuum; cum tamen resistentia, quam vocat formalem, possit esse passiuæ, & indispositio nullius actiuitatis.

10 Ad primum prioris sententiæ concedo maiore, & distinguo minore; perfectioribus entitatibus sunt tribuendæ perfectiores virtutes actiuæ; concedo minore; quia vnumquodque operatur in quantum est in actu. Sunt tribuendæ perfectio-

fectiores virtutes passiuæ, nego minorem; quia *unumquodque patitur secundum quod est in potentia*: vnde potentia passiuæ excluditur à Deo, vt ait S. Tho. 1. p. q. 25. art. 1. ad 1. Vnde inuersus est ordo in resistentia actiua, ac in passiuæ.

11 Ad secundum potest primo responderi distinguendo maiore; & concedo de resistentia actiua, tã sumpta pro virtute, quam pro actione agentis; negando verò illã, si loquamur (vt nos loquimur) de resistentia passiuæ.

12 Secundo respondetur, quod vt docet S. Tho. 1. p. q. 104. art. 1. & 2. dupliciter aliquid rem aliquã in esse conseruat: vno modo indirectè, & per accidens, per hoc quod remouet, vel impedit actionem corrumpentis. Alio modo directè & perse, quia ab eo dependet esse alterius, sicut à causa dependet esse effectus. Sic ergo conseruatio directa qualitatis actiue est à propria forma; sed indirecta est ab actione contrarij: vnde potest contingere, quod directa conseruatio sit perse diuturnior; & tamen defectu indirectæ conseruationis, quia non resistitur extrinseco corrupenti, per accidens minus duret; sicut cum occiditur animal, quod naturaliter erat longæ durationis. Deniq; falsum est, quod vnica causa conseruationis sit perfectio formæ.

Imò magis durat lapis, quam equus, & tamen forma equi est nobilior.



s. III.

Qualiter resistentia cõducatur ad successiõnem alterationis?

13 Secundo dabitur, vt rum resistentia formalis sit causa successiõnis alterationis?

Respondetur affirmatiuè: & ratio sumitur ex D. Tho. verbis relatis supra. q. 17. nu. 26. & 27. nam, quod aliqua forma non subito introducatur in materia, prouenit ex indispositione subiecti disponendi ad introductionem; & quia proportio ei, quod in materia resistit ad introductionem formæ, non vincitur à virtute agentis, in instanti, sed in tẽpore: vnde videmus, quod iuxta varias dispositiones, vel indispositiones, in maiori, vel minori tempore introducuntur formæ, & respectu fortioris agentis est minor resistentia: ergo resistentia passiuæ, seu formalis causat successiõnem alterationis.

14 Sed cõtra cõclusionem hãc cõmunem, & certam, solet obijci argumentũ inquirẽs causã, & modũ huius successiuæ productionis: supposito enim, quod ignis in prima applicatione non producat nisi tres, vel quatuor gradus caloris, quia ne produceret calorẽ vt octo, impedit indispositio, & resistẽtia aquæ, videtur, quod tẽpore sequenti non possit producere calorẽ vt quinq; & multo minus calorem vt octo: quia supponimus, quod tẽpore sequenti non augetur virtus ignis, nec additur ali, quã fuerat in principio; nec aquæ virtus minuitur: causis

causis autem naturalibus eodem modo se habentibus, idem producit effectus, cum sint agentia naturalia, & agunt quantum possunt: ergo si à principio nõ produxit calorem vt octo propter alterius resistentiam, vel indispositionem, nec tempore sequenti producere poterit calorem vt octo.

15 Respondet Neothericus quidam Societatis hic disp. 4. sec. 3. n. 26. quod postquam vnum agens in vno instanti produxit aliquos gradus in subiecto habente cõtrariam qualitatem, tempore sequente cessat à conseruatione illorum, Deo succedente loco illius ad illos conseruandos, quo fit vt ipsum agens vltterius suam protèdat actionem. Probat, quia calor productus in aqua non petit ex natura sua conseruari à causa secunda, sed rectè potest iuxta naturam suam conseruari à Deo loco causæ secundæ. Et quia aliter non posset agere, vt ratio dubitandi probat.

16 Parum tamen verisimilitudinis habet hæc euasio; imò parum est philosophica. In primis, quia dicit S. Tho. Opusculo de Motu cordis, esse ridiculum ad causam primam recurrere, quando adest principium inuiscum. In casu autè præsentis adesse, dicenda monstrabunt. Secundo, quia vt dixit Aegydius Coniuch relatus q. 8. n. 16. hoc est miserè pro Phyl. sopho refugium, quam primò occurrit aliqua difficultas in exponenda causa proxima, ea relicta, totam causalitatem Deo tribuere: cū tamen ipse causarum secundarum efficienciam, licet præueniar, non

tamen tollat, vt sapè diximus.

17 Tertio, vt ad intètum arguit S. Tho. 1. p. q. 104. art. 2. per idem cõseruatur res, per quod habet esse: sed Deus dat esse rebus median tibus causis secundis: ergo etiam res in esse conseruat median tibus causis secundis. Cum enim sint causa subordinata, necesse est quod effectus dependeat primo quidem, & principaliter à causa prima, secundario verò ab omnibus causis medijs. Et mirum, quod qualitates naturales in absentia contrarij cõseruètur à proprijs causis, & quod in præsentia cõtrarij à solo Deo conseruentur: cum tamen videamus se ad inuicè destruere, & corrumpere: quod non esset, si à Deo immediatè conseruarentur, vt cõseruantur Angeli. Imò concedunt, quod ad gradus superiores, & ad conseruandam intensionem concurrunt immediatè causæ proximæ; & id negant cum gradus inferiores debent alios producere: quod gratis, & sine fundamento videtur assertum.

18 Denique, vel hæc conseruatio est miraculosa; vel naturalis? Si miraculosa; minùs sufficienter Author natura prouidit de causis conseruationis naturalium agentium. Si naturalis; idem aget, causa à solo Deo conseruata, ac ageret si ab alia causa secunda conseruaretur. Constat autem, quod à principio non valuit totam intensionem, vel extensionem producere propter alterius resistentiam: ergo nec postea erit potens: siquidè supponimus, quod diuina conseruatio est

est naturę accommodata, & ei nō
superaddit vires.

Argumentum contrarium solu-
tione non indiget, quia sine proba-
tione assumit, quod nos negamus,
& multipliciter iam improbavi-
mus.

19 Alij Recentes respondent
ideo in secundo instanti qualitatē
agere, quod non produxit in pri-
mo instanti, quia in secundo mino-
rem inuenit resistentiam: cum enim
in primo cōgressu sint corrupti ali-
qui gradus; in secundo instanti re-
sistit solum secundum gradus re-
manētes; in primo vero resistebat
secundum omnes.

20 Solet tamē impugari: pri-
mo, quia, in ipsorum sententia, a-
gens non valet operari in instanti,
in quo non est: sed in illo instanti
illi gradus non sunt: & quod præ-
cesserint non dat nunc actiuitatē:
ergo in illo instanti non datur resi-
sistentia formalis omnium graduū.

Secundo, quia cum est minor
resistentia aquę in secundo instan-
ti, etiam est minor actiuitas ignis,
quia in conseruandis duobus gra-
dibus de nouo productis calorem
infumet.

21 Hęc tamen argumenta effica-
cia nō sunt; quia in entibus fluenti-
bus successiue ad desitionem vnus
aliud incipit, quia sufficit exillere
virtualiter, iuxta dicta lociscitatis
q. 8. n. 18. Deinde falsum est quod
actiuitas ignis consumatur conser-
uādo calorem. Præterquam quod
calor in igne licet à sua causa depē-
deat in fieri; non tamen in cōserua-
ri, & in aqua durat quādiu ipsa nō

reducitur ad pristinam frigiditatē.
Quare hoc solum displicet in hac
solutione, quia nō plene explicat
cur in secundo instanti minor sit re-
sistentia, & qualiter ex parte agen-
tis nunc exeat effectus, quia antea
non exiuit.

22 Melius ergo respondet M.
Bañez cap. 9. q. 3. ad 2. conforma-
tionem tertij. Cardinalis Toletus
q. 15. ad 4. & PP. Carmelitani disp.
8. q. 4. ad 3. quod vel procedit dif-
ficultas de agentibus media quali-
tate non connaturali ipsi subiecto
agenti (vt est calor respectu aquę,
vel ferri) vel de agentibus media
qualitate subiecto cōnaturali. Vel
procedit in casu, quod totum agēs
repatiat: vel quando reactio, &
palsio est in vna parte, & non in a-
lijs. Si hoc vltimo modo fiat, quali-
tas intensior non producit vir-
tute partis in qua agens repatitur;
sed virtute aliarum partium, à quī-
bus tandem corrumperetur frigidū,
& conuertetur in ignem. Si autem
totum agēs repatiat, & qualitas
non sit connaturalis, non produce-
tur effectus similis in gradu illo in
quo fuerat agens à principio, ni-
si ad eum gradum ab alio agēte no-
ua actione reducat. Deniq; cum
qualitas qua agit est connaturalis,
virtute generātis reducitur ad pri-
stinam statum; & sic iterum agit in
passum donec sibi assimilet. Quod
totum facile intelligitur, aduertē-
do quod accidentia agunt in virtu-
te substantiæ: & quod eorum effe-
ctus variatur iuxta variam suscipiē-
tium dispositionem, & dispositio-
nes paulatim introducūt; & ideo

quamuis à principio repatiatur, po-
stea vincit explicando suam actiui-
tatem.

s. III.

*Verum debeat esse maior actiui-
tas agentis, quam passivæ re-
sistentiæ?*

23 **H**Oc est tertium, & præcipu-
um; quod alijs verbis solet propo-
ni inquirendo, an actio semper fiat
a proportione maioris inæqualita-
tis; vel sufficiat quod fiat à propor-
tione minoris? Sed idem sub vtro-
que titulo dubitari, patet: nam fie-
ri actionem à proportione maioris
inæqualitatis, est virtutem agētis,
& resistantiam passivæ esse inæqua-
les, ut vna sit maior, alia mi-
nor.

24 Sententiam negativam te-
nent Burleus 3. Phys. textu. 16. To-
letus 1. de Gener. q. 13. post. 2. cōc.
& q. 15. ad 1. & Valles cōtrou. 44.
ad Tyrones. Quia gutta cauat lapi-
dem: & tamen resistētia lapidis est
maior quam actiuitas guttæ. Dein-
de, quia agens inferius reagit in su-
perius, quod communicat in ma-
teria cum illo: sed hoc esset impo-
sibile, si repugnaret sequi actionē
à proportione minoris inæqualita-
tis: ergo affirmandum est dari pos-
se.

25 Per oppositum alij absolute
affirmant quamcunque actionem
vnius contrarij in alterum semper,
& necessario debere esse à propor-
tione maioris inæqualitatis, ita vt

repugnet dari aliquā à proportio-
ne minoris. Ita Niphus. 1. de Gene-
ratione. commēt. 195. q. 3. Astud.
quæst. 22. & esse cōmunem, & ve-
ram dicit Rubio capit. 9. quæst. 3.
quia intentam agentis in sua ac-
tione est imprimere propriam for-
mam passivæ; passivum verò introdu-
ctioni resistit per qualitatem con-
trariam: ergo quādiu maior est re-
sistentia passivæ, conatu agentis im-
pedietur omnino introductio pro-
priæ formæ: ac per consequens im-
pedietur actio.

26 Distinctione præmissa alij quæ-
stionem dirimunt asserentes, quod
si loquamur de resistantia passivæ,
vel formali, oportet ad hoc, quod
agens agat, quod sit maior virtus
illius, quam resistētia passivæ. Loquē-
do vero de resistantia activa, bene
potest vnum agens agere in aliud
quamuis resistētia vnius sit maior
activa virtute, & influxu alterius.
Ita Marsilius, Saxonia, Venetus,
Tyenēsis, & Astudillo, quos citat,
& sequitur Bañez cap. 9. q. 3. & ef-
se communem Philosophorum
omniū dicunt PP. Carmelitani dis-
put. 8. q. 3. Priorē partē probant,
nam indispositio ex parte subiecti
elongat actionem agētis; sicut om-
nimoda subtractio potentia passivæ
ut impedit receptionem effectus:
ergo ad hoc vt agens eliciat suam
actionem, desiderabitur maior vir-
tus ex parte agentis, quam sit hæc
elōgatio, & resistantia passivæ. Secū-
do, quia agere cōtra impetum, vel
resistentiam passivam, & formam
inducere, est resistantiam vincere:
sed hæc victoria esse nequit, nisi sit
ma

maior actiuitas, & influxus, quam resistētia passi: ergo debet esse maior virtus agentis, quam passiuā resistētia.

27 Secunda pars constabit ex dicendis de actione, & reactione. Et quia idem potest esse in actu vnius formæ, & in potentia respectu alterius, & ideo agit quatenus est in actu, & patitur quatenus est in potentia. Vnde ad hoc quod agens agat per accidēs est, quod careat alia forma, & adsit agens ex parte potens eam inducere.

28 Hæc sententia est vera; sed tamen, vt notat M. Ioan. à S. Thoma q. 5. art. 3. non differt in re à præcedente, quia hæc expressè cōcedit, quod agens quatenus agens est formaliter superius patiente: quod solum videntur Authores secundæ sententiæ intendere, & docet Sanctus Thomas locis relatis à nobis 2. p. Metaph. Controu. 16. n. 14.

29 Ad exēplum adductum pro prima sententia, responderetur cum D. Tho. in 1. dist. 17. q. 2. ar. 3. quod non quælibet gutta cauans lapidē aufert aliquid de lapide; sed omnes præcedentes disponunt, & vna vltima agens in virtute omnium præcedentium, in quantum scilicet inuenit materiam dispositam per præcedentes, complet causationem. Quod & docet in 3. sententiarum dist. 33. q. 1. art. 2. q. 2. ad 4. & in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. & q. 1. de Virtutibus ar. 9. ad 1. v. & 2. 2. q. 24. art. 6. ad 2. Gutta enim humectando lapidem, inducit dispositionem oppositam propriæ siccitati, & tantum intenditur humiditas, quod vltima gutta virtute præce-

dentium tollit aliquid à lapide.

Secundum argumentum probat secundam partem nostræ sententiæ.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum omne agens agendo repatiatur?

§. I.

Questionis solutio.

Dico primo, non omne agens in agendo repatiatur. Ita docent Phylos. & S. Tho. 1. de Gen. lect. 20. & ipse S. Tho. 1. p. q. 66. artic. 2. Et probatur primo, nam quæcumque non conueniunt in materia, non sunt transmutabilia ad inuicem, nec repatiuntur ab eo in quod agunt; sed Deus, & Angeli; corpora caelestia, & inferiora non conueniunt in materia: ergo ad inuicem non transmutantur: vnde agunt in inferiora, sed non patiuntur ab eis; de quo S. Tho. 2. de Cælo lec. 10. in fine.

2. Secundo, sicut nil agit, nisi secundum quod est in actu, ita nil patitur, nisi secundum quod est in potentia: sed sæpè contingit agens esse in actu respectu effectus, quem continet, & causat, & non esse in potentia respectu effectus, quæ patientis ab ipso posset causare: ergo tunc ab eo non repatiatur. Probat minor, quia calidum agens in minus calidum non repatiatur ab eo, quia calor imperfectus est in potētia

tia ad perfectum, non verò è contra calor perfectus est in potentia ad imperfectum; quia hoc esset diminui, & nõ crescere: similiter lux non repatitur à diaphano, quia nõ opponuntur; & vt detur actio, & reactio debet esse pugna, & contrarietas.

Tertio, ex alio capite prouenire potest, quod non detur reactio, quia diximus q. 27. s. 3. agentia naturalia habere determinatam, & fixam sphæram suæ actiuitatis: si ergo patiens sit intra sphæram virtutis agentis, & agens distet à sphæra patientis, vt facillè contingere potest, erit actio sine reactione: quia sphæra fortioris agētis plus dilatur, quam sphæra debilioris agētis.

3 Denique, sensibile agit in potentia; & non repatitur ab ea, quia non agit per qualitates contrarias physicas: vnde experimur colores agere in visum, & sensus exteriores in interiorem: & tamen color non patitur à potentia visua, neq; sensus exterior ab interiori: ergo non omne agens in agendo repatitur. Quare ita tenent communiter Philosophi; quia pati non iubat ad agere: & quia potest Deus suspendere cõcursum patientis ad reagendum, & præstare concursum alteri agenti vt agat: & quia aliquid potest pati, quod non valet agere.

4 Dico secundo, cum debita ad sunt conditiones, agens physicum in agendo repatitur. Ita Phyl. & S. Tho. 1. de Gen. lec. 20. litt. b. & 2. de Cælo lec. 10. in fine. Et 3. Phyl. lec. 2. lit. d. ait S. Tho. Ad manifestationem secundæ propositio-

nis dicit (Phyl. & S. Tho.) quod quia quedam eadē sunt, & in potentia, & in actu; licet non simul, aut secundum idē; sicut aliquid est calidū in potentia, & frigidū in actu: ex hoc sequitur, quod multa agunt, & patiuntur ad inuicem, in quantum scilicet, vtrumq; est in potentia, & actu respectu alterius, secundum diuersa. Et quia omnia corpora inferiora naturalia communicant in materia; idē in vnoquoq; est potentia ad id, quod est actu in altero: *Et idē in omnibus salibus aliquid simul agit, & patitur, & mouet, & mouetur.* Idem docet S. Tho. locis relatis q. 28. n. 1. & iterū expressè Phyl. lib. 4. de Gen. Anim. c. 3. parum à principio dicens: *Omne agens patitur etiam à patiente, vt quod secatur, habetur ab eo quod secatur; quod calefit, refrigeratur.* Et est cõmunis Phyl. & S. Tho.

5 In quibus authoritatibus duæ indicantur probationes, alia à priori, & altera ab experientia. A priori est, quia vnunquodque agit in quantum est in actu, & patitur in quantum est in potentia: sed idem potest esse in actu vnus qualitatis, & in potentia respectu alterius: ergo potest agere per vnā qualitatem, quam habet; & pati, quia recipit aliā qualitatem, quā caret. Quæ ratio explicata manet ex dictis præcedente q. s. 4. & videndus Bañez c. 9. q. 3. concl. 3.

6 Experiētia item sunt plurimæ. Prima de gladio, quod secando habetatur, vel frangitur. Ferrum ignitum, si submergatur in aqua, ipsam calefacit, & ferrum infrigidatur.

Glacies manum infrigidat, & à manu liquefeit. Gutta aquæ carbonis partem extinguunt, & in vaporem vertuntur. Duo corpora colisa mutuo franguntur, vt vassâ testea: & alia densa, si vnum super alterû cadat, amplius cõdensantur, & sic de alijs.

§. II.

Argumentum difficile soluitur.

INter multa argumenta, quæ solent obijci contra secundâ conclusionem, vnû selegi, quod diligentius vrgerè, quia præcipuam continet difficultatē, in hac forma. Si aliquod agens in agendo repatetur, sequitur, quod idē subiectû secundû eandē partē simul moueretur motibus contrarijs: sed hoc est impossibile; sicut naturaliter repugnat, quod idē simul ascendat, & descendat; & quod eadem pars subiecti simul calefiat, & frigeat: ergo nullû agens in agēdo repatitur. Sequela probatur: nam si ignis calefaciat aquam mediante aere; tunc ignis trāsmittet calorem ad aquam per aerem: ac per consequēs aer calefit: rursus aqua imprimit frigus igni, eodem aere mediante: ergo aer simul calefit, & frigeat: ergo simul mouetur motib⁹ cõtrarijs calefactionis, & frigeactionis.

8 Propter hoc argumentum Augustinus Niphus in Physica (vt ipse hic refert cõm. 195. q. 3. citās Auerroem, & Alexandrum 4. Meteor. cõm. 10.) dicit, quod actio, & reactio sunt posibles secundû diuersas qualitates; non tamen secundû eandē: vt si ignis agit in aquam, per ca-

lilitatē agit, & per humiditatem ab aqua patitur debilitando siccitatem eius.

Similiter Calculator Suisset tractat. 7. de Reactione, & Hentisberus iosophismate vltimo, dicunt nihil posse agere, & pati secundû eandem contrarietatem, & secundum eandem partem; bene tamen si secundum vnâ partem agat, & secundum aliam patiatur.

9 Vtrumque tamē rectè impugnant Bañez cõc. 4. & Tolet. q. 15. cõc. 2. quia Phyl. 4. de Gen. Anim. vbi supra docet necessarium esse, quod calefit frigeferi, & quod premit, premi. Idēq; docet S. Tho. & alij Phylosophi. Experientiæ item suffragantur: cū enim aquæ calidifimæ infunditur aqua frigida, tota aqua efficitur tepida: quod nõ eueniret, nisi aqua, quæ erat calida, calefaceret, & infrigidaretur; & aqua frigida infrigidaret, & calefieret. Pariter, si ferrum ignitum immergitur aquæ, totum ferrum infrigidatur, & tota aqua calefit: ergo totum agit, & totû repatitur: ergo secundû eandē partē, & secundû eandē cõtrarietatem potest esse reactio, & repalsio, cuni debitæ adsunt cõditiones; videlicet, quod cõmitti eât in materia; quod habeât qualitates actiuas vnâ in actu, & aliâ in potentia ad effectû alterius; quod sint intra sphæram actiuitatis; & quod causarum supremarum cõcursus non desit, & si quæ sunt alie conditiones.

10 Deniq; probatur ratione Auerrois 4. Meth. ostendentis, quod si nõ esset possibilis reactio, nõ esset possi-

possibilis mixtio, quia si nō sit repassio secundū easdē partes, secundū illas manebūt in suo vigore; nec ad mixtionem venient. Nec vnum elementum posset cum aliō misceri, nec in alium ageret, & ab illo pateretur: quia cum elementum aquæ sit vniiformiter frigidū, & ignis vniiformiter calidus, si sumantur secundum se; si repassio solum esset inter difformia, nec pariti, nec misceri possent. Videatur S. Tho. 2. Contrag. cap. 26. & lib. 4. cap. 35.

11 Aliter Rubio de Reactione q. 9. n. 159. respondet supponendo tamquam certum actionem & reactionem non dari, nisi inter vltimum agens, & passum, vt docet Phyl. text. 53. vltimum verò agens est illud, quod immediatè tangit passum: & ideò solum immediatum agens repati potest. Vnde sequitur impossibile esse, quod agens per medium repatiatur à passio, nisi simul cum medio per modum vnius agentis agat in ipsum; tunc enim immediatum, & vltimū agens erit, & ideò repati poterit, quod latissimè prosequitur.

12 Reiecerat iam hęc expositio nem Bañez conc. 6. & ad 4. quia quādo dicitur a Phyl. quod agens communicans in materia sē per repatitur ab immediato passio, cui agens secundum contactū physicum coniungitur; solum est sensus, quod pati ab immediato passio, est vniuersaliter necessariū. Sed per hoc non negatur agens repati aliquādo à passio distāt; quia licet distet similiter, est præses virtuali

ter media qualitate diffusa: quod contingit cum agens est intra sphæram actiuitatis passio.

13 Deinde, vt declarat S. Tho. lec. 20. lit. b. ibi Phyl. solū intendit, quod agens, quod nō comunicat in materia cum passio, ab eo non repatitur: secus verò, quæ habent eādē materiam: nam ista repatiuntur, & agunt per tactum: nam *quæcumque habent formam in materia eiusdem rationis, agendo patiuntur.* Quod nō tollit, quod etiam cum physica distantia se tangant ad inuicem media qualitate diffusa.

14 Vltèrius, aer intermedius inter ignem, & aquam, potest pati ab igne: ergo illo mediante poterit agere in aquam; & è conuerso media qualitate, quam recipit ab aqua agere in ignem, quia recipere has qualitates non impedit, sed iubat ad agendum, si reliquæ conditiones ad hoc requisite adsunt, vt adesse supponimus; quia possunt esse intra sphæram actiuitatis, etiā si non sint immediatè se situaliter tangentia.

15 Occurrunt alia via M. Bañez c. 9. q. 3. ad 4. & PP. Carmelit. dif. 8. q. 4. ad 4. dicētes, quod in aere intermedio assignandus est certus terminus, seu pars vnicuique agenti contrario: cum qua quodlibet illorum sua actiuitate ad talē terminum, seu partem peruenerit; tunc pars illa medij, quæ vnicuique agenti correspondet, simul cum illo in vi vnius coniungitur, & vt sic coniuncta agit contra partem alteri correspondentem, & paulatim veluti intromittit se, quousque ad

contrarium perueniat : & toto illo tempore nullo modo patitur ab agente contrario, quod est occupatum in agendo circa partem sibi correspondentem. Et postea quando incipit pati ab alio, desinit pati a proprio agente, quia melius est alteri resistere ne vincatur, quam se intendere : & quia passio ab altero impedit propriam actionem propter impossibilitatem motuum contrariorum simul in eodem subiecto.

16 Difficilis sanè solutio, quia supponimus ex iam ostensis, quod reactio est per coniunctionem qualitatuum in eadem parte : alioquin disparate se habent, & non agent, & repatientur. Posito ergo casu, quod per eandem lineam, & in eadem parte applicentur, vel occurrant illæ qualitates contrariæ, licet ante hanc occurrence saluatur non moueri motibus contrarijs; tamen post occursum id non verificatur, quia non attemperantur nisi mutuo agendo, & reagendo; quod est contrarijs motibus moueri.

17 Nec satisfacit, quod responderi Arriaga disp. 3. lec. 12. nu. 187. quod agens simile passio, illud defendit, ne tantum damnum ab hoste patiatur: ea autem defensio, fit non producendo, sed impediendo aduersarium. ¶ Hoc non sufficere patet, quia hæc defensio, non tantum est passiva propter impossibilitatem formarum, & effectuum; sed est actiua debilitando alterius virtutem: & ideo qualitates ambæ attemperantur, & sic postea ambæ

manent refractæ: quod esse non potest naturaliter, nisi ad inuicem agendo.

18 Idcirco M. Ioan. à S. Tho. hic q. 5. art. 4. ad 1. & in Phys. q. 19. art. 5. §. Quæri solet, admittit sequelam; non enim reputat inconueniens eandem partem motu alterationis moueri duplici motu contrario in gradibus remissis: quia vterque agens non impeditur agere, nisi ratione materiæ, in qua non compatitur eius effectus. Cum ergo termini alterationis compatiantur in gradibus remissis, etiam patientur motus contrarij in gradibus remissis. Secus verò in gradibus intensis, quia sic termini repugnant, & se expellunt. Similiter poterit simul moueri duplici motu contrario, si alter sit intensus, alter verò remissus; licet non sentiatur nisi motus intensus, quia prædominatur. Idem docuerant Plaça, & Conimbri. 5. Phys. c. 5. & sequitur Cabero ibi tract. 5. disp. 2. dub. 4. & hic tractatu 1. disp. 8. dub. 6.

19 Nos tamen eis acquiescere non possumus, quia obiter reieciimus 5. Phys. q. 4. n. 2. & oppositam sententiam *paradoxam* vocat Tolemus q. 15. ad 3. nam qua ratione noua caliditas inducitur, eadem ratione conseruaretur vetas; cum noua, & vetus sint eiusdem speciei, & actiuitatis, & naturæ, nec ratio reddi potest, quare vna potius debet manere, quam altera: non ergo simul calefit, & frigefit.

20 Deinde M. Bañez q. 3. ad 4. illa relata sententia, ait. Sed horum sententia *salissima* est. Primo, quia

est contra Aristotelem, & eius Expositores cōmuniter in 5. Phys. cōcedere, idem mobile posse simul moueri motibus contrarijs. Deinde ratione demonstratiua cōuincitur: nam si aer simul frigeat, & caleat: ergo nunc est frigidior, quam immediate ante hoc instans erat: rursus, si caleat: ergo nūc est calidior, quam immediate ante hoc erat: ac proinde simul est calidior, & frigidior respectu sui, & pro eodem instanti: quod implicat contradiccionem. Hęc ibi.

21 Quicquid autem sit de cenfuris istis, quas non probo, & de cōtradictione, quam conatur deducere: de quo multa Petrus Garcia Fen. 1. doctrina 2. disp. 6. c. 3. Saltem naturaliter non videtur possibile esse simul accesum, & recessum ad eundem terminum; sicut nec simul idem mouetur sursum, & deorsum; nec idem obiectum se eundem eandem rationem potest intente amari, & remisse odio haberi; quia fieri vnus, quantum est ex se, est abiectio alterius: de quo PP. Carmelitani in Physica disp. 24. q. 2. vnde patet diuersam esse rationem de simultate qualitatum, ac simultate motuum contrariorum: quia motus est ipsa abiectio cōtrarij, secus vero forma, seipsa enim non excludit aliam nisi in gradu intenso.

22 Et addi potest cum M. Soto 5. Phys. q. 4. ad 3. quod compati se in gradibus remissis, non est conditio, quæ conuenit qualitibus cōtrarijs, eo solum, quod sunt cōtraria; sed quia sunt contraria inten-

sibilia, & remissibilia: & ideo motus calefactionis, & frigectionis, licet sint contrarij, non se compatiuntur, quia intensio cōuenit motui ratione termini, iuxta S. Thomam 1. 2. q. 52. art. 1.

23 Vltimam solutionem tradit Soucinus lib. 10. Methap. q. 22. ad 8. dicens, quod si inter illa agentia ponatur corpus minimum, in quo possit esse tantum minimum caloris, non tantum intensiue, sed etiam extensiue; tunc aut illa duo agentia sunt æquè fortia ad agendum; & tunc neutrum eorum alterabit, vel aget in illud corpus medium, quia mutuo se impediēt. Aut vnū est fortius altero; & tunc ipsum alterabit illud corpus medium; alterum vero non alterabit ipsum, quia impiedietur à fortiori agente. Dico tamen, quod agens debilius retardabit actionem agentis fortioris. Hęc ibi. Quod, & in simili tradunt Labelus, & Ferrara relati à nobis 2. Phys. q. 22. n. 9. & 10. & in proprijs terminis Paulus Venerus hic, & Toletus in 1. solut. ad 2. & ad 3. in fine. Et Petr^o Garcia vbi supra.

24 Sed instabis, quia iuxta hanc solutionem videtur, quod negemus reactionem inter ea, quæ cōmunicant in materia, & sunt intra spheram actiuitatis, & habent omnes conditiones requisitas: & ideo non videtur quod persistamus in vltima cōclusionem supra firmata.

Respondetur, quod vna ex conditionibus requisitis ad agendum, est quod vnus influxus non impediatur à fortiori, vel ex simultate alterius: sicut autem vna forma in-

pedit

pedit aliam, multo melius vn^o motus erit impedimentum alterius. Quare admittimus actionem, & reactionem, sed nō æqualiter, nec simul & semel secundum idem; quia opus est aliquando tempore vt qualitas inducatur: & ideo in hac mutua reactione intercedunt multi motus interrupti, quia post terminatum vnum motum, incipit alter: iuxta supra dicta in simili euētu supra q. 17. & 22.

QVAESTIO XXX.

De mitione, quoad an est, & quid est?

Post determinationem eorum, quæ præmittenda erant tractata de mitione, iam in vltimo primi libri capite determinat Philosophus de mitione, vt viam patet lib. secūdo, vbi agit de elementis: nam vt ait S. Thomas initio lectio nis 24. mistio est necessaria ad generationem eorum, quæ elementis generantur; quando enim fit generatio simplicis elementi, tunc nulla fit mistio.

§. I.

An sit mistio?

Mitionem dari sensibus experimur, quia videm^{us} aquam misceri vino; triticum ordeo; aquam terræ, & sic de alijs. Et sic generaliter loquendo nullus Philosophorum eam negauit. Cæterū potest accipi dupliciter: vno modo *improprie* pro aggregatione, vel

compositione multorum manentium in suo esse distincto, siue eorum distinctio sēsis percipiatur, vt percipitur mistio tritici, & ordei; siue sensu percipi non possit, vt si farina misceatur farinæ. Secūdo accipitur mistio proprie, & rigorose pro vnione multorum alteratorum, ex qua resultat vnū perse. Igitur antiqui, quorum meminit Philosophus textu 85. non agnoscebāt aliam mitionem nisi impropriam.

3 Aristoteles vero, & iam omnes Philosophi agnoscut veram, & propriam mitionem: quam dari suadent primo, experiētia: videmus enim in sublunarib^{us} dari corpora, in quibus sunt qualitates elementales, & ita non sunt corpora simplicia, sed mista. Præcipue arte medicinæ cōficiūtur medicamina, in quibus ingrediētia non manēt, sed alterantur; & ramen non penitus extinguitur; siquidē ab effectu percipitur eorū virt^{us}: datur ergo vera, & propria mistio.

4 Secūdo id suadēt Philosoph^{us} & S. Thomas textu. 86. lec. 25. lit. d. nam dantur qualitates actiua, & passiua communicantium in materia agentium, & patientium ad inuicē, qua mutua actione, & reactione qualitates temperantur. Cū igitur qualitates agant virtute formæ substantialis, & in eius virtute possint producere substantiam, vt hic notat S. Thomas lectio 24. in fine, & nos latē diximus 2. Phys. q. 10. sequitur dari veram, & rigorosam mitionem.



§. II.

Quid sit mistio?

SVT autem percipiatur quid sit mistio propriè, & in rigore sumpta? Notandum, quod ad mistionem plures exiguntur cõditiones à D. Thoma ex mente Philosophi numeratæ. In primis requiritur, quod quæ miscentur in vnum sint antecedenter separata, & in vnum coniungantur cum miscentur. Vnde S. Thomas lectione 24. litt. c. in fine, ait. Non enim omne cuiuslibet miscetur: sed oportet miscibilia esse talia, quorum vtrumq; possit separari.

6 Secundo exigitur ad mistionem, quod miscibilia communicent in materia, & ad inuicem sint actiua, & passiua. Quod ex Philosopho docet S. Thomas lect. 25. lit. c. asserens. Dicit ergo primo, quod eorum, quæ non communicant in materia, non potest esse mistio: & idè licet medicina faciat sanitatem; non tamen patitur à sanitate; & idè misceri ibi non potest. Nec sanitas, vel aliquod accidens miscetur corporibus. Et talia immiscibilia sunt in sui natura. Idè expressit S. Thomas lib. 2. Contragēt. cap. 56. ratione 1. dicens. Quæ miscentur, oportet ad inuicem alterata esse: quod non contingit nisi in his, quorum est materia eadè; & quæ possunt esse actiua, & passiua ad inuicem, quod & repetit libro quarto Contragent. c. 35. ratione 3.

7 Tertio ad mistionem exigitur, quod virtus actiua vnius non ita dominetur alteri, quod eam absorbeat, & in se se conuertat. Vnde Sanctus Thomas illo cap. 35. ait. Ex his quorum vnum multum excedit aliud, mistio fieri non potest: si quis enim guttam vini mittat in mille amphoras aquæ, non erit mistio, sed corruptio vini: propter quod etiam nec ligna in fornacem ignis missa dicimus misceri igni, sed ab igne consumi propter excellentem ignis virtutem. Idem docet S. Thom. q. 13. de Verit. art. 3. ad 1. & in 2. sent. dist. 30. q. 2. art. 1. in corp. & explicat eodè exemplo guttæ vini consumpti ab aqua. Quod est exemplum ipsius Philosophi, & S. Thomæ hic lect. 25. lit. d. in fine, dicentium: *Et idè gutta vini in mille millibus amphoris aquæ, non miscetur cum ipsa aqua: quia forma, sine species eius transmutatur, & corrumpitur in totam aquam.* Videatur litt. h.

8 Quarto requiritur ad mistionem, quod miscibilia ita alterentur, quod mistione facta non maneat substantiã altera vt erāt antea. Quod docet S. Tho. in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. & 2. Contrag. c. 56. rat. 2. his verbis. Quæ miscetur, mistione iam facta, nõ manent actu, sed virtute tantum: nam si actu manerent, non esset mistio, sed cõfusio tantum: vnde corpus mistum ex elementis nulum eorum est. De quo S. Tho. hic lect. 24. lit. e. & lect. 25. lit. i. vbi ait. Dictum est etiam, quod ad hoc, quod sit mistio, necessarium est, quod miscibilia non sint simplici-
ter

ter corrupta; nec sint simpliciter eadem vt prius; sunt enim corrupta quantum ad formas, & remanēt quantum ad virtutem, vt supra ostensum est. Et ratio S. Thomæ est efficax; alioquin non differret mistio in rigore philosophico a missione cōmuniter sumpta pro coacervatione multorum: & non differrent elementa simplicia a mistis; siquidem elementa consistunt ex suis partibus. Plures aliæ conditiones solent assignari; sed omnes in assignatis continentur, & alia supponunt sententiam infra reiiciendam, quod elementa manent formaliter in misto.

9 Ex dictis elicitur expositio definitionis traditæ à Philosopho in fine 1. libri de Generatione, nempe, *mistio est miscibilium alteratorum unio*. Quam approbat Sanctus Thomas in 2. dist. 17. quæst. 3. artic. 1. corp. Et declarat 1. de Generatione lect. 25. in fine, dicens: *Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus, sine qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur improprie, mistio est miscibilium alteratorum, id est, corruptorum secundum formas, unio*. Quod est dicere: alteratio accipitur dupliciter; vno modo proprie pro ea, quæ terminatur ad qualitatem; alio modo improprie pro transmutatione substantiali. Loquendo de alteratione proprie, prius debent alterari virtutes, & qualitates miscibilium; loquendo autem de mutatione substantiali, in facto esse missionis debent corrumpi formæ sub quibus erāt, & uniri forma substantiali misti resultantis.

10 Ad hoc etiam denotandum Scotus in 2. distinct. 5. q. vnica, dixit illud verbum *alteratorum* esse participium præteriti temporis passiuum, & illo denotatur miscibilia prius fuisse alterata. Quod refert, & approbat Petrus Garcia Fen. 1. disput. 7. cap. 1. ad 2. quia vniuersaliter verum est alterationē, qua introducuntur dispositiones ad productionem formæ substantialis, priorem esse tēpore: vnde miscibilia prius alterantur, & postea fit substantialis mistio. Plura alia pro exponenda Philosophi definitione videantur in Patribus Carnel. lit. disp. 9. quæst. 3.

§. III.

Qualiter distinguatur mistio à generatione?

11 **I**N missione intercedit motus localis miscibilium; alteratio eorum; unio eorum, ex quibus consistat mistum, & productio formæ substantialis misti. Quod totum desumitur ex D. Tho. 4. Cōtrag. c. 81. rat. 2. docētis, quod *forma misti dupliciter accipi potest: vno modo vt per formam misti intelligatur forma substantialis corporis misti, &c. Alio modo dicitur forma misti qualitas quadam composita, & composita ex missione simplicium qualitatum, quæ ita se habeat ad formam substantialem corporis misti, sicut se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis*. Quia ergo tot interueniunt actiones, videnda restat distinctio missionis à generatione, & alteratione, & alijs motibus.

12 Quidam absolutè affirmant

misionem solum accidentaliter differre à generatione, quia in recto significat introductionem substantiæ: sē formæ misti, quæ est substantialis generatio; & quod præcedat alteratio miscibilium se habet antecedenter, & ex parte termini à quo. Ita Petrus Garcia ubi supra, & Cabero disput. 9. dub. 2. & ideo dicunt, quod productio alicuius misti per misionem, & per generationem solum accidentaliter differunt per distincta connotata. Unde Philosophus sæpè vocat misionem generationem, vt patet lib. 1. de Gener. c. 10. & lib. 2. c. 8. Et quia mistio debet poni sub speciebus mutationis à Philosopho assignatis lib. 5. Physicorum c. 2. sed non est alia ad quam possit pertinere, vt patet discurrendo per singulas: ergo est generatio.

13 Per oppositū alij dicunt misionem differre à generatione tanquam speciem à genere. Ita Gregorius, quem citat, & sequitur Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad 3. contra 2. pag. 339. M. Bañez cap. 10. q. 1. concl. 2. M. Ioan. à S. Thoma q. 6. art. 1. PP. Conimb. q. 2. art. 2. quod dicunt colligi ex Philosopho 4. Meteororum cap. de Putredine. Et in præsentī text. 83. docet, quod si datur mistio, manifestum est, quod oportet differre à generatione, quia materia non dicitur misceri generabili, sed potius effici actu per formam: dicimus autem, quod vnum miscibile miscetur particulis alterius miscibilis, & ipsi miscibili. *Ex quo manifeste potest concludi.* (inquit S. Thomas lec.

24. lit. c.) *quod mistio non est generatio, neque corruptio.* Deinde, quæ miscetur, misione iam facta, non manet actu, sed virtute tantū: nam si manerent, non esset mistio, sed confusio; in generatione autem materia, & forma actu remanent in genito: ergo materia non miscetur formæ: ergo mistio differt essentialiter à generatione.

14 Vrgentius probatur; nam mutationes distinguuntur specie ex terminis ad quos, nō materialiter, sed formaliter ex diuerso modo terminandi: & sic specie distinguuntur generatio, & resurrectio, iuxta ea, quæ diximus q. 6. n. 24. & q. 4. n. 10. & sicut differunt motus rectus, & circularis terminati ad idem punctum ex diuerso modo tendendi. Sed mistio, & generatio diuerso modo tendunt in acquisitionem substantiæ: nam in generatione taliter acquiritur substantia de nouo, vt nil illius quod corrumpitur, maneat in eo quod generatur, præter materiam primam ad quam fit resolutio, iuxta dicta q. 12. §. 5. at verò in misione manet aliquid ex miscibilibus concurrentibus ad misionem, vel formaliter, secundum aliquos, vel virtualiter vt postea dicetur: ergo differt essentialiter mistio à generatione. Nec miram, quod mistio dicatur generatio, quia hæc est genus ad misionem, & generationem: & propter penuriam vocum, species vna mansit cum nomine generis, vt diximus lib. 2. Logic. quod dispositio diuiditur in habitum, & dispositionem.

15 Aliter communem sententiam explicat P. Rabio q. 2. à n. 22. vsque 26. docens mistionem essentialiter sumptam distingui à generatione elementorum, quasi distinctione generica; quia mutationes distinguuntur specie per terminos ad quos: sed corpus mistum essentialiter distinguitur ab elementari specie subalterna continente sub se plures species corporum mistorum: ergo & mistio.

16 Addit, quod mistio non distinguitur essentialiter a generatione vnius misti ex altero, quia forma producta ex miscibilibus, vel ex alio corpore misto eiusdem rationis est. Diverfus modus tendendi est accidentalis; cum solum se teneat ex parte elementorum, vt sūt materia misti, & differentia ex parte materiæ indiuidualis sit accidentalis.

17 Tandem asserit mistionem ex parte termini à quo, atque ex parte miscibilium alteratorum, differre à generatione elementi, & misti ex alio misto, solum distinctione accidentali. Quia distinctio non sumitur à termino à quo, sed a termino ad quē. Et quia quod corpus mistum fiat ex hac, vel illa materia sublunari, non variat essentiā eius, quam solū constituit, & distinguit ab alijs forma substantialis. Et de ista differentia accidentali debet exponi Philosophus, quia mistio accipit denominationem à materiali, & connotato, nempe à concursu miscibilium alteratorum.

18 Hæc vltima sententia solis vocibus difert à prima; quia illi nō ne-

gant, quod formæ specie distinguatur: sed dicunt, quod modus faciendi per generationem, vel mistionem, est differentia accidentalis: quod hæc sententia affirmat. Non video autem qua consequentia neget formam vnius misti etiā specie differre ab alia. Nec inuenio firmum argumentum, quo ostendatur ex modo diuerso faciendi non oriri diuersitatem in ipso termino ad quem. Quare standum est secundæ sententiæ, cuius fundamentis aliæ non satisfaciunt; in ista autem aliorum diluuntur argumenta, vt patet ex dictis n. 14.

QVAESTIO XXXI.

Ex quibus possit fieri vera mistio?

1 **Q**uamquam nō possimus ad omnia, quæ de mistione disputant Medici, in specie descendere: tamen in genere non possumus non præcipua capita tangere; tum, quia id exigit suscepti operis ratio; tum quia illis in Theologia indigemus, Theologiæ autē sacræ quaestiones istæ subserviunt, & ministrant. Disputandum ergo nunc de mistione elementorum, & de mistione liquorum: de mistione elementorum duo præcipue dubitantur; primo vtrum naturaliter omnia quatuor elementa ad mistionem concurrant? Secundo à qua efficiente causa ad mistionem moueantur elementa?

s. I.

Mistio ex quatuor elementis.

2 **C**ircaprimum P. Rubio c. 10. q. 1. nu. 9. asserit, naturaliter loquendo nunquam dari mistionem ex concursu omnium elementorum; quia repugnat congregari ignem, siue in terra, siue in aere; eo quod ad aquam, & terram non potest naturaliter descendere ignis, cum motus deorsum sit cōtra inclinationem eius: & eadem ratione neque ad locū aeris. Quod verò dicitur à causā vniuersali adduci ignem etiam per motū deorsum; sine fundamento dicitur, quia talis descensus non est necessarius ad bonum cōmune vniuersi; cum constet sine igne posse mixta generari per calorem Solis. Quod verò fulgura descendere videamus, non probat ignem descendere; sed solum ignitam exhalationem; hoc est, calidissimam, quæ non est ignis elementaris, sed mistum quoddam.

3 **O**pposita sententia est cōmunis omnium Philosophorum admittentium quatuor elementa, ex quibus in mistis deriuantur quatuor primæ qualitates elementorū. Vn. de S. Ambrosius lib. 3. Exameron cap. 4. ait: *Ignis quoque cum sit calidus, & succus nauera, calore aeri annectitur; siccitate autem in communionem terræ, ac societatem diffunditur; atque ita sibi per hunc circuitum, & chorū quemdam cōcordiæ, societatisque conueniunt. Quod & cecinit pulchrè Boetius lib. 3.*

de Consolatione Metro 9.

*Tu numeris elementa ligas, ut frigida flammis.**Arida conueniant liquidis: ne purior ignis.**Euolet, aut mersas deducant pondera terras.*

De quo videantur S. Damascenus, S. Nemesius, Clemens Alexandrinus, Phyllo, & alij relati à PP. Conimb. lib. 3. de Cælo c. 5. q. 1. ar. 1. hi enim omnes supponunt omnium elementorum posse dari mistionem. ¶ Et expressè S. Nemesius de natura hominis c. 4. ait: *Omne corpus è quatuor elementis concretum, & conflatum est. Loquitur de sublunari, & de corpore humano.*

4 **P**ræterea id probat S. Thomas lib. 1. de Generat. lec. 24. litt. e. dicens. Quod autem ignis sit in aere, patet per Philosophum in primo Meteororum: dicit enim, quod ambitus ignis per aerem frequenter spargitur motu, id est, per virtutem cælestis motus, & fertur violentia deorsum. Et idè sunt aliquæ partes ignis, & in rore, & in vaporibus pluuiialibus descendentes, quas vapores accipiunt in regione aeris calefacta. Et idè aque pluuales sunt vaporosæ, & calidæ. Et hæc etiam est causa, quod niue descendente non est tanta intensio frigoris, sicut in aliis hyemalibus temporibus. Sic ergo cum pluuia, & rore, & alijs huiusmodi descendunt partes ignitæ ad locū mistionis. Hæc S. Tho. Quibus auctoritate, & ratione est probata cōclusio. ¶ Deinde, cum apud nos experiamur qualitates ignis, & verū ignem.

ignem; sicut hoc sufficit vt alia elementa ad mistionē cōuenire dicamus; non est cur id de igne negemus. Videatur Phyl. & S. Tho. lib. 2. de Gen. lec. 8. & S. Bonau. in 2. dist. 15.

5 Obijcies: nam in prima mūdi productione mista fuerunt producta ex vno solo elemento, vt ex aqua pisces, & aues; ex terra autem alia animalia, iuxta illud Genes. 1. *Producatur terra animam viuentem, &c.* ergo ad mistionem non cōcurrunt quatuor elementa. ¶ Respōdetur valdē probabile esse ex vno simplici elemento, vel terræ, vel aquæ fuisse dicta mistorū genera procreata, vt tenent Scot. in 2. dist. 15. q. v. nica. Et ibi Greg. propter autoritatē S. Aug. 3. super Genes. c. 15. & Auerfa 1. p. q. 65. sec. 9. & id posse fieri naturaliter, probat Petrus Garcia Fen. 1. disp. 7. c. 2. n. 7. quia dispositio requisita ad formam misti potest recipi in materia vnus elementi, quia potest recipere qualitates reductas ad quandā mediocritatem. Et etiam, quia formæ elementorum ad mistum solū se habēt ex parte terminia quo; siquidē ex elementis per transmutationē substantialem producitur mistū. Ergo De^o ex materia vnus elementi potest educere formam misti continētē virtualiter qualitates aliorum elementorum. Ex quo nil habetur cōtra communem sententiam, quia mista aliquando fiunt mistione; aliquando sola generatione, vt animalia perfecta; & in prima productione facta sunt ab Authore naturæ ex materia elementi illius, vel

alterius. Vnde nō deducitur, quod non possint quatuor elementa ad mistionem naturaliter cōcurrere.

6 Secundo melius respondetur, etiam in prima mundi conditione mista fuisse formata ex materia quatuor elementorum, quorum qualitates retinent; fit autem specialis mentio huius, vel illius elementi, quod magis prædominatur in eorum constitutione. Quod latē docet S. Thom. in 2. dist. 15. q. 2. ar. 1. per totum: & præcipuē ad 3. ait: *Dicendum, quod in corporibus omnium animalium simpliciter dominatur terra secundum quantitatem; eo quod aqua est quasi coniuans partes, vt non cōmunionem, sed commistionem faciant. Sed illa animalia, quæ plus habent de aqua alijs animalibus, dicuntur ex aqua constare, pensata eorum propria complexione, secundum comparationem ad complexionem debitam generi communi. Et secundum hæc ex aqua dicuntur esse pisces, quantum ad id quod in ea grossius est. Aues autem quantum ad id quod in ea subtilius est: quod quidem in vapore resolutum est, quasi medium inter aerem, & aquam. Propter hoc aues in aere eleuantur; & pisces gurgitū remittuntur.* Explicauerat autem solutione ad primum, quod ignis in nullo animali dominatur secundum quantitatem: *Eo quod cū sit maximē actiu⁹, alia elementa cōsumeret; & hæc de causa nullū animal dicitur formari in igne. Dominatur tamen igni secundū virtutē in corpore sensitiuo; eo quod calor est instrumentum anime.* De quo iā dixim⁹ q. 19. s. 2. Videatur S. Th. 1. p. q. 71. ad 2. & q. 91. a. 1. in cor. & q. 6. de Pot. a. 6. & de Ani. a. 8. ad 1.

s. II.

Causa efficiens missionis.

VAllesius lib. 1. Controu. Medicarum cap. 7. dicit, quod vnionem requisitam ad permissionem elementorum potest facere proprius elementorum motus, & ambiens locus, & ars aliqua, & aliquid tale casu factum, aut in opinatis occasionebus; & præter hæc mutua actio, mutuam etiam habet coniunctam motionem, & cū mutuo se moueant elementa, mutuo se mouent, & miscent.

Cæterum, quia multæ istarum sunt causæ per accidens: aliæ solū cōcurrunt ad missionem artificio, vel violentia factam: nunc autem de causa propria naturali missionis inquirimus; ideò hac viâ difficultas non soluitur. Deinde, elementa non mouentur nisi à generante, vt grauiâ, & leuiâ: & sic nō possunt se mouere ad missionem; quia elementa, quæ sunt in misto, sunt ibi præter naturam, vt ait S. Thom. hic lec. 24. lit. e. quia sunt extra propriam regionem, vt dicitur in 2. de Cælo: ideò alia causa quærēda est, quæ illa trahat ad missionem.

8 Ludouicus Mercatus lib. 6. de Febribus pag. 182. & lib. 1. Principiorum artis Medicæ clâse 5. artic. 3. dicit elemēta vniri ad missionem virtute ignis in eis existentis: nam vt dicit Auicena cap. de Elementis: Ignis in generato præstat inbamentum, vt maturet subtiliet, & permisceat. ¶ Quia tamen nec manifesta ratione; nec aperta experiētia hoc

probat. Ideò alij Phylosophi dicunt hoc gratis, & sine fundamento dici.

9 Tenenda ergo est communis Phylosophorum sentētia, scilicet, astra mouere elementa ad missionem. Ira Auerrois 12. Metaph. textu 18. Beatus Albertus Magnus libro 20. de Animal. tract. 1. c. 8. & hic tract. 6. cap. 4. Toletus q. 19. & Rubio q. 3. Insuper omnes Thomistæ sequuti suum Magistrum, qui optimè eam probat hic lec. 24. lit. e. ita scribens. Sciendum est, quod secundum dicta Phylosophorum, primum mouens elementa ad missionem est immiscibile; & hoc est ipsum Cælum, siue Astra lata in ipso, quod est diuersum à natura quatuor elementorum, vt probatum est in 1. de Cælo, & Mundo textu 12. & 17. Nam sicut Phylosophus ostendit in 1. Meteor. text. 1. iste mundus quatuor elemētōrū est de necessitate continuus, id est, continuus superioribus motibus, vt omnis ipsius virtus gubernetur inde: quia illud oportet putare primam causam, quod omnibus est principium motus: tale autem est ipsū cælum. Et ideò ibidē subdit, quod causa eorum, quæ accidunt circa ignem, terram, & alia elemēta, est virtus eorum, quæ semper mouentur. Vnde in eodem dicit, quod sphaera ignis mouetur circulariter; & etiam sphaera aeris, licet non tota, propter raptū firmamenti. Hæc ibi.

10 His verbis S. Thomæ satis est firmata conclusio. Placet autē, & quæ sequuntur transferbere, quia valdè

valde scitu necessaria sunt. Subdit ergo S. Thomas. Habent etiam alia stellæ specialem effectum in aliis quibus elementis; sicut sphaera Solis, in qua est effectus caloris, est nata mouere ignem; & sphaera Lunæ est nata mouere aquam; sicut ad sensum patet. Alia autem sphaera, videlicet, Planetarum natæ sunt mouere aerem; & ideo aer tot diuersis motibus mouetur. Est enim in aere frigus congelatiuum ex sphaera Saturni: & ætus ex sphaera Martis: & temperies in calido, ex sphaera Iouis: & temperies in frigido ex sphaera Veneris: commiscibilitas, & passibilitas facilis ex sphaera Mercurij. Sphaera autem stellarum fixarum, quæ est octaua, in qua sunt multæ imagines, & figuræ, mouet terram; vnde, & in ipsa figurantur imagines multæ in generatis. *Licet ergo elementa leuia non descendant ex se; nec grauiascendant ex se: tamen ex motoribus vniuersalibus ordinatibus motum, aliquando descendant leuia, & ascendant grauias.*

II Aliam rationem, & exemplum ibi latè S. Tho. explicat, & ad intem applicat: quia qualitates actiua mouentur ad id ad quod diriguntur ab anima. Cum autem motus cæli, & opus naturæ sit opus intelligentiæ, vt dicit Philosophus, nõ semper sequuntur elementa proprium impetum sui motus: sed aliquando mouentur in id ad quod per voluntatem Intelligentiæ diriguntur: siue per virtutem stellarum, siue propinquo, siue instrumentali motore loquamur. Tandem concludit S. Thomas, *Ex his patet, quod*

ad missionem non mouet violentia, sed natura: & ideo mistio non est violenta, sed naturalis. Loquitur de mistione elementorum naturaliter facta: de quo recolantur; quæ scripsimus lib. 2. Phys. q. 5. n. 6. & 7. Quod vberius declarat ipse S. Thom. in 2. dist. 14. art. 5. ad 4. dicens: Motus quibus elementa sequuntur impressiones corporum celestium, non sunt violenti; cum sit secundum naturalem ordinem corporum, quod inferiora impressionem superiorum sequuntur.

5. III.

De mistione inter liquores.

12. **C**VM mistio aliquando fiat ex materia, quæ immediatè erat sub forma elementorum; aliquando verò ex materia, quæ immediatè fuerat sub forma alterius misti: ideo post explicatam mistionem, quæ immediatè fit ex elementis; breuiter dicendum de ea, quæ fit ex alijs mistis. Et quia ea, quæ in liquoribus plus mysterijs fidei exponendis deseruit, est mistio aquæ & vini; de illa differendum specialiter.

13. Certum est inter liquores diuersæ speciei habentes contrarias qualitates dari posse veram, & propriam mistionem. Ita S. Th. 3. p. q. 77. art. 8. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 3. q. 6. quia possunt tunc adesse omnes conditiones requisitæ ad veram mistionem, quas posuimus q. 30. s. 2. Imò facilius liquores miscentur, quam alia corpora sicca. Pro quo notanda est doctrina Philosophi
tex.

tex. 99. quam declarat S. Tho. lec. 25. lit. g. dicens. Requiritur etiam ad facilem mitionem, quod miscibilis sint bene terminabilia ad inuicem passiva: & hoc ideo, quia bene terminabilia, cum sint subtilia, & humida, facilius diuiduntur in parua, quæ facilius diuiduntur cum miscentur, quam magna: hoc enim est bene terminabile, quod est bene diuisibile in parua: verbi gratia, humida, quæ sunt inter cetera corpora bene miscibilia. Et hoc ideo, quia humidum inter alia corpora est magis diuisibile in parua. Nisi illud humidum sit viscosum; quia sicut dicitur in quarto Metheororum textu 28. partes humidi viscosi coniacent sicut glutinum propter mistum eis subtiliter siccum, quod apprehendit vndique humidum, & non sinit elabi oleum. Quando vero aquæ admiscetur, quia lubrica simul iuncta, vel lubricum humido cõpositum, auget tumorem, siue quantitatem, sed non miscetur ei, sic quod quælibet pars eius alteret, & alteretur ab eo ad mediam naturam misti. Hæc ibi.

14 Pater ergo inter liquores humidos non viscosos facile dari posse mitionem: & inter omnes habere contrarias qualitates secundum speciem absolute dari posse mitionem. Solum ergo est dubium, an inter liquores eiusdem speciei possit dari vera mitione per generationem substantialem tertij misti? An vero solum sit mitione improprie, sicut duæ aquæ miscentur?

15 In quo puncto sunt tres opiniones. Prima absolute negat in-

ter liquores eiusdem speciei dari posse veram, & rigorosam mitionem. Ita Durandus in 4. dist. 13. q. 3. n. 3. & 6. Suarez to. 3. in 3. p. disp. 57. sec. 4. Vazquez ibi disp. 195. ca. 6. n. 63. & alij, quos sequitur Auersa de Eucha. q. 5. sec. 6. quia vnum simile non corrumpit aliud simile, nec vnum indiuiduum vnus speciei, transit in aliud eiusdem speciei. Deinde, quia alias si duo vina consecrata iungerentur, vnum aliud corrumperet, & sub neutro maneret Christi sanguis: quod est absurdum.

16 Per oppositum alij dicunt, quod si vinum sit talis quantitatis, quæ diffundi possit, & peruadere omnes partes alterius, fit vera mitione, & resultat aliud tertium. Ita Alensis 4. p. q. 10. membro 7. ar. 7. ad 3. Maior in 4. dist. 12. q. 4. dub. 3. in fine. Paludanus in 4. dist. 12. q. 5. Capreolus in 4. dist. 13. q. 1. conc. 3. Soto dist. 10. q. 2. ar. 8. licet dubitet, & cum limitatione solum approbet. Sed absolute sequitur Vigueri^o cap. 16. s. 3. versu 9. & Cornejo de Euchar. q. 77. disp. 2. dub. vlt. q. 3. Probant dupliciter. In primis, quia ita videtur docere S. Thomas 3. p. q. 77. art. 8. Quodlib. 10. art. 3. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. q. 6. Si autem (inquit) esset eiusdem speciei vinum, faceret aliud vinum secundum numerum, maxime quantum ad accidentia. Vbi licet doceat clarius apparere diuersitatem cum accidentia sunt diuersa; tamen vniuersaliter substantialem mutationem admittit. Quod, & indicat 4. ad Anib. dist. 12. art. 3. ad 3.

17 Ratio est, quia omnium natura constantiū est determina quāritas vers^o maximum, & minimū, iuxta Philosophum, & ea quæ ex illo docuimus 6. Phylsior. q. 6. ac per consequens nullum ens naturale conseruari potest sub minori minimo: sed vnus liquor additus alteri, etiā eiusdē speciei, potest ita cum pervadere, vt diuidat in partes minores minimis: ergo illud corrumpet, & tertium mistum generabit. Quamuis hoc raro cōtingat, quia non facile in minima ens naturale diuiditur.

18 Tertia sētētia distinctione vtitur, docēs liquores eiusdē speciei, non habentes contrarias qualitates inuicem alteratiuas, non posse ad inuicem misceri: secas vero si qualitates inuicem alteratiuas habeant. Ita docuerunt Victoria, & Cano, quos refert, & sequitur Nuno 3. p. q. 77. art. 8. circa 4. conc. & ibi Serra. Et in presenti PP. Carm. disp. 9. q. 2. n. 18 Ioan. à S. Thoma q. 6. art. 2. conc. 2. Rubio tract. de mixtione q. 6. Cabero disp. 9. dub. 3. & ante eos docuerat Petrus Garcia sæpe citata disp. 7. cap. 2. pag. 238. & videtur reliquis probabilior: tum quia iuxta eam facile exponitur S. Thomas, qui clare in illo art 8. in hoc casu loquitur, illis verbis: *purasi vnū vinum esset album, & aliud rubeum, &c.* Tum, quia vinum debile admistum vino forti, solet sic illo misceri: vnde videmus vinum paruum decoctū adiunctum alteri valde defæcato, facere m. flū ab extremis valde diuersum.

19 Deinde, quia diximus ad mixtionem requiri contrarietatem alteratiuam passiuorū ad inuicem, vt patet ex D. Thoma. lec. 25. & in 2. dist. 17. q. 3. art. 1. & 2. contra gēt. c. 56. & libro 4. cap. 35. iam adductis q. 30. §. 2. Denum, quia sic, & nō aliter possunt habere omnes condiciones requisitas ad mixtionem: alioquin si sine alteratione sola adiunctio vni^o liquoris ad aliud facile miscibilem sufficeret ad mixtionē rigorosam, vna aqua alteri adiuncta corrumpeteretur: quod est aperte falsum; cum poti^o aqua adiuncta aquæ melius conferuetur.

20 Per quæ facile argumenta soluntur, quia si sit omnimoda similitudo non est reactio, nec mixtio. Potest tamen esse similitudo in specie, & dissimilitudo in qualitatibus, & agens intendens assimilare in qualitatibus, per accidens corrūpit substantiam; sicut Aetlops de albari nequit, quin corrumpatur. Vnde cōcedimus, quod si vina cōsecrata sint diuersarum qualitātū, tantum poterunt pugnare quod sub neutro cōtineatur sāguis Christi: quia non manent species quæ erant antea: & vt ait S. Thomas *consecratur hic panis, & hoc vinum.*

21 Ad vltimum dicimus, quod liquores facile continuantur, & cum qualitates ad inuicem non resistunt, non est à quo corrumpatur quantitas, nec qualitas: vnde illa admistio non facit diuisionem in partes minores minimis: vnde nec substantiam corrumpit; nec ad rigorosam mixtionem sufficit, Præcipue

puè cum sint homogenea, & vna pars non resistens alteri; potius ex ambabus fit maior cõiunctio, quàm partium diuisio.

§. III.

De mistione aquæ, & vini.

22. **Q**uamquam de hoc puncto latè Theologi disputèt: sed tamen non nisi à Phisicis accipiendo; & idèd hic vt in proprio loco de illo est dislerendum. In primis si in quantitate tali infundatur aqua vino, quod amborum qualitates possint ad inuicem agere, & pati; dabitur vera, & propria mistio, & noua misti generatio, quod nec erit aqua, nec vinum, sed substãtia tertia ex eis per mistionè producta: nulla enim ex conditionibus requisitis ad mistionem, hic deficit. Vnde S. Nemesi⁹ de Natura hominis cap. 3. (& habetur to. 9. Bibliot. veterum Patrũ) ait. *Vini quæque, & aqua sèperatio vtrũque, & vinum, & aquam corrumpit; neque enim pura aqua est permixtum illud, neque vinum: quamquam talis temperatio appositione fit; quam tamen sensus deprehendere non potest, propter tenuitatem partium eorum, quæ temperata sunt.* Et S. Thomas 3. p. q. 77. art. 8. ait, *quod autem est cõmixtum ex duobus, neutrum miscibile est; sed vtrunque transit in quodam tertiu ex his compositum.* Quod quia ex dictis est manifestũ, non oportet amplius firmare.

23. Dabium vero restat, vtrum aqua in medicissima quãtitate vno permixta, à vino absorueatur,

& in substantiam vini mutetur?

Negarunt Phyloponus hic textu 84. & Marilius lib. 1. de Gener. q. 3. art. 3. & Aresius. 1. de Gener. cap. 10. q. 52. sec. 2. Coninch. 3. p. q. 74. art. 8. du. vnico. n. 167. vsque 181. Lugo disp. 4. de Eucha. sec. 4. & alij, qui id tribuunt Aristoteli, Plinio, S. Nemesio; imò, & S. Thoma. Omnes tamen male citari, vel contra eorum mentem exponi, dicenda monstrabunt.

24. Dicendum igitur est, esse certissimum modicum aquæ infusum multo vino, in vinum cõuerri. Sic vt indubitatũ tradit summus Pontifex Innocencius Tertius libro 4. de Sacro Altaris mysterio capite trigelsimo primo, dicens. *Quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aqua?*

25. Idem expressè docent Philosophus, & S. Thomas lib. 1. de Gener. lec. 14. nam lit. e. ait S. Thomas. Et quia in obiectione fiebat mentio de mistione, ostendit etiam (Philosophus) in mistione simile esse: nam id, cuius substãtia manet, dicitur esse dominans in mistione, Sicut dicitur esse vinum, quando parum de aqua admiscetur multo vino. Et hoc apparet ex propria operatione, quæ est euidentis signum speciei; tota enim mistura facit operationem vini, scilicet calefaciendo, & confortãdo; non autem facit opus aquæ. Hæc ibi. Clari⁹ lec. 16. li. c. inquit. *Et est simile sicut, si aliquis vino præexistenti super infundat aquam hoc modo, quod vni sua virtute potest aquam commixtam conuertere in sui naturam; tunc enim dicitur esse augmentum vini; non generatio.*

A paritate sumitur argumentum ex his, quæ docet Philosophus. 1. de Gener. textu. 88. & S. Thomas. lec. 25. litt. d. videlicet, quod gutta vini in mille millibus amphoris aqua non miscetur cum ipsa aqua; quia forma, siue species eius transmutatur, & corrumpitur in totâ aquam. Ergo similiter gutta aquæ in amphoris vini in vinum transmutatur, quia actiuitas vini in aquam non est minor. Ita Philosophus, & S. Thomam interpretatur, & sequuntur Astudillo, Maigretius, Bañez, Toletus, Conimbric. & Murcia, quos refert, & sequitur M. Choquetius erudito Opusculo de Mixtione aquæ in calice (habetur in fine 1. tomi de Gratia) c. 15. Sed alios Authores non oportet referre, quia ita tenent communiter Philosophi, & Theologi: dicitur enim in Cathecismo Pij quinti in Sacrificio Missæ modicam aquam infundendam esse: nam Ecclesiasticorum scriptorum senectia, & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur. Idem sentire Innocentium cap. Cum Marthe de Celebratione Missarum, constat ex contextu, & ex D. Thoma 3. p. q. 75. art. 8. in cor. & ad 2.

26 Ipse S. Thomas in 4. dist. 11. Idem dicit in expositione litteræ Magistri: imo soluit contrarium argumentum dicens. Alchimista dicunt, quod per immersionem iunci decori zai potest separari. Et dicendum quod à vino auferitur substantia aqua, quæ ibi est, propter similitudinem iunci, quod etiam porosum est; non tamen illa aqua, quæ fuit apposta, separatur, quia iam facta est vinum. Et ibi q. 2. ar. 4. q. 1. ad 2. ait. Modica aqua vino admixta, quod est ma-

gis albiuum, à vino corrumpitur; & in speciem vini transit. Et quæstiuocula 4. ait. Sicut dictum est aqua apposta vino in vinum conuertitur, &c. Et in 4. ad Anib. dist. 11. art. 4. ad 4. opposita sententia relata, ait. Sed hæc positio, & contra naturam est, per quam videmus parua aqua à multo vino absorberi, &c. Demum S. Tho. 1. ad Corinthios. 11. lect. 6. in fine, inquit. Et ideo dicendum est, quod aqua conuertitur in vinum: & sic totum conuertitur in sanguinem Christi. Propter quod mos est modicum de aqua apponere; & precipue si sit vinum debile, quod non potest nisi modicum aquæ in seipsum conuertere. Quæ Authoritates nulla indigent ponderatione: & adeo sunt expressæ, vt gratis de mente S. Tho. videatur controuersia moueri, cum eisdem verbis ac nos plusquam decies suam mentem explicuerit. Idemque Philosophus sensibile, S. Thomas declarat non solum locis primo relatis: sed adhuc iterum 3. p. q. 77. art. 8. dicens. Gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur in 1. de generatione textu 34. & 39. & 88.

27 Rationes à D. Thoma sunt indicatæ. Prima ab operationis, quæ est euidentis signum speciei: videmus enim non manere operationem aquæ, & experimur operationem vini. Quæ experientia iudicari potest à simili: nam si aqua modica aceto infundatur, in acetum conuertitur: cuius signum est, quia experimur totam aquam accrescere propter ipsius aceti qualitates: ergo pariter dici debet de aqua vino apposta propter vini fortitudinem.

28 Aliud simile afferri potest ex Authore de Mirabilib⁹ sacrae Scripturae li. 1. c. 18. (inter opera S. Aug. 10. 3.) docete, quod *aqua cum per vitis arborem infunditur in vini saporem, & colorem mutatur*: Et constat quod vinum fit à natura paulatim conuertente elementa in vuã, & vuã in vinum, vt docet S. Thomas 1. de Gener. lec. 16. lit. c. ergo pariter potest naturali virtute vini aqua in vinum conuerti.

29 Vterius idem probatur simili à Philosopho, & D. Thoma inducto: nam calore naturali cibus potest cõuerti in substantiam aliter propter qualitates actiuas, quibus expellitur paulatim propria forma nutritiua, & inducitur forma nutritiua: ergo propter similes qualitates expelli potest forma aquae & induci forma vini.

30 Ratio à priori est, actiuitas vini ad alterandam, & corrupendam aquam, & debilitas modicae aquae ad resistendum: sed hac via conaturaliter loquendo experimur vnam formam corrumpi, & aliam generari, vel conuerti in substantiam praualentem: ergo negari nequit vinum posse modicum aquae in se conuertere.

Respondet Aegidi⁹ Confach. n. 179. negando minorem; quia non quaecunque possunt in aliquid agere, possunt hoc in se conuertere, aut etiam substantialiter corrumpere, vt patet in paris cineribus, & materia vitri, quae nullo igne possunt corrumpi, etsi per annum ardeant. Imò in ipsa aqua, quae iniecta in candentem ollam potest eu-

porari; non tamen substantialiter corrumpi. Secundo respondet n. 180. etsi vinum possit aquam corrumpere; non tamen possit in vinum conuertere; quia corpus mixtum non potest componi ex vno simplici.

31 Facillime tamen vtraque eiusio precluditur: nam illa minor evidens est, perse loquedo, attenda enim virtute agentis, & debita portione passi, nullo alio argumeto valem⁹ probare igne cõburere lignu, vel stuppã, nisi quia valet alterare, & expulsis cõtrarijs dispositionib⁹, inducere dispositiones aptates ad formã ignis, & tandem ipsam formam. Quod, & cernere licet in nutritione, & in similibus mutationibus: instantia autem ad ducit duos casus, in quibus per accidens ex incapacitate passi forma illa nõ inducitur: cineres namque sunt quasi excrementa ignis, cui⁹ calore est iam omne combustibile consũptum: vnde non ab igne, sed ab aqua valent corrumpi. Pariter dicitur de materia vitri propter specialem illius siccitatem.

32 Secunda instantia in æquiuoco laborat: nam id quod in alteru praui alteratione conuertitur, nõ componit illud; sed *materia vnius suscipit formam alterius, priori forma deposita*, vt ait S. Tho. 3. p. q. 75. art. 8. Vnde non conceditur, quod animal componitur ex cibis. Cum autem conceditur, quod *aer potest esse ignis, verificatur ratione paris per synochem*, vt ibi ait S. Tho. quia materia manens sub vtroque termino, est pars componens totum.

§. III.

Argumenta soluantur.

33 Sed post Aresium arguit Aegidius. Primo, quia hoc diligentissimè inuestigarunt Aristoteles, Plinius, omnesque Medici, & Chymici, & negant aquam in vinū cōuertī. His autē hac in re maior videtur adhibenda fides, quam Theologis, qui id non tam diligēter examinaverunt.

Respondetur primo cū M. Choquetio cap. 16. mirum esse Theologum tantum tribuere Chymicis, & Medicis, vt fidem Theologis eripere studeat: cum tamen Innocentius 3. c. *Cum Martha*, dicat, licet *Physici contrarium assererent*, satis indicās hac in re, eiusmodi hominibus parum, Theologis verò plurimum detulisse, prout nos quoque merito deferre debemus. Præcipuè cū pro nobis expressè habeamus Philosophiæ principem: de cuius mente certos nos faciunt omnes relati Expositores. Et insuper S. Bonauētura in 4. dist. 11. dub. 3. dicens: *Sicut dicit Philosophus 5. Metaphysicorū, & 1. de Gener. cum prædominatur vinū, soluitur species aquæ, & cum soluta est, & conuersa in vinum, totum est vinum.* B. Albertus Magnus, non solū sanctitate, & eruditione Theologica, sed in Philosophiā nulli secundus in 4. dist. 12. art. 9. ait: *Dicendum aquam non misceri vi materiam, sed vt signum unionis populi, & absoruendam a vino: unde non est mistio, sed transmutatio aqua in vinum ex Philosopho 1. de Gen.*

cap. vlt. Eodem modo Philosophū exponunt Greg. & Capr. in 2. dist. 15. q. 1. ad 3. contra 2. pag. 339.

34 Respondetur secundo, falsū esse omnes Medicos illam sententiam docere. Vnum pro multis referre sufficiat: is est Petrus Garcia Primarius Cōplutensis Regius Protomedicus Fen. 1. disp. 7. c. 2. vbi testatur, quod illam nostram sententiam aperte sequitur Aristoteles. Vbi & ad argumenta contraria respōdet, Marilium non probasse aquam separari à vino in qualibet quantitate, & quouis tempore permista: dicam enim ego, quod licet statim, aut paulò post posset separari; non tamen transacto debito, & requisito tempore. Galenus lib. 1. de Elementis c. vlt. idem docet his verbis: *Et hac de causa nonnulla possunt statim post mistionem segregari, quæ si diutius permanserint, & tantisper, donec totum fuerit vnum factum, nequit alterum ab altero amplius diuelli.* Hæc ibi.

35 Sed instant: nam Plin. lib. 16. c. 35. inquit: *Hedera mira proditur natura ad experienda vina; si vas sit ex ligno eius, vina transfundere, ac remanere aquam, si qua fuerit mista.* Non enim sufficit dicere educi aqueum humorem: alioquin hoc modo nō discerneretur an vinum sit purū? Siquidem similis humor posset ex vino puro educi. Similiter S. Nemesius de iunctione corporis, & anima c. 3. ait, quod *Spongia oleo imbuta, & papyrus aquam puram attrahit.*

Respondetur ex Galeno, has experientias procedere, quando statim post appositionem aqua extrahitur; quia tempus non fuit, vt. et.

fer substantialis mutatio, secus vero eam est facta alteratio, & mutatio substantialis. Quod intendere S. Nemesium evidentissimum est, nam immediatè subiungit: *At quæ verè, & exquisitè temperata sunt, à se mutuo distrabi nullo modo possunt.* Et paulò ante premiserat. *Vini quoque, & aquæ temperatio utrumque, & vinum, & aquam corrumpit, iuxta dicta nu. 22.* Facilius autem extrahitur aqueus humor quo maior aqua fuit apposita. Multa alia ad huius argumenti solutionem dicit Choquetius illo cap. 16. ad 6.

36 Addit M. Serra 3. p. q. 74. art. 4. ad 3. quod si in his calibus est vera aqua generatur de nouo ex vapore vini, & aquæ conuersæ in vinum, attracto ab hedera, aut spongia oleo imbuta: eodem prorsus modo, quo ex terræ vapore attracto à Sole, generatur aqua in media aeris regione, vt docet Aristoteles 1. Meteororū cap. 9. Prior tamen responsio communior est, & facilior.

37 Secundo arguunt, quia vt experimur, & peritissimi fatentur, corpora simplicia, qualis est aqua, non nutriunt; quia non possunt immediatè conuerti in mitta. Ergo nec aqua poterit immediate conuerti in vinum. Præsertim cum vinum sit plenum calidissimis spiritibus, qui nullo modo videntur posse gigni ex pura aqua.

Respondetur primo cū D. Thomas in 4. dist. 8. q. 1. ar. 4. quæst. 2. ad 2. quod quamuis aqua in se non nutriat; tamen cōmista nutrit: in stomacho autem oportet, quod alijs

humoribus admisceatur: & idè in nutrimentū cedere potest. De quo ipse S. Th. 1. ad Corinth. 11. lec. 4.

38 Præterea quicquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia appositio modicæ aquæ non est nutrimentū propriè sumptum, sed solū latè, videlicet, eo modo quo non viuētia augmentur per alterius generationē, vel cōuersionē illius: de quo iā dixim⁹ q. 20. Nec illa est ratio cur aqua se sola non nutriat; sed quia non est quid solidū, quod aptū sit ad substantiā nutriti. Videatur S. Tho. de Sensu, & sensibili lec. 14. Nec nos affirmamus aquam augere calidos spiritus vini: quin potius fatemur in aquæ conuersione reagēdo debilitari. Cum quo stat, quod fortitudo vini, præcipuè generosi, vincat aquæ resistētiam, & eam in se conuertat.

39 Tertio principaliter arguitur, quia in vino nullum est principium corruptiuū aquæ, & cōuersiuū illius in propriā substantiam: ergo qualitercūque ei cōmisceatur, non mutatur in substantiā vini. Antecedens probatur, quia in vino tantū sunt qualitates, quæ in illo sūt formaliter, & aliæ quæ dicuntur in illo esse virtualiter. Quæ sunt in illo formaliter, quædā non sunt actiue, nēpè color, & sapor: aliæ verò, nēpè humiditas, & frigiditas, sūt qualitates symbolæ qualitatis aquæ. Calor verò, & si quæ aliæ qualitates sunt in vino virtualiter, non sufficiunt aquā corrūpere: est enim aqua tenacissimæ naturæ. Vnde si eam conijcias in candētem ollam ferream, si sapes alambico excipias,

pias, totam omnino integram recipies. Rursus, qualitates quæ cōueniunt virtualiter, non agunt nisi irritatæ per alias sui generis: sicut vinum non calefacit, nisi à calore subiecti in quod agit excitatum. In aqua autem nullus est calor, nec formalis, nec virtualis; nec aliqua qualitas proportionata ad irritandum vini calorem. Ergo in vino nil est quod aquam corrumpat.

Hæc difficultas non est peculiaris in hac materia, quia in multis alijs locum habet: nam inquiri potest, quæ sit qualitas qua venenum corrumpit animal? Nam venena esse mortifera quotidie experimur. Et similia inquiri possunt de qualitatibus ciborum, & aliorum mistorum, de quorum contrarietate, & corruptione ad inuicem, experientia manifestæ dubitari non permittunt. Quicquid ergo in illis casibus ipsi respondeant, ipsorum diluet argumentum.

40 Respondetur ergo primo cū Petro Garcia dicto capite 2. in fine, quod licet solo calore, quem habet formaliter, vinum aquam non corrumpat; habet tamen alia quæ concurrunt ad constitutionem proprii temperamenti, quibus potest fieri actio: exiguo enim calore cum alia qualitate potest intelligi dispositio impossibilis. Nec enim oportet dicere eandem esse rationem omnium mistorū. Hæc ille.

41 Aliter respondet M. Hyacinthus Petronius Opusc. *de necessitate præcōuersionis aquæ*, cap. 18. pag. 143. Vinū corrūpere aquā frigiditate, &

humiditate, quatenus sunt instrumenta formæ vini ad agendū, & resiliendum contrarijs, & vt sic pugnant cum qualitatibus aquæ: nā qualitates, quatenus sūt proprietates diuersarū naturarū, diuersos effectus habēt. Addit, aliquē pertenuē calorem inesse formaliter vino, qui alijs qualitatibus coniunctus potest qualitates aquæ corrūpere. Quod & sequitur Cabero hic disp. 9. du. 3. in fine docens vinum corrumpere formam aquæ, & diuidendo in minutissimas partes, & suo calore eam calefaciendo.

42 Addit Granados de Eucharistia tractatu 2. disp. 4. sec. 4. n. 21. quod cū Philosophi dicant, quod inter elementa symbola est facillior trāsmutatio; ideo cum vinum in humiditate, frigiditate, & densitate cum aqua conueniat; facillime in eam inducet vnum, vel alterum gradum siccitatis, & caloris formalis; & ita vltimo disponet vt destructa forma aquæ, producatur forma vini. Videatur S. Thomas libro 2. de Gener. lec. 4. lit. c.

43 Denique M. Choquetius illo cap. 16. ad secundum docet, præcipuam qualitatem, qua vinum aquam corrumpit, atque in se conuertit, esse natium eius calorem virtualē, quo maxime agit, & cui omnes effectus respondent. Et esse qualitatem nobis incognitam, & vino propriam, quæ sua acrimonia aquam corrūpit: & quia præstat id quod solet facere calor: ideo vocatur calor virtualis.

Ad primam probationem respondetur, quod sicut aqua cōuertitur

in aerem, non obstante sua tenacitate; ita potest conuerti in vinum. In olla autem candenti euaporatur, & potest rursus condensari, & aquæ formam acquirere.

44 Ad secundam probationem respondet idem Magister falsum esse, qualitatem actiuam solum virtualiter alicui conuenientem, debere irritari ab alia formali eiusdem nominis: etenim calx accenditur aqua: vinum recens pleraque in se inecta, nec formaliter calida, absunt: plantæ fimo, alijsque formaliter non calentibus fouentur, & cõseruantur: & in his, & alijs exemplis, nullus est calor formalis, qui excitet virtualem calorem calcis, vini, ac fimi, vt suos effectus producant. Nulla ergo excitatione opus est, vt vinum corrumpat aquam, quæ in ipsum per partes minores minimis se insinuat, & ab eo sic diuisa absuntur.

45 Ex his solutionibus lector sibi magis placentem eligat: quæ magis congruat nostræ doctrinæ in sequentibus erit manifestum. Reliqua argumenta, quæ coaceruatur, ex dictis diluere est facillimum; & ideò ea referre minimè iudicauimus necessarium: præcipuè cum relata & soluta habeantur in Authorib⁹ relatis. Videnda etiam sunt elegantissima verba B. Alberti Magni 4. Metheororū tract. 1. c. 4. & 6. quæ ad verbum refert Capre. in 2. dist. 30. ad 2. contra 1. pag. 491. quibus subtiliter exponit causas intrinsecas corruptionis, & conuersionis vnius in aliud. Et de differentia vinorum legendi Philosophus, & S.

Thomas 4. Metheororum lec. 14. lit. b.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum elementa maneat formaliter in misto?

1 **C**VM elementa sint substantiæ cõpositæ ex materia, & forma, inquiritur, vtrū cum cõcurrūt ad missionem, in facto esse, non solum materia eorū permaneat; sed etiam substantialis forma? Hoc enim est elementa manere in misto formaliter.

§. I.

Opiniones Doctorum.

2 **A**FFIRMARUNT multi ex Theologis, Philosophis, & Medicis elementa manere formaliter in misto. Ex Theologis B. Albertus Magnus hic tract. 6. c. 5. copiosius in 3. de Cælo tract. 2. cap. 1. & 8. Aureolus in 2. dist. 15. parte 2. q. 1. & 2. & in Quodlib. q. vltima. Ex Philosophis Auicena 1. Sufficientiæ c. 10. Auerrois 1. de Gener. cap. de Missionem, & lib. 3. de Calo text. 67. Nymph⁹ hic tex. 118. & 8. Metaph. disp. 4. & 11. disp. vltima. Zimara Theor. 48. Iandunus, Scaliger, Cõtarenus, & alij, quos refert Rubio q. 4. ex Medicis Vega 1. Methodi cap. 1. Peramatus de Elementis c. 18. Mercatus tract. 5. de Elementis art. 4. & alij docti Complutenses. Imò S. Thomas in 2. dist. 12. art. 4. vt probabilem opinionem refert, & non improbat.

Varijs

3 Varijs vijs hæc opinio defenditur: nam Aureolus nullam aliam formam ponit in misto, nisi formas elementorum; vel vnâ formam conflatam ex eis. Auicena autem dicit, formas substantiales elementorum indiuisibiles; & idè manere in misto integras, & perfectas substantialiter. Cæterum Auerrois arbitratur formas elementorū esse intensibiles, & remissibiles: vnde ait manere in misto remissas iuxta proportionem suarum qualitatum. Auicena verò, & Auerrois opinio nes nititur concordare B. Albertus, vt hic refert M. Bañez cap. 10. q. 2.

4 Rursus asserunt alij formas elementorum esse in diuersis partibus materiæ; quæ tamen ad eò existunt, vt sensum lateant. Ita Vega vbi supra. Denique alij non reputant inconveniens, de facto in eadem materia dari duas formas substantiales subordinatas: vnde forma elementi erit quidem actus respectu materiæ; erit tamen potentia respectu formæ misti. Ita Peramatus, & Mercatus vbi supra, & Fernelius lib. 2. Partis Nat. cap. 6. Gaspar Lopez 1. de Temperamentis c. 1. & alij.

5 Negativa sententia verè communis Theologorum, & Philosophorum dici debet; & Medicorū peritissimis est valde grata. Eam expresso docet S. Thomas 1. de Gener. lec. 24. in fine. Et 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. & lib. 2. Contrag. c. 55. ad 2. & q. 5. de Potentia artic. 7. in cor. & in 2. sent. dist. 13. artic. 4. in cor. & dist. 30. q. 2. art. 1. & Quodl.

1. art. 6. ad 3. & Opusc. 33 & Opus. 27. c. 5. & lib. 2. de Ani. lec. 8. & q. vnica de Anima art. 9. ad 10. & alibi sæpè. Idè autem in 2. sent. oppositam non improbavit, quia alibi erat opportunior locus de illa discedendi. ¶ Eandem sequuntur omnes Theologi, duobus relatis exceptis, & specialiter Scotus in 2. dist. 15. q. vnica. Durand. in 4. dist. 12. q. 3. & distin. 30. q. 3. latissimè Greg. & Capl. in 2. dist. 15. Soncin. lib. 10. Metaph. q. 27. & lib. 12. q. 68. & alij relati à Bañez hic c. 10. q. 2. Esseque receptam inter Philosophos ostendunt, & sequuntur Toletus q. 17. & Rubio, & Suarez disput. 15. Met. sec. 10. à nu. 41. vsque ad 60. & passim alij. Idem docuisse Platonem, Hippocratem; & Galenum, probat Vallesius de Sacra Philosophia c. 1. & 1. Controu. c. 1. & Segarra, & Thomas de Garuio, quos refert, & sequitur Petrus Garcia super Fen. 1. disp. 7. c. 3. dicens, *ita certum, vt oppositum sit improbabile*. Et Sancta Cruz Opusc. 3. de de Elementis, & alij.

6 Quia tamen auctoritates, & argumenta prioris opinionis probant, aliquomodo elementa manere in misto, videlicet, virtualiter; idè in hoc puncto omnes huius communis doctrinæ sectatores concordant. Quia tamen id varijs modis exponitur, quæstioni trigésimæ tertix declarandum reservatur pro maiori dicendorū luce, & ordine.



§. II.

Probatur elementa non manere formaliter in misto auctoritate Phylosophi.

Dicendū igitur est, neque formas elementorum, neque aliam ipsorum partem, aut substantialem entitatem, excepta sola materia prima, manere actu, & formaliter in misto. Videtur expressa Phylosophi lib. 2. de Partib. Anim. c. 1. dicente: *Cum autem triplex sit compositio: prima statui potest ea, quæ est primordij conficitur his, quæ nonnulli elementa appellant; terram dico, aquam, aerem, & ignem. Sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, his quæ non omnibus, sed ut antea expositum est: calidum enim, & frigidum, humidum, & siccum, materia sunt compositorum.* Probat ergo magis Phylosophus, quod melius dicitur mista componi ex virtutibus elementorum, quam dicatur componi ex elementis: ergo sentit elementa non manere in misto secundū formas substantiales, sed solum secundū virtutes accidentales.

8 Secundo idem constat ex eodem in tertio de Cælo: nam licet textu 31. videatur quæstionem indecisam relinquere, dum asserit: *Si itaque elementum, corporum ad quod alia corpora diuiduntur, intus existens, potentia, aut actu: hoc enim utroque modo adhuc dubitabile.* Quorum verborum planus sensus est, ut ibi exponit S. Tho. lec. 8. lit. d. quod elementum existit in eo, cuius est elemen-

tum, potentia, aut actu. Adhuc autem sub dubitatione existit, quomodo sunt elementa in mistis; utrum scilicet, in actu, vel in potentia. Post pauca tamen quæstionem determinans, inquit Phylosophus. *Si itaque quod dictum est, elementum; necesse esse quædam talia corporum: in carne quidem enim, & ligno, & in quoquoque talium est potentia ignis, & terra. Vbi S. Tho. lec. 8. lit. f. ait: In carne enim, & ligno, & in quolibet talium corporum, scilicet, mistorum, ignis, & terra sunt in potentia, quia scilicet per quandam alterationem ex igne, & terra, & alijs huiusmodi prædicta corpora componuntur.* Ex quibus patet, non bene Suar. vbi supra. n. 54. dixisse Phylosophum in libris de Cælo quæstionem indecisam reliquisse, & in libris de Generat. determinasse: si enim integrum textum legisset, non solum dabiū, sed eius resolutionem in Phyl. & D. Thoma ibidem reperisset, ut nos retulimus: & antea dixerat S. Th. quod iuxta Empedoclem, & Anaxagoram elementa sunt actu in misto. *Si autem generatio, & corruptio corporum est per alterationem (ut ponit Phyl.) necesse est dicere, quod sunt potentia in misto.* Ita S. Tho. lit. d.

9 Tertium, & celebre Phylosophi testimoniū desumitur ex hoc lib. 1. de Gen. tex. 84. vbi iuxta translationem antiquam, ait: *Videntur enim, quæ miscentur prius ex separatis conuenientia, & possibiliter separari rursus. Neque manent igitur actu, ut corpus, & album; neque corrumpuntur, neque alterum, neque ambo; saluatur enim virtus eorum.* Et clarius vertit Franciscus Vatavilius. *Nam quæ miscentur, & prius*

ex separatis coisse, & posse rursus separari videmus. Igitur neque permanent actu, uti corpus, & albedo; neque corrumpuntur, aut ambo, aut alterum: nam eorum virtus, atque potentia salua manet. Ergo ex mente Phylosophi habemus elementa non manere actu, & formaliter in misto; manere vero virtualiter in quantum manent qualitates propriae, vel appropriatae elementis. Quae verba sic exponit S. Th. lec. 24. lit. e. in principio, & in fine. Et 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. ait: Et ideo dicendum est secundum Phylosophum in primo de Generatione, quod forma elementorum manent in misto, non actu, sed virtute.

10 Sunt tamen, qui praedictam Phylosophi auctoritatem contra nos retorqueant. Primo, quia dicit elementa posse rursus separari a misto: quod falsum esset, si elementa iam essent corrupta, & solum perseverarent qualitates, seu virtutes elementorum. Secundo, quia dicit Phylosophus, quod *neque corrumpuntur ambo, aut alterum*. Ergo sentit minimè corrumpi elementa: quod probat ex eo quod *eorum virtus, & potentia salua manet*: ergo ex permanentia qualitatis quam à posteriori probat permanentiam formae elementis. Tertio, non obstat, quod dicit: *Neque permanent actu uti corpus, & albedo*: nam hoc facile verificatur iuxta primam sententiam, quia licet dicat manere formas substantiales; asserit tamen manere refractis eorum qualitatibus, & attemperatis: unde non manent sicut corpus, & albedo.

11 Nil tamen per hoc minui vi-

riam argumenti, contextum attendenti erit perspicuum: ut enim explicet qualiter elementa manent in misto? Praemittit, quod entium quaedam sunt entia in potentia, & quaedam in actu. Et respondet elementa esse in misto, non in actu, sed potentia; quia saluatur virtus eorum: ergo manifestè sentit non esse ibi formaliter, sed solum virtualiter: quia per hoc solū quod qualitates essent refractae, falsum esset, quod non essent actu: quod erat membrum à Phylosopho exclusum.

12 Ad primam instantiam patebit respondendo ad argumenta, & explicando qualiter mistum resolvitur in elementa? Resolvitur enim mediatè interueniente noua generatione, ad quam adiubat virtus remanens in misto: non verò hæc resolutio fit sola segregatione eorum, quae erant actu contigua, vel continua. De quo multa Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad 1. contra 2. p. 338.

13 Secundae instantiae satisfacit S. Tho. docens missionem non esse per totalem corruptionem; sed quia virtutes elementorum remanent in misto. Vnde concludit S. Thomas. *Sunt igitur virtutes formarum substantialium simplicium corporum in corporibus mistis, non actu, sed virtute. Et hoc est quod dicit Phylosophus; non manent igitur elementa, scilicet, in misto actu, ut corpus album; nec corrumpuntur, nec alterantur, nec ambo: saluatur enim virtus eorum. Quae enim manet virtualiter, non sunt totaliter, & penitus corrupta.*

14 Adhuc instabis: nam S. Tho. 1. p. q. 91. ar. 1. ait, in homine mane-

re elementa secundum substantiam. Et in fra loquendo de humana vita, dicit: *Inferiora vero elementa abundant in ea secundum substantiam.* Ergo non solum virtualiter, sed formaliter elementa manent in misto.

Respondetur cum Caietano ibidem, quod S. Tho. intendit differentiam assignare inter caelestia corpora, & elementa, quoad hoc quod est venire ad compositionem hominis: nam corpora caelestia non componunt nisi per similitudinem, quia homo habet elongationem à cœtera riji per maximam aequalitatem completionis. At verò elementa substantialiter componunt hominem, quia in illo manent substantialiter; & alibi remittendo an formaliter manent, an virtualiter? Secundo verificatur elementa manere secundum substantiam, non formalem, sed materialem: non solum ratione materiae primæ; sed ratione quætitatis, & qualitatum, quæ appropriantur elementis: ita ut illa elementa dicuntur prædominari in aliquo secundum substantiam, seu quætitatem, de quorum materia disposita plus saluatur in misto: illa verò prædominantur secundum virtutem, de quorum vi plus saluatur in eo. Et hæc est directè mens S. Thomæ: de qua innumera eius relata testimonià nec dubitandi locum relinquunt: videatur toto Opusculo 33.



15 Sed pro mente Phylosophi agnoscenda, objicies in primis: nã 1. de Cælo text. 7. docet moveri mistum motu elementi prædominantis: non potest autem prædominari, nisi maneat in illo.

Facile tamen respondetur ex D. Tho. quod dicitur elementum in misto prædominari, quia in illo manent accidentia similia ab illo relicta, & aliquando prædominatur in quætitate; aliquando verò secundum virtutem, ut dictum est. Et notanda sunt verba S. Tho. 2. de Anima lec. 8. lit. c. docentis, quod cum elementa non sint actus in misto, sed in virtute; non habet in elementum seorsum proprium motum; sed totum mistum movetur motu elementi prædominantis in ipso.

16 Iterum objicies, nam 4. Meteororum c. 12. docet Phylosophus elementa esse materiam misti. Quod & docet 2. de Partib. animal. c. 1. & 3. de Cælo text. 67.

Respondetur cum Socinate ad 7. quod esse ex aliquo cõtingit dupliciter: vno modo sicut ex manente; & sic domus fit ex lapidibus, & compositum est ex materia, & forma. Alio modo aliquid est ex alio tanquam ex manente secundum materiam, & transeunte secundum formam: & solum hoc modo mista dicuntur esse ex elementis. Quod esse de mente Phylosophi patet: nam 2. de Generatione cap. 5. negat elementa esse materiam rerum naturalium: nam si aer

remaneret, non generatio, sed alteratio foret.



s. III.

Rationibus idem probatur.

17 **R**ationes non opus est multiplicare, quia euidenter sequitur ex principijs iam stabilitis quæstione 12. quod elementa non manent formaliter in misto: ostendimus enim non posse in eodem dari plures formas substantiales: & quod in corruptione fit resolutio omnis formæ vsque ad materiam primam. Cum ergo productio misti sit generatio substantialis, in eo non erunt formæ elementorum, sed sola substantialis forma misti specie distincta à formis elementorum.

18 Ex alio etiam principio stabilito libro 2. Physicorum, videlicet, quod substantia non est immediate operatiua, confirmatur eadem conclusio; quia nulla experientia, vel operatione, quam agnoscamus in misto, valet probari in illo perseverare formas substantiales elementorum; cum sufficiat ad omnia qualitates, seu virtutes elementorum emanantes à forma substantiali misti: ac per consequens si sufficit permanens virtualis, sine fundamento adstruitur permanentia formalis.

19 Tertio suadet, quia vñ elementum in aliud transmutari dicimus, quia experimur variari propriam temperiem istius in temperiem alterius: sed temperies misti est diuersa à temperie omnium

elementorum: ergo forma misti est distincta à formis elementorū: & ideo non est opus formas elementorū manere in misto. Sumitur hæc ratio ex D. Thoma hic lectione 24. dicente. Forma substantialis propriam dispositionem acquirit in materia, sine qua esse non potest: vnde altera est via ad alterationem, altera ad corruptionem: impossibile autem est eandem esse dispositionem, quam requirit forma ignis, & quam requirit forma aeris, vel aquæ, sed sunt contrariæ: contraria autem esse non possunt in eodem subiecto. Impossibile est igitur, quod in eadem parte misti sint formæ substantiales ignis, & aquæ.

Dices, temperiem elementorum non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinē, & ideo possunt conseruari formæ elementorum cum temperie cōducente ad formam misti.

Non videtur tamen euasio sufficiens: alioquin eadem latitudo sufficeret, vt cum temperie aquæ conseruaretur forma ignis; & ideo vnum elementum, vel aliqua eius pars non transmutaretur in aliam.

Deinde, nulla esset ratio cur media illa dispositio sufficiat ad formam misti, & non sufficiat ad formam alterius elementi.

20 Iterum dices, ideo induci formam misti, quia temperies illa, quæ missione inducitur, est vltima dispositio solum ad formam misti; & non ad formam alterius elementi; quia qualitates ad mediocritatem

tem sunt reductæ, & nō pertingūt ad ultimam dispositionem elementari contrarij.

Hæc tamen solutio petit principium, & non soluit argumentum, quia quælibet forma substantialis propriam exigit dispositionem: unde si formæ opponuntur, etiam dispositiones sunt contrariæ. Si ergo in generatione mixti conseruantur dispositiones pro formis omnium elementorum, aderit dispositio pro forma elementi contrarij, & non erit cur illa, & non ista introducantur.

21 Alia ratione vtuntur Petrus Garcia cap. 3. n. 13. & Rubio q. 4. n. 37. & post eos alij; quia vix credi potest, quod in piscibus tanto tempore vitam agētibus intra aquam, reperiatur forma ignis sine corruptione.

Parum tamen solidum est hoc argumentum: nam etiam militat contra ipsum, & contra nos. Si quidem asserimus in piscibus cōseruari calorem naturalem correspondentem elemento ignis: sicut ergo propria temperies illius mixti in aqua cōseruat calorem naturalem, pariter posset cōseruare formam sub qualitate refracta.

22 Specialiter singuli dicendi modi possunt impugnari: nam qui dā non saluāt vnum mixtum differre substantialiter ab alio; cum non differant per formam substantialē constituentem in esse specifico. Rursus, sequitur nullum dari mixtum inanimatum; vel elementum esse animatum. ¶ Alij tandem videntur negare mixtionem substan-

tialem, & solum ponere alterationem accidentalem, & quod non sit mixtio, nisi solum quoad apparentiam sensus, quæ est secundum minima iuxta se posita. Quæ est ratio S. Thomæ dicta lec. 24. & 1. p. illa q. 76. Vbi Caietanus explicat rationem, qua S. Thomas impugnat Aueroism.

23 Verum Garcia vbi supra. n. 12. in fine, hanc impugnationem non reputat efficacem, qua intenditur deduci contra Auicenam, quod ex eius sententiâ sequatur nō dari veram mixtionem: nam iuxta positio eorum, quæ faciunt mixtionem impropiam, est sine vera continuitate quantitatis, Non sic autem contingit in præsentibus; nam materiæ, & quantitates elementorum vniuntur vera continuitate, etiam si formæ, quia specie differunt, nō contiuentur. Quod colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 77. art. 8. ad 2. dicente, *quod si aliquod corpus constituitur ex duobus metallis, erit vnum corpus secundum rationem quantitatis; non tamē vnum secundum speciem naturæ.* Fateatur ergo D. Thomas cum discontinitate intrinseca formarum reperiri continuitatem materiæ, & quantitatis. Ergo etiam si formæ elementorum manerent in mixto, non esset sola iuxta positio miscibilium.

24 Facile tamen respondetur, primo, adhuc dato quod materiæ, & quantitates continuarentur; si tamen formæ non continuantur, & non est vna omnium forma, nō est mixtio, de qua in præsentibus loquimur, quæ est per generationē vni^o, & corruptionem aliorum; sed
solum

*solum misto quoad sensum, & quoad appari-
entiam: & ideo ratio S. Tho-
mæ ex parte formæ efficax est.*

25 Secundo melius respõdetur, quod ipse S. Thomas 5. *Physic. lec. 7. litt. a.* cum *Phylosopho* docet, quod ea quæ sunt diuersorum generum, vel specierum, non possunt continuari ad inuicem: de quo videantur, quæ ibi diximus q. 3. n. 7. Cum autem accidentia subiectionentur in toto composito, non facile apparet, quod diuersarum naturarum secundum speciem, sit vna numero quantitas vere cõtinua; licet quoad sensum appareant diuersa metalla, & quantitas videatur continua. Et solum quoad hoc affertur exemplum à D. Thoma, vt ibi explicat M. N. ño in fine cõmentarij, dicens esse certum, quod sicut sunt diuersæ substantiæ, ita & habent diuersas quantitates. Intelligitur ergo quantitatem esse eandem numero, & continuam solum quoad appariẽtiam.

s. IIII.

Argumenta solvuntur.

26 Sed contra conclusionem at-
guitur primo, quia si elemen-
ta non manerent in misto, falsum
esset quod mistum componeretur
ex elementis; contra ea quæ supra
diximus. Et pariter essent mista æ-
què simplicia, ac sunt elementa:
quod est falsum, & contra S. Tho.
qui libro tertio *Cõtragentes* capi-
te 23. ratione 3. ait: *quod elementorũ
corporum sunt simplicia, & non est compo-
sitio, nisi materia, & forma: quod tri-*

buit elementis ad differentiam mi-
storum animatorum. Hoc autem
sequi probatur, quia quod nõ est,
nõ potest actu componere: si ergo
non sunt actu in misto, nõ possunt
elementa componere mistum. Di-
cere autem, quod sunt virtualiter,
nõ sufficit ad compositionem sub-
stantialem: nam etiam elemẽta ha-
bent compositionem ex subiecto,
& accidentibus.

Respondetur ex D. Thoma o-
pusculo 33. quod loquendo de cõ-
positione formali substantiali actua-
li, æqualiter sunt composita mista,
ac sunt composita elementa: secus
vero loquendo de compositione
virtuali, quia forma misti est radix
qualitatis, quæ est propria dispo-
sitione corporis misti, sapiens naturam
elementorum: & istæ qualitates in
virtute substantiæ producant sub-
stantiam. Sic igitur virtutes formarum
substantialium simplicium corporum sal-
uantur in corporibus mistis. Sunt igitur
forma elementorum in mistis, non actu, sed
virtute: & hoc est quod dicit *Phylosophus*,
in 1. de Generatione.

27 Secundo arguitur ex Aureo-
lo: vnunquodque resoluitur in ea
ex quib⁹ componitur: sed mistum
resoluitur in elementa: ergo ele-
menta manẽt formaliter in misto.
Cætera patent: & minor, præter-
quam quod communiter ab omni-
bus admittitur; probatur experien-
tia, cum enim ignis applicatur lig-
no viridi, & comburitur, per extre-
mas ligni partes egreditur aqua, &
euaporatione egreditur in fumo
acer, & in flamma apparet ignis, &
terra remanet in cineribus: ergo
liquam

lignū resoluitur in quatuor elemēta, ex quibus componebatur.

Dices, hanc resolutionem non fieri in elementa immediate; sed mediā generatione alterius missi.

Sed instat Aureolus, primo, quia sequitur, quod ignis corrumpens lignum, generaret aquam, & aerē: hoc autem est falsum, quia ignis nō generat aquam. Secundo, forma perfectior continet inferiorem; & tamen non dicitur in ipsam resolui: ergo aliquid aliud intēdūt Philosophi, cum dicunt in elementa resolui missa. Tertio, quia resolutio differt à corruptione in hoc quod resolvere est rem solvere in præexistentia realiter: ergo si mixtum resoluitur in elementa, illa nō corrumpuntur.

28 Respondent Capreolus, & Soncinas, quod resolutio fit non solum in partes existentes in actu; sed etiam in partes existentes in potentia proxima. Nec est inconueniēs ignem generare ignem de per se, & alia elementa peraccidēs, & consecutiue. Ad 2. probationem negant consequentiam; & disparitas est, quod forma superior continet inferiorem in virtute se extendente formaliter, & actiue ad omnia, quæ potest inferior forma: mixtum autem continet elementa in potētia passiuā proxima actui. Ad tertiam probationem respōdent, quod corruptio, & resolutio differunt sicut superius, & inferius, quia omnis resolutio (de qua loquimur) est corruptio, sed non è contra.

29 Sed instat aliqui: nam ea pro-

ducuntur peraccidēs, quæ præter intentum agentis producuntur ratione dispositionis materiæ: sed cū dispositionibus missi non valet cōseruari forma elementorum in nostra sentētia: ergo nec cum illis valet introduci. Deinde ultra causā peraccidēs debet assignari aliqua causa perse illius generationis, eo quod causa peraccidēs debet reduci in causam perse. Sed nullum est agēs quod simul introducat dispositiones vltimas ad formas quatuor elementorum, cum sint inter se oppositæ, & contrariæ, nec possint simul ab eodem provenire tā oppositæ qualitates: ergo nulla est causa producens quatuor elementa in resolutione missi in illa: ergo erant antea formaliter in missio.

30 De isto argumento valde si bi plaudunt Recentiores Medici, cū tamen multipliciter sit iam diu ab antiquis solutum. Euacuatur enim penit⁹ difficultas dicēdo cū M. Bañez ad 3. & Petro Garcia. n. 18. & Ocham Quodlibet. 3. q. 4. & Gabr. in. 2. dist. 15. q. vn. ar. 3. & alijs, minorem non esse vniuersaliter veram. Et præcipue in casu argumēti lignum, cum comburitur, non resoluitur in elementa; sed in alia missa: aqua enim quæ ibi apparet, non est vera aqua, sed humor, quo lignum natriebatur, quem expellit calor, vt materiam ligni ad formam ignis disponat: vnde in ligno sicco, etiam si sit cōpositum ex quatuor elementis, talis humor non reperitur. Sape etiam contingit in corporibus mixtis esse plures substantias accidentaliter permissas

itas per poros, vel per diuisionē,
& interpositionem partium: &
ideo actione agentis potius feceruntur,
quem generentur de nouo.

31 Deinde cessat argumentum,
sindicatur cum Suarez illa sec. 10.
n. 57. quod mistum nō ita debet re-
solutum in elementa, vt re ipsa elemē-
tum sit conseruabile separatim ab
elementato; hoc enim modo com-
positum non resoluitur in mate-
riam, & formam; ac per consequēs
non est necesse quod mistum sit re-
solubile in eadem numero elemen-
ta, ex quibus fuit facta mistio; sed
sufficit quod in similia resoluatur.
Quod accidit quando causæ effi-
ciētes sunt accommodatæ, & pro-
pinquæ ad resolutionem faciendā.
Sæpe tamen mistum totum resolu-
tū in elementum prædominās,
vel in virtute, vel in quantitate. Sæ-
pe generatur cadauer, vel vermes,
vel alia mista, & ideo mille modis
argumentum claudicat.

32 Tandem respondetur, solu-
tionem Capreoli acceptando, quæ
communiter etiam recipitur à Va-
llesio, & à peritiorib⁹ Medicis. Pro
qua etiam intelligenda recolenda
sunt, quæ diximus hoc libro q. 12.
nu. 60. Formæ enim imperfectæ,
quæ mediant in resolutione misti,
quod per multas generationes, &
corruptiones, tandem resoluitur
in elementa; non habent aliam cau-
sam, quā agens principale, qui cau-
sat generationem præcipuē inten-
tam; & ex proximis dispositionib⁹
materia continua successione for-
marum, tandem manet cum imper-

fecta forma elementi. Ad replicā
facile dicitur, quod dispositiones
aliquæ non sunt aptæ ad formam
misti, & sunt aptæ ad formam ele-
menti: & nullæ dispositiones sunt
aptæ ad vtramque simul, & sunt ap-
tæ ad vnam illarum disiunctim.

Ad secundam replicam dicitur,
numquam æquè immediatè fieri
resolutionem in omnia elementa;
sed in illud, quod magis domina-
tur; & sic accidentia præcedentia
aptant, & determinant pro ista, vel
illa forma introducenda. Si autem
detur casus, quod applicentur cau-
sæ pro generatione omnium ele-
mentorū, in omnia fiet resolutio.

QVAESTIO XXXIII.

*Qualiter elementa maneat in
misto virtualiter?*

1 **A**rgumenta omnia, quæ solēt
congeri ad probandum ele-
mēta manere formaliter in misto;
licet id non conuincant; ostendūc
tamen in illo manere virtualiter;
alioquin nec verificaretur mista fie-
ri ex elementis, nec proprie esset
mistiō, id est, miscibilium alterato-
rum vnio. Hac ergo veritate sup-
posita, modum quo verificetur in-
quirimus?

2 Potest enim multis modis hæc
continentia contingere: vel enim
est continentia in genere causæ ef-
ficientis, sicut ignis continet calo-
rem, & Sol continet effectus, quos
in inferioribus causat; vel est in ge-
nere causæ formalis, quia forma su-
perior eminentiori modo præstat
quicquid

quicquid faceret forma inferior; vel denique potest esse continentia virtualis, id est in aliqua virtute accidentali deriuata à forma superiori. Hæc autem virtus, vel potest esse eadem numero; vel solum eadem specie: vel potest intelligi quod sit vna simplex in entitate, & multiplex in virtute: vel potest esse composita ex pluribus qualitibus, & dicatur vna proportionem, vel adunationem.

s. I.

Varia Doctorum explanationes.

3 **O**mnibus igitur modis prædictis opinari est elementa virtualiter manere in misto. Scotus negat continentiam media virtute accidentali, & affirmat mista continere formas elementorum virtualiter, ad eum modum quo anima rationalis continet vegetatiuam, & sensitiuam. Ita refert Caietanus ubi infra, & communiter Thomista. Sed quia Cabero disp. 9. du. 6. dolet subtilis Doctoris doctrinam esse male fortunatam, vt ei plures tribuantur sententiæ ab eius mente alienæ: quia solum docuit elementa manere in misto quoad operationes, iuxta Phylippum Fabrum Theore. 6. Ideo placet verba Scoti transferere, vt appareat ipsum non legisse, qui de eius mente sine fundamento dubitant. Scotus igitur in 2. dist. 15. q. vnic. §. Dico ergo, versiculo; item Aristoteles, ita ait. Dico ergo quod elementa non manent secundum substantiam; nec oportet dicere quod

manent secundum qualitates suas, sicut nec qualitates extrema manent in medio. Manent ergo in misto, sicut si diceretur, quod sensitiua, & vegetatiua manent in intellectu. Hucusque subtilis Doctor: ex cuius verbis apparet Caietanum fideliter ipsum retulisse, & non immerito impugnasse, vt ei opponit Suarez disp. 15. Metaph. sec. 10. n. 51. Sed quia id non probat; & verba relata satis eius expositionem improbant, in hoc immorari non expedit. Scoto fauet Durandus in 4. dist. 12. q. 3. ad 2. & q. 2. Prologi n. 19.

4 Alij vero Authores communiter docent elementa manere in misto secundum suas qualitates. Non tamen vna via id adstruunt. Multi enim ponunt quod in misto est quædam qualitas media mistionis ex quatuor primis qualitibus resultans. Quod quidem dupliciter exponi potest, vt notat Ferrara libro 2. contrag. ca. 56. rat. 2. & lib. 4. ca. 81. ad 2. §. Circa tertiam dictum. Vno modo, vt ex qualitibus elementorum corruptis generetur media qualitas, actu quidem simplex, in qua non sit actu diuersitas caliditatis, & frigiditatis, aut aliarum qualitatum; sed virtualiter multiplex, in quantum in ipsa virtualiter qualitates elementorum continentur. Ita ex Thomistis docent Hæruus tractatu de pluralitate formarum. Soncinus 10. Metaphys. q. 27. conclusio. 3. Iauellus 8. Metaphys. q. 4. & posse suslineri in Doctrina S. Thomæ, dicit Ferrara illo cap. 56. & cap. 81. Soletque tribui Auicennæ libro. 1. Sufficientiæ c. 9.

& libro 12. de Natura Anim. ca. 1.
 & Aerroi. 1. de Gener. textu 89.
 & libro 2. Collectaneorum cap. 2.
 & alijs Phylofophis, & Medicis,
 quos fequitur Sancta Cruz Opufcu-
 lo tercio capite 6.

5 Alio modo intelligitur hæc
 qualitas media, ita vt ex qualitati-
 bus elemētorum remiffis refultet
 qualitas media realiter composita
 ex partibus diuerfarum rationum,
 vt pote habens aliquid formaliter
 de calore, & aliquid de frigidita-
 te, & fic de alijs, ita vt quandoque
 vna eius pars intendatur, & alia
 remittatur. Ita Capreolus in 2. dif.
 15. ad vlt. cōtra 2. & dift. 30. ad 1.
 contra 1. & quod hoc fit magis ad
 mentem S. Thomæ docet Ferrara
 vbi fupra, & Thomiftæ frequēter.
 Item Petrus Peramatus lib. 1. de
 Temperamentis cap. 1. & Ludouic-
 us Mercatus lib. 1. de Principijs
 p. 2. claffe 2. art. 1. & alij.

6 Non defunt tamen qui negēt
 omnes quatuor qualitates elemen-
 torū manere in mifto; & afirmant
 manere duas fimplices qualitates;
 videlicet, vnā mediam inter ca-
 lorē, & frigiditatem; alteram me-
 diam inter humiditatem, & ficci-
 tatem; hæ enim duæ poffunt alia-
 rum effectus temperate facere. Ita
 Albertus Saxonia hic q. 19. Tho-
 mas de Garbo in fuma tractatu
 2. q. 4. & alij.

7 Valde recepta inter Doctores
 Antiquos, & Modernos fententia
 afirmat, ideo elementa manere in
 mifto, quia manent in illo quatuor
 primæ qualitates ad mediocritatē
 redactæ. Videtur S. Thomæ 1. p. q.

76. art. 4. ad 4. dicentis. *Et ideo dicen-
 dum est fecūdum Phylof. phū in 1. de Ge-
 nerat. Quod forma elementorum manent
 in mifto; non actū, fed virtute; manēt enim
 qualitates propria elementorum, licet ve-
 miffæ, in quibus est virtus formarum ele-
 mentarium.* Et fequūtur Phylopo-
 nus, Aegidius, Vallefio, & alij mul-
 ti, quos citant, & fequūtur Conim-
 brie. cap. 10. q. 4. art. 1. Rubio q. 5.
 & paffim alij; & tenēt omnes Tho-
 milæ.

8 Adhuc tamen ifti difcriminan-
 tur: funt enim, qui dicāt eadem nu-
 mero accidentia elemētorum per-
 feuerare in mifto. Sic Marfilius q.
 22. Toletus q. 18. conc. 4. ¶ Tho-
 milæ vero, & Conimbriçenfes, &
 Rubio, & Garcia fuper Fen. 1. difp.
 7. cap. 3. & alij dicunt permanere
 in mifto qualitates elementorum
 eafdem fecundum fpeciem, diftin-
 ctas vero numero ab his, quæ erant
 in elementis. ¶ Rurfus, plures ex
 illis, quos fequuntur PP. Carmelit.
 difp. 9. q. 4. & M. Ioan. à S. Thoma
 q. 6. art. 3. ita adhærent huic dicen-
 di modo, vt omnes alios penitus
 excludant. ¶ At vero Capreolus,
 & Ferrara, & Caiet. 1. 2. q. 52. art. 2.
 §. ad hoc dicitur primo, & Bañez hic
 ca. 10. q. 3. cum alijs antiquis Tho-
 milis, cum veritate vltimæ fenten-
 tiæ arbitrantur fimul verificari ali-
 quos ex dicendi modis prius rela-
 tis. Et quia hoc arbitror omnino
 veram, & de mente S. Tho-
 mæ, pro ea exponen-
 da.



s. II.

Vera sententia quoad continentiam substantialem.

Dico primo, forma misti non continet formas elementorū, sicut intellectiuum continet vegetatiuum. Hanc, contra Scotū, probat Caietanus 1. p. q. 76. ar. 4. ad 4. in sine duplici argumento, cui hactenus non video satisfactum. In primis, quia vegetatiuum prædicatur formaliter de homine; non potest autem de illo prædicari, quod sit ignis, vel aqua: ergo forma hominis, & aliorum mistorum non continent formas elementorū, eo modo quo intellectiuum continet vegetatiuum.

10 Secundo, omnis forma eminenter continens aliam, perfectiori modo præstat, id quod imperfectior præstaret; quia quod est inferioris, præexistit perfectius in superiori, ut ex S. Dionysio ait S. Thom. 1. p. q. 76. art. 5. sensitiuū enim perfectiori modo operatur opera vegetatiua, quam purè vegetatiuum. Sed experimur, quod operatio elementum non æquè perfectè, aut perfectius est in forma misti: non enim multū ignire habet, vel infrigidare, aut exsiccare: ergo non continet forma misti formas elementorum, sicut forma superior continet inferiorem. Quod si dicatur, quod ly sic non dicit omnimodam paritatem, sed aliqualem; non admodū repugnabimus: oportet tamen explicare in quo parificentur; cum in

prædictis apertè discriminentur.

11 Dico secūdo, forma ipsa substantialis misti dicitur virtualiter continere elementa, in quantum est radix qualitatum, in quibus virtualiter sunt virtutes elementorū: seu in quantum cōnaturale est formæ misti, quod ei debeat tempus ramentum, quod virtualiter correspondet qualitibus elementorum. Ita indicat S. Thom. in 4. Cōtrag. c. 81. in sol. sec. distinguēs formam mistionis substantialem à forma mistionis accidentali. Et Opuscul. 33. circa finem dicens: *Et hæc quidem qualitas est propria dispositio ad formam corporis misti, sicut qualitas simplex ad formam corporis simplicis.* Et fauet Caietanus loco citato 1. 2.

12 Ratio à priori in istis verbis indicatur, quia formæ ipsæ substantiales antecedenter ad qualitates essentialiter differunt, quia vna est forma elementi, alia forma misti: ergo sicut iuxta diuersitatem elementorum, illis formis connaturaliter debentur diuersæ qualitates simplices, ita & mistis debentur diuersa temperamenta: ergo formæ ipsæ virtualiter eas qualitates continent, & sic saltem mediate continent virtutes elementorum, propter perfectionem suarum formarum.

13 Dices, conclusionē hanc videri oppositam primæ: nam in secunda concedimus continentiam virtualemente formarum elementariū in formis mistorū, quam in prima conclusione negabamus.

Respondetur, quod non omnis continentia virtualis est continen-

tia eminentialis; quia ad istam exigitur, quod forma superior, formaliter, vel efficienter præstet perfectius, & eminentius, quod alia facit imperfectè, & limitate. At vero ad continentiam virtualē sufficit quod forma nobilior contineat in se cōnaturaliter virtutem, vel dispositionē continentem formaliter virtutem alterius, licet non in eodem gradu perfectionis. In prima conclusione continentiam eminentialem formalem substātiālē negabamus; in secunda solū cōcedim⁹ cōtinētiā virtualē accidentis formaliter æquivalentis virtutibus elementorum, licet non adæquet singulorum virtutem. Vnde nulla est contradictio.

14. Instabis: nam vt docet S. Thomas q. 6. de Potentia art. 6. in cor. *Corpus mistum nobilius est corpore elementari: & maxime quantum ad formam; quia elementa mistorum corporum materia sui: quod, & docet q. 16. de Malo ar. 1. ad 4. & de Spirit. Creat. ar. 7. & de anima art. 7. & alibi sæpe. Sed forma nobilior continet inferiorem, nō tantum virtualiter, sed etiam formaliter eminenter.*

Respondetur, simpliciter loquēdo mista esse nobiliora elementis: sed tamen quoad aliqua, elementa sunt nobiliora; etiam viuentibus: vnde S. Thomas q. 5. de Potentia art. 9. ad 10. ait, *quod quantum ad simplicitatem, qua facit ad incorruptionem, sunt elementa Deo similia.* Et ex hac parte aliqua accidentia nobiliori modo sunt in elementis quam in mistis, etiam animatis anima rationali. Quod bene notat S. Thomas

in 2. dist. 30 q. 1. art. 1. ad 8. dicens, *quod quamuis corp⁹ hominis simpliciter nobilius sit corpore ignis urentis, vel ferri secantis, in quantum est nobiliori forma perfectum; nihil tamē prohibet illa corpora nobiliora esse secundum quid, in quantum scilicet, hoc habent in actu, quod corpus humanum habet in potentia, vt caliditatem, vel aliquid huiusmodi.* Et in 2. dist. 15. q. 2. art. 1. ad 2. docet per se loquēdo corpora grossiora esse perfectiora: *Sed nihil prohibet quantum ad aliquas virtutes corporales, vt calorē, & frigus, & huiusmodi, subtiliora corpora nobiliora esse.* Pariter in præsentī quamuis forma misti sit nobilior simpliciter; tamē elemētū nobiliori modo habet primas qualitates, quam mista.

15. Secundo dicitur, quod non quælibet maior perfectio formæ sufficit ad continentiam eminentialem, quia anima est nobilior omni forma inanimata, & tamen perfectiones sunt in formis calorum, & metallorum, & similibus, quæ non continētur in anima, nec ab ea præstari possunt.

§. III.

Qualitates primæ sunt in misto formaliter.

16. **D**ico tertio, in mistis sunt formaliter qualitates elementorum; non eadem numero; sed eadem specie: & hoc sufficit vt elementa dicantur manere virtualiter in misto. Prima pars manifeste sumitur ex Philosopho, & Diuo Thoma 4. Metheororū lec. 2. vbi non solum in elementis, sed etiam in mistis animatis causam corruptionis

tionis assignant caliditatem continentis, quia soluitur calor à proprio humido, & sic restat siccitas. Quod falsum esset, nisi primæ qualitates essent formaliter in misto. Idem sumitur ex lec. 3. sequenti, ubi assignant causam digestionis, & indigestionis. Clarius id docent lib. 2. de Ani. lec. 23. lit. e. dum dicunt, quod organo tactus *senimus excellentias tangibilem, quasi organo tactus constituto in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates.* Iste ergo ibi sunt in actu, quamuis attenuata. Et lec. 24. lit. c. hac via explicant, quod excellens sensibile corrumpit sensum, quia soluit proportionem qualitatum requisitam in organo sentiendi: quod latè prosequitur S. T. 1. p. q. 76. a. 5. in cor.

17 Idem expressit S. Tho. 1. p. q. 76. ar. 4. ad 4. verbis relatis n. 7. & adhuc expressius q. 5. de Malo ar. 5. ad 6. inquit, *d'cedum, quod ita sunt contraria qualitates in corpore misto, sicut sunt contraria elementa in mundo: & sicut contraria elementa non se inuicem corrumpunt, quia conservantur per virtutem corporis celestis, à quo actiones eorum regulantur: ita contraria qualitates in corpore misto regulantur, & conservantur, ne se inuicem corrumpant, per formam substantiamalem, quæ est impressio quadam celestis corporis.* Quæ autoritas nulla adhibita ponderatione intantum convincit. Videatur etiam in 2. sent. dist. 19. ar. 4. ad 2. & in 3. dist. 16. q. 1. art. 1. ad 4. ubi inquit: *Impossibile est, quod complexio perveniat ad tantam aequalitatem, quin alterum contrariorum predominetur, &c.* quod non verificaretur, si in complexione mistorum non essent qualitates contrariæ.

18 Ratione probatur primo, quia omne corpus sublunare, ideo est naturaliter corruptibile, quia est compositum ex contrariis, ut docet S. Tho. 1. 2. q. 85. art. 6. & alijs locis ibi in margine relatis, & communiter acceptatur à Philosophis; quia ex pugna contrariorum, & mutua actione inter se, dissolvitur proportio mixtionis, & inducitur corruptio: ergo omne mixtum habet formaliter in se contrarias qualitates.

Secundo idem suadetur experientia: nam ideo primas qualitates agnovimus in elementis, quia experimur ignis calorem, terræ siccitatem, aquæ frigiditatem, & aeris humiditatem: sed similes qualitates simul experimur in mixtis: ergo sunt in illis formaliter.

19 Secunda pars probatione non indiget, supposito quod accidentia subiectantur in toto composito, & non sunt eadem numero in genito, quæ fuerunt in corrupto, ut diximus q. 12. nam si ut diximus q. 32. elementa corrumpuntur cum generatur mixtum; evidenter sequitur non perseverare elementorum virtutes eadem numero.

20 Tertia pars est D. Tho. ubi supra, & quæst. unica de Anima articulo 9. ad 10. ait: *Nec dicendum est, quod totaliter corrumpantur, sed quod manent virtute, ut Aristoteles dicit: & hoc est in quantum manet accidentia propria elementorum secundum aliquem modum, in quibus manet virtus elementorum.*

21 Et ratio est, quia istæ qualitates causantur, & derivantur ab eis, quæ sunt in elementis, & dicuntur ele-

elementorum virtutes, quia agunt in virtute illorum: sicut calor existens in aqua non est idem numero cum calore, qui est in igne, & tamen dicitur virtus ignis in cuius virtute agit: ergo pariter qualitates elementorum, quæ sunt in misto derivantur ab elementis, sufficiunt ut dicantur elementa esse virtualiter in misto, licet virtutes mistorum, & elementorum non sint eadem numero.

22 Ad quod explicandum apta sunt verba S. Tho. lib. 2. de Anima lec.

24. litt. a. post medium, dicentis: *Licet enim illa, & eadē materia numero, quæ est agentis, non sit patientis; sit tamen quodāmodo eadem, inquantū similem dispositionem materialem ad formam acquirit, ei quæ erat in agente. Et hoc modo aer patitur ab igne, & quicquid patitur passione naturali.* Ergo similiter mista patiuntur à qualitatibus elementorum; & per hunc modum elementa sunt in misto medijs similibus virtutibus, seu dispositionibus à virtutibus elementorum derivatis.

23 Sed obijcies: nam sola successio unius individui post aliud, non est satis ad hoc ut unum dicatur permanere in illo; sicut licet cadaver succedat viventi, non ideo cadaver continet formam viventis. Ergo licet qualitates misti succedant qualitatibus elementorum, non ideo dicentur elementa manere in misto.

Dices cum Scoto ubi supra n. 3. non esse solam successionem, sed esse naturalem convenientiam mistorum cum elementis; quæ non est

unius elementi cum alio; nec vivens cum cadavere.

Sed contra, nam plures species sunt, inter quas est maior convenientia, & similitudo in natura, quam inter alias; & tamen non dicuntur contineri in alijs virtualiter illæ, quæ maiorem habent convenientiam: ergo solutio est insufficientis.

24 Dices cum Thomistis, non esse solam convenientiam; nec sufficere solam successionem similium qualitatum; sed insuper desiderari, ut id quod remaneat, remaneat per modum virtutis alterius, & illi ut agenti principali subordinetur.

Nec hæc solutio videtur satisfacere, eo quod unumquodque operatur per modum cause principalis per qualitates activas ubi conaturales; sed qualitates primæ ad medietatem redactæ sunt conaturales misto per modum virtutis illius, ut diximus numero 11. ergo mistum erit quod principaliter per illas operatur.

25 Respondetur approbando secundam solutionem. Ad replicam respondetur primo ex dictis q. 8. n. 14. Secundo respondetur, quod operationes primarum qualitatum in sua puritate, & perfectione subordinantur elementis, à quibus derivantur, & quibus tribuuntur in summo: eadem verò ut refractæ subordinantur, & tribuuntur misto, & quia in isto derivantur ab elementis; ideo hoc sufficit ut elementa dicantur manere in misto.

Respondetur tertio, quod primæ qualitates sunt conaturales elementis, ut eis quibus primo, &

perse, ac per naturam cōueniunt; mistis verò, vt eis, quibus perse secundo, & per participationem ab elementis competunt: hoc sufficit vt mista vtantur qualitatibus primis; at verò primum exigitur vt absolutè elementis tribuantur operationes qualitatum. De quo PP. Carmel. n. 56. & 57.

26 Secundo obijcies: qualitates contrariæ nō possunt esse simul in eodem subiecto: sed qualitates elementorum sunt contrariæ, nēpè calor, & frigiditas, humiditas, & siccitas: ergo non possunt esse simul formaliter in misto.

Respondetur, quod contraria nō possunt esse simul, si ambo sint in summo, vel in æquali gradu; bene tamen si vnum dominetur, & alterum sit in gradu inferiori; imò non possēt esse mistio sine ista pugna qualitatum, ita vt quantum excedit vna, tantū desit alteri. Quod notat Sanctus Thomas in tertio distinctione 16. quæstione prima articulo primo ad quartum: *Quia aliàs non fieret mistio, nisi vnum in alterū ageret dominans ad medium reducendo, altero resistente. Et præcipuè hoc oportet in corpore humano, quod calor dominatur propter operationes animæ, quæ indigent calore sicut instrumento, vt dicitur in 2. de Anima tex. 41. De quo Sanctus Thomas 1. p. quæst. 91. art. 1.*

& alibi sæpè. Quomodo autem fiat hæc qualitatum refractione, exponendum restat.



s. III.

Vtrum in omnibus mistis detur quinta qualitas?

27 **R**efractionem qualitatum exponemus iudicium ferendo secundæ sententiæ, & duorum modorum dicendi, quibus defenditur. Et licet de hoc puncto latissimè disputent Medici, & reliquis diligentius eruditus Petrus Garcia super Fen. 1. disputatione octaua, per septem capita; nos præcipuè pro modulo nostro mentem Sancti Thomæ diligenter inuestigabimus; quia, vt vidimus, Antiqui Thomistæ dissidebant in ea declaranda.

28 Dico ergo quarto, in misto reperitur qualitas media, quæ dicitur complexio, vel forma accidentalis mistionis. Est expressa Sancti Thomæ libro primo de Generatione lectione 24. in fine, vbi ait: *Sic igitur remissis excellentijs elementarium qualitatum, constituitur ex eis quædam qualitas media, quæ est propria qualitas corporis misti; differens tamen in diuersis secundum diuersam mistionis proportionem. Eadem formalia verba scribit Sanctus Thomas Opusculo 33. circa finem. Et indicat in secundo distinctione 30. quæstione secunda articulo primo, & libro quarto Contragentes cap. 81. ad secundū, ait S. Thomas. Alio modo dicitur forma misti qualitas quædam composita, & temperata ex mistione simplicium qualitatum.*

Ita ut, quæ ita se habeat ad formam substantialem corporis misti, sicut se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis. Et in quarto distinctione 44. quæstione prima articulo primo, quæstioncula prima ad quartum, ait. Forma missionis, quæ est forma resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, &c. In ipso etiam loco, qui in contrarium solet citari, hanc partem clare exprimit: nam l. p. q. 76. art. 4. ad 4. post verba supra relata, concludit. Et huiusmodi qualitas missionis est propria dispositio ad formam substantialem corporis misti, puta formam lapidis, vel animæ cuiusque.

29 Fauet Philosophus 3. Topi-
corum cap. 4. dicens, albius esse,
quod est nigro impermissius. Et ra-
tionem tangit S. Thomas Opuscu-
lo 33. inter alia asserens. *Ex contra-*
rijs qualitatibus suscipientibus magis, &
minus consti- ui potest media qualitas, quæ
viriusque sapiat extremam naturam, sicut
pallidum inter album, & nigrum, & te-
pidum inter calidum, & frigidum. Ex
inde formatur ratio. Non sunt mi-
noris actiuitatis qualitates primæ
quam qualitates secundæ: sed ex
diuersis qualitatibus secundis ad in-
uicem permistis resultat tertia qua-
litas vt viride, tepidum, & sapes
medij: ergo pariter ex diuersa per-
mitione qualitatum primarum. Si-
militer sanitas, & pulchritudo re-
sultant ex attēperata mitione pri-
marum qualitatum. Vnde S. Tho-
mas lib. 2. Contragent. cap. 64. ra-
tione 3. ait. Sanitas est quedam harmo-
nia humorum: fortitudo nervorum, & os-
sum: pulchritudo membrorum, & colo-

rum: ergo pariter qualitas missio-
nis.

30 Tertio: nam diuersis formis
secundum speciem debentur diuer-
sæ qualitates, & dispositiones: sed
forma misti specie differt à formis
elementorum: ergo sicut elemen-
tis debentur qualitates simplices,
ita mistis debentur qualitates con-
temperatæ.

Quarto, in compositione pluriū
medicamentorum experimur qua-
litates, & virtutes ad quas simpli-
cia non se extendebant, vt in con-
fectione theriacæ, cuius virtus vi-
get trigessimio anno, & vsque ad
sexagesimum vim vtilem seruat,
vt dicit Galenus de Theriaca cap.
9. cum tamē simplicia vix possint
seruari vno anno. Ergo, vt qualita-
tes elementares durent, debent ad-
unari in qualitate misti. Rationes
tamen istæ, & exempla ex parte
deficiunt, vt sequenti conclusione
exponetur.

31 Dico vltimo, qualitas missio-
nis non est qualitas simplex distin-
cta à primis; sed est realiter compo-
sita ex illis, & est vna proportio-
ne, & quia est dispositio vnus cor-
poris misti. Hæc probatur autori-
tatibus, & rationib⁹ adductis pro
tertia conclusione: ex qua deduci-
tur manifeste, quod non ita debet
adstrui hæc quinta qualitas sim-
plex, quod destruat qualitates pri-
mas: siquidem diximus illas esse
formaliter in misto.

32 Si autem quis asserat formā
missionis esse qualitatem vnā sim-
plicem vltra qualitates primas per-
manentes refractas: sicut mentalis

compositio est vnus conceptus simpliciter vltra conceptus extremorum, vt diximas 2. p. Metaph. Controu. 12. artic. 7. & sicut vltra species intelligibiles, quæ sūt multæ, datur in anima habitus scientie simplex qualitas, iuxta dicta 1. p. Metaph. Controu. 2. artic. 4. Non facile posset falsitatis conuinci, vt patet expendendo argumēta, quæ contra hunc dicendi modū solent obijci.

33 M. Bañez q. 3. concl. 5. in fine arguit, quia hæc qualitas specie distingueretur à quatuor primis qualitatibus: vnde non verificaretur elementa manere in misto; siquidem nulla qualitas ipsorum, neque secundum numerum, neque secundum speciem remaneret in eo.

Hæc tamē ratio non militat contra quintam qualitatem perseuerantem cum alijs quatuor, quia ratione iularum verificaretur virtutes elementorū manere in misto. Nec simpliciter ratio est efficax, quia sufficeret, quod hæc qualitas causaretur à virtutibus elementorum, & ageret vt virtus eorum, vt mediātē in illa saluaretur, elementorum virtutes mediātē in misto: vnde S. Tho. lib. 2. de Gen. lec. 1. litt. a. docet, quod quatuor qualitates elementorū sunt cause omnium aliarum qualitatum tangibilium.

34 Melius arguūt Medici, quos refert, & sequitur Petrus Garcia disp. 8. cap. 3. quia talis qualitas est frustra; siquidem illi nullus correfpondet effectus, vel operatio, aut vsus, qui non correspondeat pri-


mis qualitatibus; siquidem producere alias qualitates, conseruare propriam formam, satis fit ipsis primis qualitatibus. Ad proportionem etiam, & moderationem qualitatum, opus non est alia qualitate; cum ipsæ primæ qualitates, si remittantur, hoc ipso moderatæ, & temperatæ maneat, vt ponderat M. Ioannes à Sancto Thoma q. 11. art. 1.


35 Quæ ratio satis probabiliter intentum conuincit; & idē illi acquiesco: quamuis non ita sit demonstratiua, quod ei nō possit responderi: sicut enim docet Sanctus Thomas libro 2. Contragent. cap. 68. & quæst. 10. de Veritate artic. 10. ad 5. formæ mistorum habent aliquas operationes excedentes primas qualitates, quas sortiuntur ex corporibus celestibus, sicut quod adamas attrahit ferrum, non propter calorem, aut frigus, aut aliquid huiusmodi, sed ex quadam participatione virtutis celestis. Cum ergo istæ qualitates distincte à primis negari nō possint; pariter in omnibus mistis, cū habeant formas specie differentes ab elementis, possit poni qualitas specifica mistionis specie distincta ab elementorum qualitatibus, sed ab eis causata, & resultans; sicut sanitas, & pulcritudo resultat ex speciali temperamento: & in medicamentis compositis apparent operationes excedentes vim simplicium. Quia tamen hæc qualitas, licet vtcūque defendatur; non habet firmum argumentum quo probetur, non est cur eam adstruamus.

36 Tercio modo ponitur quinta qualitas, non simplex, sed composita ex quatuor primis, quas actum in se continet. Et sic eam defendunt Authores relati n. 5. Sed acriter pluribus impugnat Garcia toto capite. 4. Verum paucis est opus, quia si congrue explicetur, incidit in ipsius, & nostram sententiam: & si alio modo intelligatur, vel est vna ex iam impugnatissimis sententiis, vel est manifeste absurda non indigens impugnatione. Quod sic declaratur: nam hæc qualitas composita, vel adæquatè constat solum ex quatuor primis qualitatibus ad mediocritatem reductis, ita ut nulla alia qualitas sit eius pars? Et sic est nostra communis sententia. Vel quatuor primæ qualitates se habent quasi materia, & quinta qualitas se habet ut forma? Et sic est sententia iam impugnata de quinta qualitate simplici manentibus simul quatuor primis qualitatibus, & non facile percipitur qualiter quædam qualitates se habeant ut materia, &

alia ut forma in entibus physicis. Vel denique ponuntur simul manere formaliter quatuor primæ qualitates, & ulterius aliam quintam qualitatem esse necessariam, quæ realiter distinguatur à primis, & sit composita ex eis: quod à nullo arbitrator asseri; nec facile posse percipi, quia partes illius quintæ qualitatis non sunt aliæ, quam qualitates primæ; nec effectus aliquis, aut operatio alia eis correspondet, quam primis qualitatibus.

37 Dicendum est ergo, quod qualitas mixtionis non differt à primis qualitatibus ad mediocritatem reductis: & ideo hæc qualitas, licet absolute sit multiplex; est tamen vna proportionem, & ordine: nam mixtio est per compositionem, & mutuam reactionem, quia provenit ex reciproca actione contrariarum qualitatum, quæ ab elementis causantur in mixtis. Et hæc de hac questione, & libro primo dicta sufficient.





LIBER SECVNDVS

ARISTOTELIS,

De Generatione, & Corruptione.

1 **D**escendit Phylosoph⁹ in hoc secundo libro ad explicandam generationem, & corruptionem elementorum; quia sunt prima principia generationis, & corruptionis, & alterationis corporū, & qualitatum tangibilium; & sic in genere applicat, quæ de generatione, & alijs motibus dixerat; vt in libris Meteororum, & alijs tractatibus Naturalis scientiæ determinet de speciebus transmutationum, quæ accidunt circa elementa, vt completa habeatur notitia rerum naturalium per sua principia, genera, & species: scientia enim non descendit in particulari ad indiuidua cōsideranda, quia vt notat S. Thomas in principio Meteororum, *indiuiduum non cadit sub consideratione artis; non enim eorum est intellectus sed sensus.*

2 Diuiditur liber in capita vnde cim. Tribus prioribus capitibus explicat principia generationis elementorum, & eorum numerum. Tribus sequētib; exponit ipsam elementorum generationem. Capite septimo, & octauo tractat de generatione mistorum. A capite

nono vsque ad finem declarat vniuersales causas generationis, & eius perpetuitatem.

Somma capitis primi.

3 **D**E materiali principio elementorum agit Phylosophus in hoc capite. Et in primis refert opinioniones aliorum, nam quidā posuerunt tantum vnā materiam elementorum, vel aerem, vel ignem. Alij verò dixerunt esse ignem, & terrā simul; & alij addiderūt aerē; alij aquā: omnes tamē dixerūt istā materiam esse corpus separabile actu, & per se existens, & quod per congregationem, & segregationē ipsius fit generatio, & corruptio in rebus.

Ex parte reprobat istorum opinionem, eo quod impossibile est, quod corpus sensibile sit sine contrarietate: vnde non verè dicitur materiā corporeā elementorum esse separabilem à contrarietate, & à forma elementalī, vt ipsi ponebant.

4 In secunda parte propriam statuit opinionē dicens, quod est aliqua vna materia sensibiliū corporum

rum, scilicet, elementorum, quæ non est separabilis simul ab omni forma elementi, nec ab omni contrarietate; sed sēper est sub aliqua forma, & aliquib⁹ qualitatibus cōsequentibus ipsam formam: & ex ista materia generantur sensibilia corpora, quæ vocantur elementa. Vnde non est verum, quod Empedocles dixit, quod elementa non transmutantur: si enim immutabilia sunt, nūquam esset generatio, nec alteratio: quod est manifestè falsum.

Summa capituli secundi.

Agit de principio formali elementorum accidentali, nēpè, de sensibilibus qualitatibus, secundum quas elementa qualia sunt, ut per illas qualitates sensibiles det intelligere ipsa formalia principia substantiaria. Et in primis ostendit, quod nō omnes cōtrarietates sūt formæ elementorū perfectiſſe, sed solū tāgibiles; quia nō sunt primæ, nec actiuæ, nec passiuæ ad inuicē; cuius modi oportet esse principia primorū corporū, scilicet elementorū; & ideo nec albedo, nec nigredo, nec dulcedo, & amaritudo, nec aliqua alia sensibilis qualitas, quæ non est tangibilis, facit elementa.

In secunda parte numerat contrarietates qualitatū tangibiliū, nēpè calidum, & frigidū; humidū, & siccum; graue, & leue; durū, & molle; lubricū, aridum; asperum, leue; grossū, & subtile. Ex quibus quatuor primæ sūt actiuæ, & passiuæ: calidum enim est, quod cōgregat homogenea sibi; frigidum autē cōgregat om-

nia, & eiusdē, & diuerſe nature. Quod autē humidum, & siccum sint passiva, etiā cōstat ex eorū definitionibus: humidum enim est in determinatū proprio termino, bene terminabile termino alieno. Siccum autē terminatur termino proprio, difficulter autē terminabile termino alieno. Prædictæ autem quatuor qualitates sunt primæ, quia ad eas omnes aliæ reducuntur, sicut subtile est ex humido, & grossum est effectus siccus: & lubricum reducitur ad humidum; aridum autem est, quod est perfectè siccum. Molle autē est effectus humidus: durum reducitur ad siccū, sicut effectus ad causam. De aspero autē, & leni manifestum est, quod ad quatuor primas qualitates reducuntur: cū igitur istæ qualitates nō reducuntur ad alias; necesse est has quatuor qualitates esse primas.

Summa capituli tertij.

Trahit de numero, loco, & prædominio qualitatū elementorum: & dicit, quod cum sint quatuor tāgibiles qualitates: & inter eas tantū sint sex imaginabiles combinationes; & duæ sint impossibiles, quia impossibile est contraria esse in eodem, nempe, calidum, & frigidum, humidū, & siccum; ideo solum reliquæ quatuor coniugationes erant possibiles: vnde erunt solum quatuor elementa: ignis enim est calidus, & siccus; aer calidus, & humidus; aqua frigida, & humida; terra frigida, & siccata. Et quoad hoc concordabat antiqui, quia nullus possuit plura elementa quam quatuor; & omnes dicunt ea pati per contrarias qualitates, Quoad

8. Quoad secundum asserit, quod ignis, & aer sunt illius loci, qui est ad terminum sursum; terra autem & aqua deorsum. Sed extrema sunt magis sincera: sicut ignis, qui est simpliciter leuis, ideo simpliciter fertur sursum; terra verò simpliciter deorsum, quia simpliciter grauis: sed media elementa utroque participant.

9. Circa tertium ait, quod in vnoquoque elemento dominatur vna qualitas, sicut in terra magis dominatur siccitas, quam frigiditas; in aqua magis frigiditas, quam humiditas; in aere magis humiditas, quam caliditas; in igne verò magis dominatur caliditas, quam siccitas.

Summa capitis quarti.

10. **D**eterminat de transmutatione mutua elementorum, primo in generali ostendens, quod elementa ad inuicem transmutantur, tali ratione. Generatio est ex contrariis, & in contraria: omnia elementa habent contrarietatem ad inuicem; quædam secundum abas differentias, sicut ignis, & aqua; ignis enim est calidus, & siccus; aqua verò frigida, & humida; quædam autem contrariantur solum secundum alteram qualitatem, quia aer est calidus, & aqua est frigida: simile est de terra, & igne, & de terra, & aqua: ergo quodlibet elementum ex quolibet generatur.

11. Secundo in speciali ait, quod quæcumque habent symbolum,

idest, conuenientiam in aliqua qualitate, citius, & facilius transmutantur ad inuicem; illa verò quæ in nulla qualitate conueniunt, tardius, & difficilius; quia facilius est vnum transmutari, quam plura, & in dissymolis utraque qualitas transmutatur, & in symbolis vna.

Tertio dicit, quod si altera qualitas vniuscuiusque elementorum habentium symbolum corrumpatur, non est ad inuicem transmutatio; sed tamen poterit aliquod tertium generari: sicut ex igne, & aqua poterit generari terra, & aer; & ex aere, & terra ignis, & aqua.

Tandem asserit, quod in elementis symbolis talis generatio esse non potest, quod ex duobus, altera qualitate in utroque corrupta, tertium generetur: sed generatur vnum ex alio, quia sunt faciles transmutationis.

Summa capitis quinti.

12. **E**xponit subiectum generationis elementorum dicens, quod non est aliquod corpus actu existens; alioquin generatio elementi ex elemento esset alteratio sola: quod est impossibile. Nullum ergo elementum est materia ad alia elementa; sed materia eorum est vna, quæ est potentia vnumquodque, nempe materia prima communis utrique.

Sed quia quidam opinati sunt, quod non omnia elementa ad inuicem transmutantur; sed solum quædam. Ideò hanc opinionem destruere intendit tali ratione. Quæcumque

cumque sunt contraria ad inuicē, transmutantur: sed omnia elementa, siue habeant symbolum, siue non, sunt cōtraria in ambabus, vel in altera qualitate: ergo omnia elementa ad inuicem transmutantur.

13 Ostendit demum, quod trās mutatio elementorum non procedit in infinitum: si enim hoc ponatur, sequuntur quatuor inconueniētia; quorum primum est, quod in vno elemento erunt infinitæ qualitates: & deinde, cum infinita non sit pertransire, vt dicitur in 8. Physicorū text. 75. sequitur, quod talia numquam ad inuicem mutabuntur. Et etiam sequitur, quod proximum elementum non poterit mutari in sibi proximum. Et denique omnia infinita erunt vnum; quia omnes qualitates elementorum, quæ essent supra ignem, conuenirent etiam inferioribus, & è conuerso: quorum autem primæ qualitates sunt eadem, & ipsa sūt eadem.

Summa capitis sexti.

14 **D**estruit in hoc capite Phylolophus opinionem Empedoclis, qui dixit elementa numquam ad inuicem transmutari: & eum rejicit primo ex admissis ab ipso: nam si elementa sunt intransmutabilia, non sunt comparabilia secundum rarum, & densum: sed elementa sunt comparabilia secundum Empedoclem: ergo falsum est ipsa esse intransmutabilia. Secundo impugnat deducendo ad alia incon-

uenientia, quia illa opinio tollit augmentum: nam tunc vnum elementum adderetur alteri, sicut lapis lapidi: hoc autem est quædam accumulatio, & non est augmentum. Deinde tollit generationem, nam æqualiter potest generari ex homine asinus, & homo; si vtrumque eorum non est nisi congregatio elementorum.

15 Præterea Empedocles locutus fuit insufficiēter de motu, eius veram causam non assignans, quia nec causam naturalem, nec violentam assignat, & sibi ipsi contradicit omnia reducendo ad duo principia, & asserens motum esse à casu, & a fortuna. Falso etiam dicebat animam componi ex elementis, alioquin non posset alterari proprijs alterationibus. Rursus, si non sunt miscibilia nisi corpora, vt lib. 1. text. 85. dictum est; & animarum nulla est corporalis; constat, quod anima non est elementum, nec mixta ex elementis.

Summa capitis septimi.

16 **A**git in hoc capite de generatione ratione compositorum ex elementis, & primo arguit ad vtrāque partem secundum opinionem Empedoclis, & secundum opinionem propriā: nam qui dicunt corpora esse intransmutabilia, non possunt assignare modum quomodo corpora mixta componantur ex elementis: necesse est enim secundum eos, quod compositio elementorum sit quædam mixtura talis, qualis est mixtura lapidis in pariete.

Rursus

Rursus etiam ponentibus elementa habere vnam materiam, & esse transmutabilia, sequuntur inconuenientia, si dicatur aliquid generari ex elementis: habet enim quæstionem, & dubium quomodo aliquid generabitur ex ambobus? quia si nil remanet, non est mistio. Si autem remaneat alterum, & alterum corrumpatur, tunc est corruptio vnius, & generatio alterius. Quomodo ergo fiat ex eis generatio, dubium est.

17 Vt respondeat, præmittit duo: primum est, quod differentia elementorum sunt contraria, & suscipiunt magis, & minus. Secundum est, quod quando alterum elementum fuerit simpliciter actu, & alterum simpliciter in potètia, tunc non potest esse mistio: quando verò vnum non est omnino actu, nec per excessum prædominatur alteri elemento, tunc generabitur quoddam mediū, quod nec est simpliciter calidum, nec simpliciter frigidum, sed quodammodo naturam participans vtriusque.

Respondet ergo, quod quia omnia contraria patiuntur ad inuicē; si ipsa elementa non adæquantur potètijs suis, sed vnū omnino alteri prædominatur, tunc transmutantur ad inuicē, & non fit mistio, sed corruptio debilioris, & augmentum prædominantis. Adæquatis verò potètijs eorū secundū quādā proportionem, generatur quoddam medium, sicut carnes, & ossa, & huiusmodi talia, secundum multiplice[m] proportionem qualitatū.

Summa capitis octauis.

18 **P**ROBAT in hoc capite Phyllo-
sophus, quod in quolibet misto sunt omnia elementa. Et in primis; quod in quolibet misto sit terra, probatur, quia omnia mista naturaliter quiescūt in terra sicut in loco: ergo oportet quod in quolibet misto prædominetur terra. Terra autem pura non habet continuationem; nec in ipsa aliqua figura posset consistere: partes autē cuiuslibet misti oportet esse terminatas; sola autem aqua est benè terminabilis: & prima terra propter naturale siccū, quod est in ea, nullatenus commoratur sine humido: alioquin si humidum totaliter auferatur, conuertetur in puluerem. Terra ergo, & aqua sunt in corporibus mistis. Quod in quolibet misto sit aer, & ignis probatur: nam terra, & aqua alterantur in misto: cum autē vnūquodq; miscibiliū alteretur à suo contrario; oportet aerem, & ignem esse in composito: nam aer contrariatur terræ, & ignis aquæ; prout ratione qualitatū contingit substantiam esse contrariam substantiæ.

19 Probat idem per effectum: nā vnūquodque nutritur ex eis ex quibus est, quia nō posset transmutari in naturam nutriti, nisi habeat eandem materiā: sed omnia nutriuntur ex multis elementis: sicut plantæ nutriuntur ex terra, & aqua, & agricultura: ergo ex eisdē quatuor elementis omnia mista consistunt. At verò inter simplicia corpora

pora solus ignis nutritur, licet non proprie.

Summa capituli noni.

20 **I**ncipit tractare de causis, siue de principijs generationis, & corruptionis elementorū, & mistorū. Corporum autē generabiliū, & corruptibiliū quædā sunt principia extrinseca, scilicet agentia, siue mouentia: & ista si sint remota, & prima, sunt eadem omnium corporalium: proxima verò non sunt eadem. Intrinsicca verò principia sunt materia, & forma, & ista non sunt eadem numero corruptibiliū, & incorruptibiliū; sed sūt eadem secundum analogiam. Sicut autem in sempiternis non sufficiūt duo ad motū, sed oportet ad esse mouēs; ita nec in generabilib⁹ sufficiunt ad generationē duo; sed oportet adesse tertium, quod est efficiens. Materia verò, cū sit ens in potentia, est causa quare ista inferiora possunt esse, & non esse: forma verò est causa esse tantum; sed efficiens mouet materiam vt tranſmutetur de potētia ad actum: causa autem finalis in physicis est forma, & species.

21 In secunda parte proponit duas opiniones aliorum de principijs, & eas reijcit. Prima fuit Platonis, qui dixit ipsas species separatas esse sufficientē causam ad hoc, quod res generentur; dixit enim esse quasi sigilla quædam impressa rebus; & quod cum sigillatur materia, quæ fit per illarum participationem, tunc res generantur; & cū eijcitur forma sigillata, manet qui

dem perpetua, sed destruitur indiuiduum periectionem talis formæ. Alij dixerunt principium trāsmutationis materiæ esse ipsam materiam, & ipsum motum esse ab ipsa materia disposita, & informata qualitatibus primis.

22 Reprobat primam opinionem primo, idem manens idē, semper natum est facere idem: sed species, vel ideæ semper manent eadem, & eodem modo: ergo semper deberent generare: sed hoc est falsum; quia quædam quandoque sunt; quandoque non: ergo ideæ nō sunt causæ generationis, & corruptionis. Secundo, ars imitatur naturam; sed in artificialibus necessarium est esse aliquod primū mouens, præter species: ergo in natura est tertia causa, scilicet mouens, præter materiam, & formam.

23 Reijcit secundam opinionem, quia materiæ est pati, & moueri: facere autem, & mouere est alterius potentia. Deinde, quia isti auferunt causam mouentem; quæ sublatā, aufertur forma; cum materia, quæ est potentia, non possit se mouere ad actum. Denique organum dirigitur ab artifice ad actū talem; & similiter est in alijs instrumentis: ergo oportet, quod aliquid dirigat qualitates elementares ad species elementorum producendas.

Summa capituli decimi.

24 **D**eterminat de principio mouētē; & supponit ex 8. Phisicorū, quod loci mutatio est motus perpetuus causans generationem,

nem, quia adducit, & abducit Solē, qui est causa omnis generationis: eo quod loci mutatio est prima omnium, & cum sit semper, est causa generationum, quæ quando que non sunt. ¶ Quo supposito, ostendit quod allatio circuli celestis est causa generationis, & corruptionis motus circuli obliqui, qui dicitur Zodiacus, & non motus primi mobilis: contrariorum enim effectuum, cuiusmodi sunt generatio, & corruptio, oportet esse contrarias causas: cum autem motus primi orbis, qui dicitur motus diurnus, semper uniformiter se habeat super circulos æquè distantes à circulo æquinoctiali, non potest esse causa generationis, & corruptionis. Sed motus circuli obliqui, qui dicitur Zodiacus, est causa subsistens utriusque, propter motum accessions, & recessionis Solis in eo. Causa ergo continuitatis est motus totius orbis, causa vero præsentis, & absentis est inclinatio, & eleuatio ipsius Zodiaci.

25 Ex dictis inferret, quod omne tempus, quod est in re temporali, & omnis vita vnius cuiusque vniui habet numerum determinatum ex circulo celesti: ex ipso enim consideratur quantum se extendit virtus generans. Vnde videmus quod Sole adueniente ad punctum Arietis, quando directe locum nostrum tangit, incipit esse generatio terræ nascentibus; recedente autem Sole à principio Libræ, incipit rerum diminutio, & corruptio. Et vtrumque fit in æquali tempore; & si aliter contingat, est per accidens.

26 Assignat etiam causam continuitatis generationis ex parte finis, quia compleuit Deus materia desiderium perpetuando eius esse per continuam generationem. Ideo autem infinito tempore transactio elementa non distant ab inuicem separata, & ordinata in propriis locis, cum vnumquodque moueatur ad suam regionem, quia mutuo transmutantur ad inuicem. Tandem dicit quod motus celestis est continuus, quia id quod mouetur est continuum, & non habet continuitatem ab eo loco in quo mouet.

Summa capituli vndecimi.

27 **M**ouet in primis questionem quandam, quæ potest oriri ex dictis, vtrum scilicet, aliquid ex necessitate generetur? Et responderet manifestum esse, quod quædam generantur necessario, & quædam contingenter: nam aliquid futurum esse non habens causam deterninatam, nihil prohibet contingere non esse: sicut enim in entibus quædam sunt contingentia esse, & non esse, & quædam sunt ex necessitate; ita quædam ex necessitate generantur, & quædam contingenter.

28 Subdit vero, quod quædam termini generationis ita se habent, quod vterque sit tota materia alterius, & è conuerso, tunc necesse est, quod vno generato generetur aliud, & conuerso; quando vero vnum non est tota materia alterius, tunc non est necesse, quod priori generato generetur posterius; sicut fundamento generato, non est necesse generari domum; domo tamē generata, necesse est ex suppositione
ne

ne generari fundamentum.

29 Probat deinde Philosophus, quod generatio sit infinita, nō secundum rectum, sed in circuitu: cū enim generatio nec habeat principium, nec sit finita, necesse est quod sit sempiterna; sed non est possibile, quod sit infinita secundum rectum, quia in infinitis nō est principium: ergo necesse est, quod sit in circuitu; & sic necesse est cōverti ab ultimo in primum: ac percōsequens generatio est perpetua, non in rectum, sed circulariter. Quod potest demonstrari per motum cęli, quia enim ipse est in circuitu; ideo ex necessitate elementa ad inuicem generantur.

30 Denique proponit, & soluit duas quęstiones. Prima est, cur quędā in circuitu generantur; vt aer, & aqua, & cętera elementa; in quibusdam vero nō est ita: nam homines, & animalia non reiterantur? Respondet, quod animalia non reiterantur, quia eorum generatio est secundum rectum, & non secundum circulum; nam vterque terminorum nō est tota materia ad alterum, & vno motore diuersimode se habente educitur vtrumque: in elementis vero vnus est tota materia ad aliud, & vno motu decliuus circulo potest educi vnūquodq; ab altero. Altera quęstio est, vtrū omnia eadē secundum numerum debeant iterari? Respondet, quod ea quorum substantia non corrumpitur in mutatione, manifestum est quod iterantur eadem numero, sicut Sol reitaratur in obliquo circulo. Ea vero quorū substantia

est corruptibilis; necesse est iterari eadē specie, & non eadē numero.

QVAESTIO PRIMA.

De Elementis.

Philosophi a Trento contextu, manifestū est hoc 2. lib. de tribus ipsam præcipuè dilexerūt; nēpè de natura, & numero elementorū; de mixtis, & tēperamēto eorū; de reproductione rerū, & periodo durationis earū: de cisdē nos cum cōmuni Interpretū disputabimur. Verūtamē duo extrema vitare conabor: alterū eorum, qui quęstionibus huic usq; pertractatis, vel fatigati, vel præpediti, doctrinā huius secundi libri cursim tægunt, potius quam examinent, vel disputent: à quo vt declinēt alij nimis prolixè de his omnib; integros proponunt tractatus. Nos nec fastidiū de prolixitate ingerere; nec nimia breuitate legentes vtilitate debita, cunctis grata, & valdè desiderata, fraudare cupimus.

§. I.

Quid sit elementum?

Non semel elementum definit Nōuit Philosophus; sed duæ eius definitiones sunt magis receptæ, & vsitatæ. Altera habetur 5. Metaph. text. 4. *Elementum* (inquit) *dicitur, ex quo aliquid componitur, primo, inexistenti indivisibili specie in aliā speciem.* Quam descriptionē sic declarat S. Thomas ibi lectione 4. lit. tera. a. dicens. Ponit ergo primo quandam elementum descriptionem; ex qua colligi potest, quod quatuor sunt de ratione elementum.

Quo-

Quorum primum est, quod sit causa sicut ex quo; per quod patet, quod elementum ponitur in genere causæ materialis. Secundum est, quod sit principium ex quo aliquid fiat primo; cuprum enim est ex quo fit statua; non tamen est elementum, quia habet aliquam aliam materiam, ex qua fit. Tertium est, quod sit inexistens; siue intrinsecum; per quod differt elementum ab omni eo ex quo fit aliquid sicut ex trāferente; siue sit priuatio, aut contrarium; siue materia contrarietati, & priuationi subiecta, quæ est materia transiens: vt cum dicimus, quod homo musicus fit ex homine non musico, vel musicum ex non musico: elementa enim oportet manere in his quorum sunt elementa. Quartum est, quod habeat aliquam speciem, quæ non diuidatur in diuersas species: per quod differt elementum à materia prima, quæ nullam speciem habet. & etiam ab omnibus materijs, quæ in diuersas species resolui possunt, sicut sanguis, & huiusmodi. Propter hoc dicit, quod elementum est, ex quo aliquid componitur; quantum ad primum. Primo, quantum ad secundum. Inexistente, quantum ad tertium. Indivisibile specie in aliam speciem; quantum ad quartum.

3 Quod si obiecias: nam quodlibet totum homogeneous est diuisibile in partes intrinsecas, quarum qualibet non est diuisibilis in alias specie differentes: & tamen non est elementum: ergo definitio conuenit alijs à definito.

Respondet S. Tho. quod cum in

definitione elementi ponatur, quod non diuiditur in diuersa secundum speciem; non est intelligendum de partibus, in quas aliquid diuiditur diuisione quantitatis; sic enim lignum esset elementum, quia qualibet pars ligni est lignum. Sed de diuisione, quæ fit secundum alterationem, licet corpora mista resoluuntur in simplicia. Hæc ibi.

4 Alia elementi descriptio traditur a Philosopho lib. 3. de Cælo tex. 30. dicente. Sit itaque elementum, corporum, ad quod alia corpora diuiduntur, inus existens, potentia, aut actu. Vbi S. Tho. lec. 8. lit. d. inquit. Ponit tres partes definitionis elementi: quarum prima est, quod elementum aliorum corporum est, in quod alia corpora diuiduntur, seu resoluuntur: non enim qualibet causa potest dici elementum; sed solum quæ intrat rei compositionem: vnde vniuersalia elementa sunt materia, & forma, vt patet in primo Physicorum lect. 13. quæ tamen non sunt corpora: hic autem intendit Philosophus de elementis, quæ sunt corpora. Secunda particula est, quod elementum existit in eo cuius est elementum, potentia, aut actu (iuxta dicta lib. 1. q. 32. & 33.) Tertia particula est, quod elementum non diuiditur in alia, scilicet diuersa secundum speciem: oportet enim omne corpus diuisibile esse, cum quædam corpora diuiduntur in diuersa secundum speciem; sicut manus in carnem, & ossa, ex quibus quadam compositione compaginantur: vel sicut caro resolui

tur in aerem, ignem, aquam, & terram per quandam alterationem: ignis autem, & aer, aqua, & terra neutro modo resoluntur in diuersa secundum speciem. Quod quidem complet rationem elementi.

5 Circa has definitiones occurrit dubium, vtrum elementum in eadem acceptione sumptum in vtraq; definiatur: videtur enim valde diuersa. Et ideo in secunda videtur comprehendi materia prima in ratione elementi: quæ tamen excluditur in prima.

Diuersimode respōdent Authores. Quidam cēsent definitionem elementi assignatam 5. Metaphisicæ, primo, & perse conuenire materiæ primæ, & secundario alijs elementis. Ita Auerrois 5. Metaphisic. com. 4. Zimara Theoremate 27. Mercatus, & alij, qui id probant, quia Philosophus 12. Metaphisic. c. 4. docet elementum dici analogicè de suis inferioribus. Et 7. Metaphisic. vlt. ait. Elementum autem est, quod inexillens diuiditur vt materia.

6 Alij admittunt rationem elementi propriè conuenire materiæ primæ. Ita Soncinas 5. Metaphisic. post q. 9. Suarez disp. 15. Metaphisic. 10. nu. 36. & Petrus Garcia super Fen. 1. doctrina 2. disp. 3. ca. 4. qui duo vltimi asserunt S. Thomam 3. de Cælo retractasse, quod in 5. Metaphisic. scripserat. Quod inquit Suarez notauit Soncinas.

7 Cæterū minus fideliter refert; nam cum Soncinas docuisset materiam primam proprijsimè elemen-

tum; & citasset S. Thomam 3. de Cælo; subdit: Et cum dicit hic (scilicet S. Tho. 5. Metaph.) quod materia prima non est propriè elementum; accipit elementum secundū communem vsum loquēdi, quo appellamus elementa prima quatuor corpora simplicia; quæ appellantur simplicia, non quod omnino simplicia sint: componuntur enim ex materia, & forma; sed dicuntur simplicia, quia non possunt resolui in alia priora corpora. Hæc ibi: vbi nulla est retractatio, sed diuersa vōcum acceptio. Quo pacto authoritates concordant Händria 5. Metaph. q. 3. art. 1. & alij Thomistæ in præsentī.

8 Dicendum est igitur, quod elementum, quoad præsens attinet, potest accipi dupliciter: vno modo generaliter, sed propriè, pro principio intrinseco primo in compositione, & vltimo in resolutione: & sic materia prima est elementum, & corpora simplicia sunt elementa, quia sunt prima in suo ordine: & sic definitur in 5. Metaphisic. vt declarat S. Tho. hoc 2. lib. lec. 3. in princ. vbi ait, *quod elementum cōmuniter sumptum potest dici omne, quod venit in compositionem alicuius.* Et citat Phyl. 5. Met. Et conuenit litteris, & elementis; & demonstrationū terminis, vt ibi explicat Philosophus, & translaticie conuenit vniuersalibus. Alio modo elementū accipitur specialius pro corpore, ex quo alia componuntur modo exposito: & sic de illis nunc tractamus, & in hoc sensu exponitur à S. Thoma Philosophi definitio. Et

concordat definitio Hypocretis, Galeni, & aliorum dicentium. *Elementum est simplex, & minima corporis particula.* Vel ut dicit Auicena. Elementa sunt corpora simplicia, quæ sunt partes primæ corporis humani, & aliorum, quæ in corpora diuersarum formarum diuidi minime possunt. Facilius tamē sensum Phylosophi exponit M. Bañez ea. 3. q. 1. dicens, quod *elementum est compositum ex materia, & forma, quod non resoluitur in alia corpora, sed alia in ipsum.*

9 Quod autem Arriaga disp. 4. sec. 1. posthabitis Phylosophi definitionibus ut obscuris, & malis, definit Elementum, dicens: *Elementum est, quod unica qualitate exprimitur.* Parum negotij facessit, primo, quia definitiones non sunt prohibito confingenda, sed antiquæ exponenda. Deinde, quia nititur hæc, opinioni, quæ nulli ante ipsam placuit, & postea omnibus displicuit. Et S. Tho. hoc lib. 2. lec. 4. lit. f. ait, quod *ex una qualitate non potest constitui elementum.* Denique definitio illa non explicat à priori propriam essentiam elementi: nec exercitiū illius in compositione mistorum: de quo tamen præcipuè nunc erat curandum.

§. II.

De numero elementorum.

10 **Q**uaternarium numerū elementorum omnes Phylosophi, & Theologi, & Santi Patres cōmuniter admittunt, ut iam

retulimus lib. 1. q. 31. quem Phylosophus 3. de Cælo varijs argumentis deducit. Hic arguit ex quatuor primis qualitatibus: & alibi ex quatuor humoribus humani corporis. Non constat tamen an existimauit has esse probationes ad ostendendam elementorum existentiam; an illa supposita, hæc via quasi quædam congruentia id explicuerit, & omnibus proprias qualitates ad aptarit? Alij arguunt cum eodem Phylosopho, quia ad sensum videmus corpora resolui in quatuor elementa: ergo illa dantur. Quia tamen sensu percipi non potest an humores, & corpora, in quæ alia resoluuntur, sint mista, vel pura elementa? Ideo quicquid sit de efficacia harum rationum, de quibus alij latius. Dicendum est, quod dariter ram, aquam, & aerem, & ignem, experimento constat: hæc autem esse simplicia, est rationi consentaneū, & omnes Phylosophi admittunt: dantur ergo quatuor elementa.

11 Cæterum cū de propria sphaera vniuscuiusque elementi ad sensum certificemur, de igne, quia eū non experiamur purè elementarē, non desunt, qui dicant non esse alium ignem, præter illum, qui per inferiora dispersus est. Ita Cardanus lib. 1. de Subtilitate, & Vallesius libro 4. Meteororū cap. 4. & de Sacra Phylosophia cap. 1. Segarra libro de Natura humana cōm. 37. Arriaga hic disp. 4. sec. 4. & Cabero tract. 2. de Gener. disp. 1. dub. 2. Probant primo, quia Gen. 1. fit mentio creatiois terræ, aquæ, & aeris, &

& non fit mentio creationis ignis.

12 Secundo, quia omnes influētia Lunæ, ac Syderū essent igneæ, & nullæ essent frigida, & humida; quia istæ influentiæ absumētur ab igne, per cuius regionem trāseūt.

Tertio, nam ignis deficiente pabulo illico extinguitur: tanta autē mole ignis valdē ingenti indigeret pabulo: quod quale sit nequit assignari. Inōdō attenda voracitate ignis totum aerem inflāmasset: & paulatim orbem conflagaret vniuersum. Deniq; arguunt, quia nulla est necessitas, nec finis talis corporis; nulla agnoscitur eius operatio, nec vsus; nullo firmo argumēto eius existentia suadetur: ergo gratis ponitur.

13 Afferendū tamen est dari elementum ignis in propria regione supra aerem, & propē calum. Ita Phylosoph. 1. Cæli cap. 2. & 3. & lib. 2. cap. 3. & lib. 4. cap. 3 & lib. 1. Meteororum cap. 4. & lib. 4. Phys. cap. 5. & lib. 3. de Gen. Anim. cap. 11. & Phylosophi, & Theologi cōmuniter. Item S. August. 22. de Ciuitate Dei cap. 11. S. Hieronymus epist. 118. ad Fabiolam. S. Basilus hom. 3. Exameron. S. Ambrosius libro 3. Exam. c. 4. & passim alij Patres.

14 Ratio sumi potest ex Phylosopho, & S. Thom. lib. 3. de Cælo lec. 8. in fine, quia omnis corporis naturalis est aliquis proprius motus: & cum sit quidam motus simplices, quidam misti, misti motus sunt mistorum corporum, & simplices simplicium. Et ex hoc manifestum est, quod sunt quædam cor-

pora simplicia, cum sint quidam motus simplices. Tunc sic. Videmus flammam ignium sursum naturaliter ascendere: ergo locus naturalis ignis est sursum supra aerē. Vnde Auerrois 3. Cæli cōm. 32. docet, quod sicut si non videremus aquarum congeriē, quæ mare dicitur, & viderem⁹ quod omnes fluij currunt ad mediū, quod est inter aerem, & terram; sciremus, quod medium illud est mare, seu aquarum congregatio. Ita cum videamus omnes partes ignis sursum ferri, & petere cæli concanum; cum motus naturalis non sit frustra; omnes ignes congregantur: & ita in propria sphaera supra aerem erit elementum ignis. Et Author de Mirabilibus sacra Scriptura lib. 2. c. 18. inter opera Aug. to. 3. idem prosequitur.

15 Respondent, quod etiam fumus ascendit: & tamen non datur supra aerē regio fumi: ergo ex eo quod ignis ascendat, non sequitur dari regionem ignis. Deinde dicūt quod ignis non petit natura sua ascendere; nec illi magis naturalis est motus sursum, quam deorsum; solumque mouetur ad querendum pabulum, siue pabulum sit sursum, siue deorsum: quia tamen exalationes, & vapores sunt materia, illius nutrimento magis proportionata; ideō mouetur sursum, & sæpē non ascendit, vt cum lignum comburitur, & ferrum ignitur.

16 Hæc tamen facillimè reijciuntur; quia ascensus fumi potius attestatur, quod ignis ascendat: nam

flamma non est aliud quam *fumus accensus*, vt docet S. Tho. lib. 2. de Gen. lec. 4. lit. e. & ratione ignis ascendit *fumus*. Deinde S. Tho. in 4. dist. 47. q. 2. art. 1. q. 3. ad 3. optimè docet, *quod ignis ex propria natura non fertur nisi sursum: sed in quantum sequitur materiam, quam requirit extra propriam spheram existens, sic sequitur materia combustibilis situm: & per modum istum non est incoueniens, quod vel in circuitu, vel in deorsum moueatur. Quod & quotidie experimur in puluere tormentario, quod non solum sursum fertur, sed corpora grauia secum fert: quod sola actiuitate ignis possit facere.*

17 Præterea, vt docet S. Thom. 1. p. q. 67. artic. 2. omne corpus habet motum naturalem determinatum: locus autem sursum est nobilior: & ideò conuenit elementorum nobilissimo ad illum tendere naturaliter. Vnde S. Thomas in 4. sententiarum vbi supra quæstioncula secunda, ait: *Ignis cum sit nobilissimum elementorum, habet naturales proprietates similes proprietatibus gloria; vt maxime patet de luce. Secundo, quia ignis non ita recipit commissionem extranei propter efficaciam virtutis actiue, sicut alia elementa. Tertio, quia sphaera ignis est remota à nostra habitatione. Multæ aliæ rationes ad idem proponuntur à M. Bañez lib. 2. cap. 3. quæst. 1. ad quartum. Et aliæ ponderantur à Petro Garcia Fen. 1. doct. 2. disputatione 5.*

capite 7.



s. III.

Argumenta soluantur.

18 AD primum respōdetur cum Diuo Thoma prima parte quæstione 66. articulo primo ad vltimum, *quod aerem, & ignem non nominat Scriptura, quia non est ita manifestum rudibus, quibus Moyses loquebatur, huiusmodi esse corpora, sicut manifestum est de terra, & aqua. Postea ex Diuo Augustino octauo de Ciuitate Dei capite 11. refert, quod Plato intellexit ignem significari per cælum, quod igneæ naturæ esse dixit. Et quod Rabbi Moyses, dicit ignem significari per tenebras: quia in propria sphaera ignis non lucet. Sed de his latius sacra Scripturæ Expositores. Aduerte tamen, quod Sanctus Thomas in secundo distinctione 14. quæstione prima articulo secundo ad secundum, ait, quod hæc expositio Rabbi Moysis videtur nimis extranea. Et postea alias duas adhibet expositiones. Et ibi articulo quinto ad primum, ait, quod ignis, & aer sunt elementa magis latentia, eo quod non ita sensu percipiuntur, sicut aqua: & ideò legislator rudipopulo legem proponens, ex manifestis, quæ tetigit, occulta intelligenda reliquit.*

19 Secundum argumentum, (quod maximum, & præcipuū ab ipsis vocatur) euidenter instatur: nam media regio aeris est frigidissima; & tamē in æstate Solis ardore cremamur: ergo sicut calor Solis non tēperatur frigiditate aeris; ita nec

nec frigiditas à Saturno, & humiditas ab alijs astris causari potest quin absumatur ab igne.

Deinde respondetur ex D. Thoma libro 7. Physicorum lect. 4. in principio, quod passiva recipiunt actionem actiuorum secundum proprium modum; quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis: & vnum subiectum potest esse capax, & cum dispositione necessaria ad receptionem effectus, ad quem non est in alio capacitas: vnde sicut videmus, quod orbis medij Planetarum recipiunt à Sole lumen; non autem calorem: ita influentia astrorum, quæ transeunt per sphaeram ignis possunt in inferioribus causare frigiditatem, & humiditatem, & alias qualitates, quas non causant in igne propter illius incapacitatem: sicut piscis stupefacit manum, & non rete incapax stupefactionis, vt diximus 2. p. Metaph. Controu. 13. n. 78. & hic lib. 1. q. 26. n. 30.

20 Ad tertium Ioannes Maior in 2. dist. 14. q. 7. Card. Contarenus 3. de Elementis, quos referunt, & sequuntur PP. Conimbr. lib. 3. de Cælo cap. 5. q. 2. art. 3. ad 2. respondent, ignem extra sphaeram propriam vndique contrariorum iniurijs patere; ideoque statim corrumpi, & intercidere, nisi pabulo, & nutrimento subinde instauretur. In propria verò sede tutiorem esse ab aduersarijs, seque amplitudine sua magis tueri; idque in causa esse, cur inibi passu non egeat. Eandem solutionem sequuntur PP. Carmelitani num. 15. M. Ioanes à San-

cto Thoma quaestione 10. articulo primo ad 1. Petrus Garcia ad quintum.

21 Instat tamen Cabero: nam si ponatur fragmentum ligni combustum in camino ignis, ita vt lignum sit vndique ab igne circumdatum, & frigus ingredi nequeat: lignum combustum defectu pabuli periret: ergo etiam si non sint contraria, eget ignis pabulo.

Facile tamen responderi potest, quod in isto casu, propter efficaciam ignis, lignum dissoluetur in cineres: & ita materia extranea deficiente, deficeret ignis. Nec ibi desunt contraria, quia est terra, quæ per suas qualitates maximè contrariatur igni; & ibi etiam est aer, qui ab igne inflammaretur, & aere ignis quasi nutrireretur.

22 Ex alia verò parte solutio videtur habere difficultatem; quia pabulum ignis non est ad conseruandum præexistens, quia non verè nutritur; sed solum ad nouum indiuiduum producendum, vt diximus quaestione 20. §. 1. ergo indigentia nutrimenti non est ex contrarijs, sed aliunde.

Secundo, efficacia virtutis actiua ignis illi conuenit antecedenter ad contrariorum resistentiam: sed propter hanc efficacitatem consumit pabulum: ergo non prouenit indigentia pabuli ex eo quod pateat contrarijs.

23 Aliter respondet Auerſa quaestione. 36. sectione tertia, & alij, ignem in propria sphaera non egere pabulo, quia non potest naturaliter ultra progredi, &

altius volare, & sursum ascendere: & ideo non est eorum pabulum quærat. Apud nos verò, cum ascēdat, & cum materia sit tenuis, diuiditur in particulas, & faciliè dissipatur.

Sed contra, nam ignis possit aerem ignire, & illo vt pabulo pasci, sicut apud nos ignit, quæ supra, & quæ infra ipsum sunt.

24 Possit aliter dici, quod ignis apud nos non inuenitur purè elementaris, sed admixtus extraneæ materiæ: & propter ignis actiuitatem, & materiæ extraneitatem, nō recipitur in ea vt in perpetuum cōseruetur: & ideo conseruatur vt potest, nouum ignem generando: at verò in propria sphaera extranea materia nō indiget: nam vt docet S. Thom. 1. Metheororum lect. 4. lit. d. in supremo corpore non est mixtio extraneæ nature: sed magis purum dicitur, quod est magis nobile, magis virtuosum, magis formale. Et postea lit. f. ait, quod illa pars corporis, quod communiter vocatur aer, quæ est superior, est calida, & sicca; & hanc partem vocamus elementum ignis: & sic aer nomen cōmune est duobus elementis. Quod & dicitur lec. 6. lit. b. Penuria ergo vocabulorum, sicut totam expansionem à cælo ad terram, dicimus aerem; ita vocamus ignem eum qui est in materia extranea, & eum qui est in propria materia, & sphaera; in qua non indiget pabulo, quia non indiget extranea materia ad alium generandum.

25 Ad aliam argumenti partem respondetur ex D. Tho. q. 5. de Malo art. 5. ad 6. quod contraria elemen-

ta non se inuicem corrumpunt, quia cōseruatur per virtutem corporis celestis, à quibus actiones eorum regulantur. Quod & docet S. Tho. in 4. dist. 47. q. 2. artic. 1. q. 1. ad 3. & dist. 48. q. 2. art. 5. & q. 5. de Potent. art. 7. ad 16. Fatemur tamen, quod sicut ignis apud nos non omnem aerem absorbit, & ignit, sed solum ad certam distantiam, ita non reputamus inconueniens, quod in propria sphaera aliquam partem igniat. Quod admittere videtur S. Thom. in 2. dist. 19. q. vnicā art. 2. ad 2. dicens. Sicut etiam in partibus mundi contingit elementorum in partibus corruptionem fieri: non autem in toto contingit elementa corrumpi, ex eo quod inferiorum corporum ordo virtute superiorum cōseruatur. Et in secundo distinctione 14. artic. 5. ad 5. ait, quod omnia elementa in loco ubi contingunt se alterant à sua natura. Et lib. 2. de Ani. lec. 23. litt. a. inquit. Elementa autem in suis extremitatibus se alterant, vt patet per Philosophum in 1. Metheororum lec. 2. Notat tamen M. Soto 4. Phys. q. 2. art. 1. 5. Sed non est, quod licet ignis in sua sphaera igniat proximum aerem; id tamen facit vsque ad certam distantiam, semper remissius, & remissius; sicut ignis apud nos, non ad quamcumque distantiam, sed propè agit.

26 Ad vltimum dicimus cum D. Tho. in 2. dist. 14. q. 1. artic. 1. ad 2. quod ignis elementum, secundum quod in sphaera sua est, non sensu, sed ratione apprehenditur. Et ideo satis illi argumento respondent rationes.

conclusionis.



§. III.

*Vtrum elementum ignis
luceat?*

27 **S**olet autem hic inquiri, vtrū ignis in propria sphaera luceat?

M. Bañez hoc lib. 2. cap. 3. q. 1. ad 4. §. Prima confirmatio, asserit satis probabiliter dici posse, quod ignis in propria sphaera lucet: quia calidum naturale naturali sicco commistum in materia densa efficit lucem. At ignis in propria sphaera est densior cælo non stellato: ergo cū sit calidum naturale sicco commistum, debet aliquam lucem habere. Non tamen apparet lux eius rubra, aut purpurea, quia sic apparet solet propter eius admixtionem cum opaco: ignis autem in propria sphaera propter limiam puritatem, & raritatem, habet lucem maximè clarā, & niueam, & trāparentem. Et ideo non prohibet aliorum visionem, nec potest illuminare ad magnam distantiam: & ideo lux eius à nobis non percipitur.

28 Oppositam sententiam docuerunt Auicena, Alexander, & Algazel relati ab ipso M. Bañez, & Auerrois 4. Cæli commēto 32. dicens, quod quemadmodum aquæ congelatio accidit, non ea ratione qua aqua, sed quatenus sibi committi sunt vapores terre; sic ignis, nō quatenus ignis, lucet; sed quatenus miscetur terreo denso. Idem sequitur M. Ioann. a S. Tho.

q. 10. art. 1. ad 1. docēs, quod ignis non lucet propter nimiam raritatem: vt enim aliquid luceat requiritur, quod sit corpus terminatum, & spissum vt emittat radios. Sicut etiam Cælum Empyreum nō lucet (licet sit lucidissimum) propter suam raritatem. Vnde S. Tho. 1. p. q. 66. art. 3. ad 4. de Empyreo loquens, ait. *Quod habet lucem Cælū Empyreum, non condensatum vt radios emittat, sicut corpus Solis; sed magis subtilem.*

29 Videtur mihi hæc sententia vera, & expressa S. Thomæ, nō solum argumento ducto à paritate, (cui alij possent satisfacere: quia S. Tho. subdit aliam responsionem, cui magis assentitur, dicens. *Vel habet claritatem gloria, qua non est conformis cū claritate naturali.*) Sed in proprijs terminis nostri quæsitū nostrā sententiam docet S. Thom. 1. p. q. 66. art. 1. ad vltimum. Et in 2. sent. dist. 2. q. 2. ar. 2. ad 1. ait: *Dicendum, quod illa ratio procedit de eo, quod est hoc modo lucidum, quia radios emittit sensui nostro visibiles: propter quod etiam ignis in propria sphaera nō lucet.* Et dist. 14. q. 1. art. 2. ad 2. licet reprobet expositionem Rabbi Moylis: supponit tamen, quod ignis in sua sphaera non lucet. vt à Philosophis probatum est. Quod etiam supponit q. 4. de Potentia articulo primo ad secundum.

30 Clarissimè idem expresso docet in 4. dist. 44 q. 3. art. 2. quæstioncula. 2. ad 4. *Dicendum, quod lucere non conuenit igni secundum quemlibet modum existendi, quia in propria materia existens non lucet: unde non lucet in*

propria sphaera, ut Philosophi dicunt. Similiter etiam in aliqua materia aliena ignis existens non lucet: scilicet cum est in materia opaca terrestri, ut in sulfure, &c. Et in lib. 2. de Anima lec. 14. lit. h. circa finem, ait: *Quod patet in ipsis elementis: nam ignis habet lucem in sui natura; licet eius lux non appareat nobis nisi in natura aliena propter densitatem.* Idem dicit Opusc. 70. art. 15. ad 4. & habetur Opusc. 51. apud D. Thomam.

31 Ratio oppositæ sententiæ probat id, quod non negamus, quod ignis in propria sphaera lucem habet: non tamen quod luceat, & radios emittat: alioquin non apparet cur lux tam magni corporis non sufficeret nocte serena terram illuminare. Deinde, aer, & pars cæli non stellata, quamvis lucem habeant, radios non emittunt: ergo amplius ad hoc egitur, quam lucem habere. Subtilitas ergo, & raritas ignis (quæ est maxima omnium sub-lunarium, ut ex Auerrois ait Sanctus Thomas in secundo distinct. 14. artic. 1. ad 4.) est ratio, quod lucem habens, in propria sphaera non luceat.

32 Pro distinctione autem data percipienda, notanda sunt verba S. Thomæ secundo de Anima lectione 14. vbi supra, dicentis. Ipsa igitur participatio, vel effectus lucis in diaphano, vocatur lumen. Et si sit secundum rectam lineam ad corpus lucidum, vocatur radius. Si autem causetur ex reuerberatione radij ad corpus lucidum, vocatur splendor. Lumen autem commune est ad omnem effectum lu-


cis in diaphano. Hæc sibi. Imò inter lucem, & lumen differentiam ponit Sanctus Thomas in secundo distinctione 13. art. 2. nam *lux dicitur secundum quod est in aliquo corpore lucido in actu, à quo alia illuminantur, ut in Sole. Lumen autem dicitur secundum quod est receptum in corpore diaphano illuminato.* Sæpè tamen has duas voces solemus confundere; licet distinguamus à radio, & splendore. Potest ergo ignis lucem habens, non lucere, nec radios emittere.

De elementorum autem situ disputare, pertinet ad libros de Cælo, & Mundo; & ideo hic pertransendum.

QVÆSTIO II.

De qualitatibus elementorum primis.

1 Sicut docet S. Thomas initio lectionis secundæ, quia formæ substantiales sunt nobis ignotæ, quia insensibiles; ideo Philosophus per sensibiles qualitates, quæ sunt immediata principia transmutationis substantialis, dat intelligere ipsa formalia principia substantiæ. Unde ad completam elementorum notitiam, de ipsorum qualitatibus differendum est.



§. I.

Definitiones præmittuntur.

2 **S**upponimus autem calorem, & frigus, & similes qualitates, non esse substantiales formas elementorum. Quod probatur duplici ratione, qua in simili casu videtur Sanctus Thomas prima parte quæstione 67. articulo tertio. Primo, quia nulla forma substantialis est per se sensibilis, quia quod quid est est obiectum intellectus, ut dicitur tertio de Anima textu 26. Sed tactu sentimus calorem, & frigus, ut docet Philosophus capite 2. & experientia patet: ergo sunt accidentia, & non formæ substantiales elementorum. Secundo, quia impossibile est ut id, quod est forma substantialis in uno, sit forma accidentalis in alio: quia forma substantiali per se competit constituere in specie: unde semper, & in omnibus adest ei. Calor autem, & frigus non sunt apud nos formæ substantiales, cum sine illis substantiæ cōferentur: ergo nec in elementis sunt formæ substantiales; sed eorum virtutes, & qualitates. Et hæc est ratio Sancti Thomæ in secundo distinctione 14. articulo quinto ad secundum. Et utraque traditur ab ipso de Sensu, & sensato lectione 10. litt. e. & libro 11. Metaphisicæ lectione 12. littera. b. loquendo de calore: eadem autem est ratio aliarum qualitatum.

3 Præterea supponendum, quod in presenti nomine primarum qua-

litarum intelligit Philosophus illas ad quas omnes alie reducuntur, & illa non reducuntur ad alias, ut dicit S. Thomas lec. 2. lit. g. & l. & lit. b. cum Philosopho tex. 7. notat Sanctus Thomas, quod cum hic inquirantur principia corporis sensibilis, tangibilis; ideò non est tractandum de omnibus qualitatibus, sed solum de sensibilibus secundum tactum, & inter istas videndum quæ sint primæ, actiuæ, & passiuæ? ut sint principia proxima instrumentalia primorum corporum.

4 Quia tamen qualitates, quibus primitas, & contrarietas tribuitur, sunt quatuor, earum descriptionem tradit ipse Philosophus textu 8. & Sanctus Thomas lec. 2. lit. f. Calidum est, quod congregat homogenea sibi: quia subtile, quod calido est conveniens, attrahit: licet enim calidum segreget, sicut dicunt quidam ignem facere: tamen illud segregare est congregare: quia congregando homogenea, segregat æthereogenea per accidens. Aliquando etiam per accidens contingit, quod non experiamur hunc effectum caloris propter indispositionem, & duritiam subiecti, quod calefit. Unde sensus definitionis est, quod caliditas est potentia activa, quæ nata est cōgregare omnia cōsimilia: ut patet in purificatione auri. Frigidum est, quod congregat omnia, tam qua sunt eiusdem nature, quam illa, qua sunt diversæ: aliquando enim aqua, terra, palea, & huiusmodi per coagulationem factam à frigido, cōgregatur. Humidum est indeterminate proprium

termino, bene terminabile termino alieno: vt aqua fluida facile continetur a-
lio corpore solido, & se diffundit,
& penetrat, & humectat cui coniu-
gitur. *Siccum est quod terminatur ter-
mino proprio, difficulter autem termi-
nabile termino alieno:* sicut videri po-
test in terra sicca nō solum dum in-
duit duritiem, sed etiam cum in
propria manet siccitate: nam vt sic
coactatur in se, & non facile alie-
nis terminis terminatur; loquendo
perse, & physice, licet per accidens
hæc impediri possint.

5 Inquirunt autem nonnulli, vn-
de habeat humidum, quod termi-
netur termino alieno? Et vnde cō-
ueniat sicco, quod terminetur ter-
mino proprio?

Respondet M. Bañez lib. 2. cap.
2. circa 5. cōc. quod horū nulla est
causa, nisi quia humidum est humi-
dum, & quia siccū est siccum; quia
definitio non cōuenit per causam.
Verum tamen habere partes fluē-
tes, & resuētes in humido, est cau-
sa virtualiter in esse, vt termine-
tur proprio termino difficulter; be-
ne autem alieno termino: habere
autē partes stabiles in sicco, est et-
iam causa virtualiter in esse, vt
terminetur proprio termino.
De quo in simili Caietan^o. 1. Post.
cap. 2. dub. 2. relatus libro 3. Lo-
gicæ q. 8. n. 24.

6 Quod si istæ non sunt defini-
tiones essentielles, sed descripti-
uæ per aliquid notius quoad nos; nō
esset incōueniens admittere, quod
alij dicunt, quod instabilitas par-
tium, quæ fluunt, & resuunt, est cau-
sa, quod humidum recipiat termi-

nationem à continentia: vt patet
in aqua, & in liquoribus humidis.
At vero sicca; cum non fluant, nec
refluant, non termino cōtinentis,
sed termino proprio terminatur.

s. II.

Dubia determinantur.

7 **D**Vbitatur secūdo, vtrum om-
nes istæ qualitates inter se di-
stinguantur?

Solū dari duas qualitates docet
Arriaga disp. 3. sec. 2. nempe calo-
rem, & frigus, quæ transeunt per
corpora efficienter: non tamen da-
ri humiditatem, & siccitatem ab
alijs distinctas, sed humorem nihil
aliud esse, quam ipsa corpora flui-
da; siccitatem verò esse illius carē-
tiam, seu corpora non fluida. Pro-
bat, quia nullum est fundamētum
ad ponendas eas duas qualitates di-
stinctas. Non enim illæ qualitates
sunt operatiuæ: quia non aliter hu-
mectant, nisi seipsas applicando alte-
ri corpori; efficienter autem num-
quam. Pone totam totius Oceani
aquam; sit inter me, & illam vi-
trū leue, per quod aqua non possit
permeare aqua, in æternū nō hu-
mectabor: ergo humiditas non est
qualitas operatiua. Nō percipiuntur
in se: ergo gratis ponuntur.

8 Leuissimum tamen fundamē-
tum, vt Philosophus, & S. Thom.
sec. 2. & omnes Philosophi deserā-
tur. Deficit enim in multis. In pri-
mis retorqueo ipsius experientiā:
nam horologia arenæ contentæ in
vitro, tempore pluuia humectan-
tur:

tur: vnde plus temporis consumant in decursu arenæ: ergo hæc humectatur à qualitate speciali. Item in regionibus humidis, etiam contenta in valis vitreis conspicimus humectari.

Deinde, dato quod qualitates istæ non possent alias similes generare, inde non deduceretur admitendas non esse, quia non omnes qualitates valent alias similes generare. Rursum, qui tenent has esse qualitates passivas, hoc argumentum non prementur.

9 Præterea Medici, & Philosophi omnes, imò omnes sensati, tactu suo percipiunt ultra calorem, & frigus, humiditatem, & siccitatem: ut cum tangimus syndonem humidam; & carnem humidam, vel siccam: constat enim, quod differentiam inter corpora humida, & sicca sensu eodem discernimus, quo percipimus calida, & frigida: cum ergo sensu cogamur admittere calorem, & frigus esse qualitates, non est cur id negemus de humiditate, & siccitate. Videatur S. Thom. lib. 2. de Ani. lec. 23. in principio.

10 Tertio dubitatur, utrū quatuor qualitates prædictæ sint actiuae; an verò passivæ?

Ratio dubitandi est, nam Philosophus tex. 9. & S. Thom. lec. 2. lit. f. dicunt, quod *calidum, & frigidum sunt actiua; humidum, & siccum sunt passiva.*

11 Respondetur, omnes has qualitates esse actiuas, & passivas, quia sunt qualitates contrariæ, & agendo, & patiando, ab eodē sub-

iecto mutuo se expellunt. Et hæc est ratio S. Thom. 4. Meteororū lec. 1. in fine. Deinde, quia applicādo humida siccis, & sicca humidis, constituuntur mixta, & medicamenta actiua: ergo omnibus convenit actiuitas.

12 Ad auctoritatem Aristotelis, Marsilius, & Albertus de Saxonia, & alij multi dicunt, quod humiditas, & siccitas passivæ vocantur, non quia non agunt, sed quia minus agunt, quam caliditas, & frigiditas.

Sed contra, quia Philosophus ex istarum qualitarum definitionibus intendit deducere quasdam esse actiuas, & alias esse passivas: ergo non solum minorem actiuitatem vult deducere. Et quæ minus actiivæ sunt, absolute agunt: vnde non est cur ab eis actiuitas tollatur: nisi aliquo speciali titulo denegetur.

13 Aliter Toletus cap. 2. q. 3. & Banez q. 4. conc. 3. & alij multi dicunt, quod si istæ qualitates comparētur ad mixtum, quod ex eis generatur, humiditas, & siccitas dicuntur passivæ, quia se habent ut materia: caliditas verò, & frigiditas dicuntur actiivæ: quia habent se ut formæ. Cum ergo Aristoteles tractet de his qualitatibus sub eatione qua veniunt ad mixtionem, iure alias actiivas, alias passivas appellavit.

14 Expositionem hanc multis labefactare contendit Petrus Garcia Fen. 1. doctri. 2. disp. 4. cap. 11. sed ipse meliorem non offert: quia solum nititur in eo, quod Philosophus.

phus non ex mente propria, sed aliorum prædictas definitiones qualitatū assignauerit. Quod est contra cōmunem, & nisi meliores ipse definitiones assignet, ei acquiescere non valemus, nec debemus.

Præcipue cū expositionem hanc, quam secuti sumus, tradiderit S. Thomas 4. Meteororum lec. 1. in fine dicens, quod cum dicit Philosophus, quod duæ qualitates sunt actiuae, & duæ passivæ: *Intelligi debet quantum ad victoriam unius supra alteram in corpore misto, quia secundum se qualibet sunt actiua, & qualibet passiva, cum sint contraria ad inuicem.* Unde videtur vtramque solutionem cōiungere, & probare: de qua omnino videndus libro 4. Meteororum lec. 7. & lec. 8. lit. a.

15 Dubium quartum est, vtrum quatuor qualitates prædictæ sint primæ?

Respondetur affirmatiue, cum Philosopho, & D. Thoma lec. 2. nam illæ dicuntur primæ qualitates ad quas omnes aliæ reducuntur, & ipsæ non reducuntur ad alias: sed ad has qualitates omnes aliæ reducuntur, & ipsæ non reducuntur ad alias: ergo istæ sunt primæ. Probat minor, quia sensus tactus est prior cæteris sensibus, & in omnibus animalibus reperitur: ergo qualitates istæ sensibiles; & tãgibiles sunt primæ. Et etiam constat experientia videmus ex calore effici raritatem, ex frigiditate densitatem: & mutationes circa colores, odores, & saporē experimur provenire ex variatione istarum qualitatū.

16 Aduerte tamen hic non es-

se sermonem de prioritate perfectionis, sed de prioritate causalitatis, non solum materialis, quia dispositiones aptantes materiam, ad causam pertinent materiale: sed etiam est sermo de primitate in genere causæ efficientis, quia omnes tangibiles qualitates ad istas vt ad causas reducuntur, vt docet S. Thomas hic le. 1. lit. a. Et quia duæ priores sunt magis actiuae, & facilius, & fortius agunt, & sensum tactus in mutant; ideo calor, & frigus actiuitate, & perfectione sunt aliquomodo priores humiditate, & siccitate. De quibus multa Bañez cap. 2. q. 2.

17 Præterea notandum cum eodē q. 3. conc. 1. quod aliquæ sunt qualitates actiuae; quæ non dicuntur primæ, quia non agunt actione proprie alteratiua, & tendente in physicam rei mutationem: vt colores, odores, & saporē, qui imprimunt speciem, & sensus immutāt: sed perse non ordinantur ad generationem, & corruptionem. Aliæ etiam sunt qualitates alteratiuæ; sed non sunt primæ, quia ex virtute primarum procellerunt, vt patet de qualitatibus mistorum, de quibus libro 1. q. vlt.

18 Denique notant M. Soto 2. Phys. q. 1. & alij multi, quos refert, & sequitur Rubio hic cap. 3. q. 1. præter istas qualitates non esse necessarium ponere in elementis alias qualitates virtuales; alioquin quatuor recēsite qualitates non essent primæ, si causarētur ab alijs virtua libus. Et quia nullus effectus eis correspondet, qui effici nō potest per qua-

qualitates formales: & ideò frustra aliæ ponuntur.

§. III.

Vtrum sint accidentia communia, vel propria?

19 **Q**uinto dubitatur, vtrū qualitates primæ sint propriæ passionis elementorum?

Negat Petrus Garcia Fen. 1. doctrina 2. disp. 4. cap. 3. Probat primo, quia propria passio conuenit semper, vt patet ex Aristotele, & Porphyrio capite de Proprio. & S. Thomas q. de Spirit. Creat. artic. vltimo ad septimum, ait, quod subiectum esse sine propria passione, nō est possibile, neq; intelligibile. Sed nec calor in sūmo, nec aliqua ex prædictis qualitatibus conuenit inseparabiliter, quia experimur ab ipsis tolli, vt frigiditatem ab aqua: ergo non sunt propriæ passionis.

20 Secundo probatur, quia proprium conuenit soli speciei, cuius est, vt docet Porphyrius c. 6. dicēs. *Proprium autem de vna tantum specie, cuius est proprium, prædicatur.* At vero quælibet qualitas ex primis conuenit pluribus; neque solum elementis, sed mixtis: ergo secundum entitatem illam nō est propria passio.

21 Qualitates tamen prædictas esse passionis elementorum, obiter dicit Bañez hic c. 2. q. 1. & supponunt alij Thomistæ relati supra lib. 1. q. 14. n. 25. & 28. & tenet Soto 2. Phyl. q. 1. ad. 4. 5. Reuera. & Ferrara 1. contrag. cap. 7. in fine. &

expresio probat Ludouic⁹ Mercatus lib. 1. classe 4. art. 3. Mihique vera videtur, & ad mētem Phyl. sopheri textu 22. dicentis quod elementa ex contrarijs passionibus constituta sunt: vbi idē asserit S. Thomas lec. 3. li. d. Ostēditurque primo: nā id quod est perse, & naturale tanquam cōsequens formam, est propria passio, vt patet ex D. Thoma 7. c. de ente, & essentia dicente: *Accidentia vero, qua consequuntur formam, sūt propriae passionis, vel generis, vel speciei.* Sed qualitates primæ cōsequuntur elementorum formas: ergo sūt illorum proprietates. Hęc ratio est D. Tho. 5. Phyl. corum lec. 3. lit. b. vbi expræse qualitates has vocat *proprias passionis ignis, & aquæ: & rationem assignauerat, quia propriae passionis causantur ex principiis subiecti.* Et clarissimè idē docet S. Thomas de Sensu, & Sēfatu lec. 10. lit. e. dicens. *Est ergo dicendū, quod calor perse inest igni, non sicut forma substantialis, qua non percipitur sensu; sed sicut proprium accidens eius.*

22 Præterea, nulla alia propria passio elementorum est agnita à Phyl. sopheris, præter qualitates prædictas: inconueniens autem est, quod nullius elementi detur cognitio per propriam habitam passionem: ergo qualitates prædictæ sūt passionis, seu accidentia propria elementorum, adeò intimæ illis, vt dicat S. Thomas lec. 2 in principio: *Et intelligo per formale principium ipsas sensibiles qualitates potentiam materia, vel materiam distinguentes, secundū quas illa corpora qualia sunt.* Et in 4. sententiarum distinct. 44. quæst. 1.

articulo primo quæstione prima ad quartum, expressè dicit, quod qualitas simplex est *accidens proprium* elementi.

23 Deinde, si quatuor primæ qualitates non essent accidentia propria, sed solum accidentia cõmunia, non posset ex varia coniugatione primarum qualitatum deduci elementorum numerus: nam ex accidentibus communibus nõ probatur specialis natura, vt perfe notum est. Sed Phylsophus textu 17. & Sanctus Thomas lectione tertia in principio, ex eo quod primæ qualitates nõ possunt nisi quadrupliciter combinari, deducunt quaternarium elementorum numerum: non ergo sunt accidentia communia, sed propria. Licet autem à Dño Thoma prima secundæ quæstione 49. articulo quarto, videantur constitui in prima specie qualitatis, quæ est dispositio: tamen solum intendit, quod non sunt habitus. Et ibi ad secundum reducit ad potentias. Et articulo secundo ad secundum ponit in diuersis speciebus calorem, & frigus.

24 Ad primum respondetur negando minorem, iuxta dicta libro secundo Phylsorum quæst. 11. §. 3. nulla enim res mundi potest cõseruari sine suis naturalibus dispositionibus. Nec ab igne tolli potest naturaliter rotus calor: quod autem possit intendi, vel remitti, nõ tollit esse propriam passionem, vt libro primo quæstione 14. diximus.

25 Ad secundum respondetur,

quod vt docet Sanctus Thomas de Spiritualibus Creaturis articulo tertio ad 19. *Idem specie calor est in igne, & aere; quia qualibet qualitas speculiter attribuitur vni elemento, in quo est perfecte. & per concomitantiam, & derivationem alteri.* Et ideo qualitates symbolas elementorum esse eiusdem speciei, est communis doctrina, vt nemo oppositum sequatur, vt latè Rubio tota quæst. 10. & Bañez capite tertio quæstione quarta per totam. Istæ tamen specie distinguuntur à qualitatibus mistorum, iuxta ea quæ diximus libro 1. quæstione 33. §. 4. vnde nunquam verificatur, quod passionibus elementorum conueniant alijs, quia eo modo quo sunt propriæ vnus elemēti, non sunt in alijs, sed tantum derivatur alia imperfecta à prima causata: & in mistis sunt aliæ specie differentes à qualitatibus elementorum.

26 Posset vltèrius dici, non esse inconueniens, quod passionibus generis inueniantur in pluribus specie distinctis: sicut calor est passio corporis misti, & reperitur in subiectis specie distinctis, varius iuxta varias complexionibus mistorū: & diaphanū est proprietas cõsequens aliquid cõmune calori, & elementis, vt docet S. Tho. 2. de Ani. lec. 14. lit. c. Et ideo primæ qualitates possent dici passionibus corporum sublunarium; quamuis varientur, & in omnibus reperiantur. Eo tamē modo quo sunt passionibus vnus corporis elemēti, non sunt passionibus, nec alterius elemēti, nec alterius misti.

QVAESTIO III.

Quæ qualitas cuiuslibet conueniat elemento?

EXperientia ipsa est comper-
tum, id quod sepe docet Phy-
losophus, quod cuiuslibet elemento
duæ conueniunt qualitates: ex va-
rijs enim coniugationibus prima-
rum qualitatum non probantur,
nec deducuntur quatuor elemēta,
nisi cuiuslibet duæ qualitates conue-
niant, & ideo ex Philosopho tex-
tu 16. ait S. Thomas lec. 3. litt. 2. *Ig-
nis est calidus, & siccus, & ita constitu-
tur per primam coniugationem: aer cali-
dus, & humidus, per secundam: aqua fri-
gida, & humida per tertiam: Terra fri-
gida, & siccata per quartam. Et sic prima dif-
ferentia qualitatum rationabiliter distri-
buuntur primis corporibus, scilicet, qua-
tuor elementis.*

§. I.

Status quæstionis.

CVM hæc qualitatum distribu-
tio experiētia ipsa sensuum
comprobetur, vt radicibus intelli-
gatur, multa reuocantur in du-
bium. Sed tria, vel quatuor sunt
præcipua. Primo inquiritur, an
vtraque qualitas conueniat ele-
mento ex sui natura? An ve-
ro vna sit natiua, & alia tantum
conueniant impræstia ab extrinse-
co agente? Secundo, vtrum suppo-
sito quod omnibus, vel aliquibus
elementis conueniant duæ quali-

rates ab intrinseco, videndum erit
an ambæ cōueniant in summo? Et
si vna tantum cōueniat in summo,
in particulari exponendum erit,
quæ qualitas in quodlibet elemen-
to dominetur? Denique iuxta ean-
dem opinionem restat exponere
modum cōiunctionis duarum qua-
litatum, quarum aliqua nō sit sum-
ma: nā inquiritur an qualitas elemē-
ti minus intensa habeat permistio-
nem contrariæ? De isto vltimo du-
bio dicitur infra §. 5.

3 Circa primum sunt qui dicāt
aeri vnam solam cōuenire qualita-
tem natiuam; nēpe humiditatem;
reliquas vero solum ab extrinseco
conuenire. Tribuitur Galeno lib.
8. de vsu partium cap. 3. & de vsu
respirationis. Et Vallesio 1. lib. con-
trou. Med. cap. 10. quia qualitas na-
tiua non facile amittitur: aer autē
facile mutatur in alijs qualitati-
bus præterquā humiditate. ¶ Ean-
dem sententia tribuitur Senecæ li-
bro 2. Naturalium qq. cap. 10. Nisi
quod solam frigiditatem ponit na-
tiuam aeri: quia semotis extrinse-
cis agentibus sola manet in aere
frigiditas, vt in absentia Solis in
nocte experimur. Et etiam in cen-
tro, & media aeris regione est fri-
giditas aeris maxima; quod non
esset, nisi hæc qualitas illi esset na-
tiua. Et quod in aere prædomine-
tur frigiditas, docet Gaspar Lopez
primo de Temperamentis capite
quarto.

4 Circa secundum, multi arbi-
trantur vtramque qualitatem con-
uenire elemētis in summo. Tribui-
tur Aueroi 3. Cæli comment. 67.

Galeno lib. 1. de Elementis c. 6. & 1. de Natura humana cōm. 13. vbi id docet Segarra, & Peramatus de Elementis c. 8. Niphus lib. 2. de Gener. cōm. 28. q. 4. & Aquilinus lib. 3. de Elementis.

5 Ex parte adherent huic opinioni, qui dicunt igni cōuenire in summo calorem, & siccitatē. Sed recedunt ab ea per aliud extremū adherentes aeri nullam qualitatem cōuenire in summo; quamuis citra summum sit calidus, & humidus. Ita Auicena, quem refert, & sequitur B. Albert. Magn. hoc lib. tract. 1. c. 12. & eruditē M. Bañez c. 3. q. 2. & 3. & PP. Carm. disp. 10. q. 3. qui reputāt esse expressam D. Tho. in fine lectionis tertiæ secundi libri. Solum tamen probabilem esse in via D. Tho. dicit M. Ioan. à S. Tho. hic q. 10. ar. 3.

6 Omnibus prædictis opposita sententia docet singula elementa habere tantum vnā qualitatem in summo, ita vt nulli vna desit in summo, & nulli cōueniant duæ in summo: conuenireque hoc ordine, quod ignis est calidus in summo, & siccus citra summum; aer est humidus in summo, & citra summum calidus. Aqua est frigida in summo, & citra summū humida. Terra est summè sicca, & citra summum frigida. Hanc esse communē fatetur Bañez dicens, nullum fere esse. qui de hac rescripserit, qui ita non senserit. Specialiter Alexander, Saxonia, Marsilius, Toleras, & Conimbricenses, quos citat, & sequitur Rubio q. 8. Plurimos alios citat, & sequitur Petrus Garcia super Fen.

1. doctrina 2. disp. 4. c. 12. & 13. & disput. 5. octo primis capitibus: & passim alij sequuntur. Et vt probabilem in via D. Thomæ sustinet M. Ioan. à S. Thoma vbi supra. Mihi que reliquis probabilior videtur, adhuc ex mente S. Thomæ.

5. II.

Communior sententia probabilior.

7 **Q**uod probo primo ex Diuo Thoma hoc secundo libro ipsa lectione 3. in cōtrarium relata: nam immediatē antea præmiserat, lit. e. Ostendit, Philosophus, que qualitas in quolibet elemento dominetur, dicens, quod elementa, cum sint quatuor, & quadlibet habeat duas qualitates; non tamen habet eas aequaliter; sed vnumquodque est vnius; id est, in vnoquoque dominatur vna: sicut in terra magis dominatur siccitas, quam frigiditas: in aqua magis frigiditas, quam humiditas: in aere magis humiditas, quā caliditas: in igne vero magis dominatur caliditas, quam siccitas. Ergo communis sententia est ad mentem Philosophi, & S. Thomæ.

8 Secundo expressius idem docet S. Tho. lib. de Sensu, & Sensato lec. 10. li. d. per hæc verba. Quāuis quatuor qualitates elementarium duæ conueniant singulis: nā ignis est calidus, & siccus: aer calidus, & humidus: aqua frigida, & humida: terra frigida, & sicca. In singulis tamen elementis singula harum qualitatum principaliter inueniuntur quasi

quasi propria ipsi: nam ignis proprie calidus est; quia ignis est nobilissimum inter elementa, & propinquissimum cælesti corpori; ideo contingit ei proprie, & secundum se calidum esse; quod est maximè actiuum: siccum verò competit ei propter excessum caliditatis quasi iam humiditate consumpta. Aeri verò competit quidem calidum secundario ex affinitate ad ignem; secundum se autem competit ei humidum; quod est nobilius inter qualitates passiuas, quasi calore resolute humiditatem, & non consumente, propter maiorem distantiam à prima causa caloris, quæ est corpus cæleste. *Aqua vero proprie, & secundum se competit frigidum*, quod est secunda qualitas actiua, quasi priuatiuè se habens ad calidum: competit autem ei humidum secundario secundum propinquitatem ad aerem. Terra verò competit quidem frigidum secundario, quasi ex propinquitate aquæ: siccum autem competit ei proprie, & perse, quasi propter longissimam distantiam à fonte caloris, non resoluta terra in humiditatem, sed in vltima grossitie permanente. *Et hæc determinata sunt in libro de Elementis, idest in secundo de Generatione.* Hactenus S. Tho. cuius verbis communis stabilitur sententia, & ex eis constat ipsum idem docuisse hoc secundo libro. Quare quæ in contrarium citantur, videntur ex aliorum sententia prolata, vt constat ex illis verbis: *vt quidam dicunt.* Vel sunt simul vera, & concordanda, vt postea Philosophum exponemus num. 27.

9 Fauet non parum, quod ipse S. Thom. 1. p. q. 69. art. 1. ad 5. ait. *Vel potest dici secundum Basilium hom. 4. Exam. ex quo S. Ambros. lib. 4. cap. 4. quod primo nominabatur terra secundum naturam suam; nunc autem nominatur ex sua principali proprietate, quæ est siccitas. Vnde dicitur, quod vocatur aridam terram.* Agnoscit ergo, quod principaliter, & in summo viget siccitas in terra, & hoc ex mente S. Basilij, ac per consequens S. Ambrosij.

10 Rationes demonstratiuæ pro neutra parte inueniuntur, quia omnes debent in hac parte desumi ex iudicio sensus: quod in hoc puncto valdè est fallax, eo quod apud nos non inueniuntur facilè elementa in sua puritate; sed vnum recipit alterius qualitates, & varijs influentijs calorū multipliciter variantur, & qualitatibus replentur extraneis. ¶ Coniecturæ autem efficaciores sunt pro hac sententia; quam per partes probo. Et in primis, quod nulli elemento conueniat duplex qualitas in summo, deducitur ex eo quod multi ex oppositis Authoribus fatentur, aeri, & terræ non conuenire vtranque qualitatem in summo: sed eadem quoad hoc est ratio omnium elementorum, cum omnia sint corpora simplicia: ergo nulli conuenit vtranque qualitas in summo.

11 Secundo, sicut forma mistionis accidentalis est propria dispositio ad formam substantialem corporis misti; ita qualitas prima simplex est vltima, & propria dispositio ad formam substantialem corporis

poris simplicis elementi, vt docet S. Thomas locis relatis lib. 1. q. 33. §. 4. sed in eodem subiecto connaturaliter loquendo non possunt esse dispositiones vltimæ pro duabus formis substantialibus specie distinctis, & non subordinatis: ergo nec possunt esse in eodem elemento duæ qualitates primæ in summo.

12 Quod autem cuilibet conueniat aliqua prima qualitas in summo, probatur in primis à simili: nã cuilibet alteri qualitati à primis potest assignari subiectum connaturale, in quo habeat summam perfectionem naturaliter debitam, vt inductione patet. Ergo etiam primis qualitatibus debet assignari subiectum in quo quælibet sit in summo gradu. Sed hunc statum nō habent in mixtis, quia istorum qualitates deriuantur à primis, & in mixtis sunt attemperatæ: ergo in aliquo elementorum qualitas quælibet habet summam gradum distribuendo singula singulis.

13 Secundo, omnia elementa sunt virtualiter in mixto, quia in illo sunt quatuor primæ qualitates, quæ sunt elementorum virtutes, ab ipsis in mixtis deriuatæ, vt diximus illa q. 33. sed si quælibet qualitas non esset in elemento aliquo in summo gradu, ad illud elementum non reduceretur vt ad propriam causam, quia omne imperfectum reducitur ad perfectum, & primum sui generis: ergo nullum est elementum cui aliqua prima qualitas non conueniat in summo.

Respondet Bañez q. 3. ad 2. qualitates mixti dupliciter posse ad ele-

mentorum qualitates reduci: primo sicut illud, quod est tale per participationem reducitur ad id, quod est tale per essentiam, & sicut imperfectum ad perfectum: secundo vt effectus in suam causam; quia ex mutua actione, & passione elementorum sunt causatæ. Nō est autem necesse omnem qualitatem imperfectiorem reduci ad qualitatem perfectissimam illius generis tanquam in causam.

14 Sed contra, nam in hoc puncto vtraque reductio est coniuncta, vt enim docet S. Thomas hoc lib. lec. 1. lit. a. quatuor primæ elementorum qualitates sunt causa omnium aliarum qualitatum tangibilium. Et ipse S. Th. 1. p. q. 44. ar. 1. in fine cor. inquit. Aristor. inquit in 2. Metaph. quod id quod est maximè ens, & maximè verū, est causa omnis entis, & omnis veri: sicut id quod maximè calidum est est causa omnis caliditatis. Deinde, non erunt omnia elementa eodem modo in mixto, si quædam non sunt in illo ratione qualitatis deriuatæ ab ipsis, quædam vero habent qualitatem in summo quæ in ipsis causant: hoc autem est inconueniens, & contra ea, quæ in 1. lib. determinata sunt: ergo nulli elemento deest aliqua qualitas prima in summo.

15 Demum, nã aliàs possēt fieri coniugationes physicè vtiliter ex primis qualitatibus plures quam quatuor; & ita nō habet vim argumentum Phylor. ad probandum quatuor elementa ex quatuor qualitatibus: nam essent quatuor coniugationes in quarum vna predominaret vna quali-

qualitas in summo: & alia ad minimum, & alia in qua duæ sint in summo, vt ipsi ponunt: & ita non est cur non constituent sex elementa.

16 Supposito autem, quod vnicuique vna tantum qualitas conueniat in summo; quod distributio supra posita sit rationabilis, in particulari probatur. Et quod igni conueniat calor in summo, satis probant rationes S. Thomæ, quia nobilissimo elementorum debet conuenire nobilissima qualitatū, sicut conuenit nobilissimus locus propinquissimus cælesti: sed calor est nobilissima qualitas propter suam actiuitatē: ergo hæc in summo conuenit igni. Deinde, si calor in summo non conueniret igni, alteri elemento hæc qualitas summa esset connaturalis, vt patet ex dictis, & illud esset maioris actiuitatis, quā est ignis: cuius contrarium experimur.

17 Aeri verò competere humiditatē in summo, probatur primo, quia hæc est excellentior in qualitatibus, quæ passiuæ dicuntur respectu missi; & ideo conuenit in summo elemento igni propinquissimo. Secundo, quia humidi definitio nulli melius cōpetit quam aeri; siquidem non bene proprio termino, sed alieno bene terminatur propter eius fluxibilitatem.

18 Quod verò aqua sit in summo frigida, probatur, quia maxime contrariatur igni; vnde videmus ignem conservari in terra, & nō in aqua; sed ignis est summè calidus: ergo aqua est summè frigida.

Cui & experientia attestatur, & quia non est aliud elementum cui hæc qualitas in summo conueniat.

19 Terram verò esse summè siccā, probatur, quia plures ex Patribus dicunt ideo vocari *aridam* in sacra Scriptura; quia in ea principaliter prædominatur siccitas. Et quia illi conuenit definitio sicci: nam propter eius soliditatem, & durtiē, facile terminatur termino proprio; difficile autem termino alieno. Denique, quia nullam aliā qualitatem potest habere in summo; quia si terra esset summè frigida, non possent in ea animalia perfecta, & sanguinea diu conservari.

§. III.

Argumenta solvuntur.

20 PRæcipuum argumentum contra hucusque dicta sumitur ex autoritate S. Thomæ; in qua, & tres rationes continentur; & ideo placet eam transcribere. Igitur hoc libro lec. 3. in fine ait. Non est autem intelligendum, vt quidam dicunt, (hæc referenda sunt ad sententiā, quam impugnat; non quod impugnatio sit ex mente aliorum; alioquin non tam diligenter probasset, & sine solutione dimitteret) quod terra licet sit magis sicca, quā frigida; quod propter hoc sit siccior igne, quia littera non dicit; ratio enim in contrarium persuadet.

Duæ enim sunt causæ siccitatis; vna est frigus condensans, & comprimens humidum, & per consequens remouetur siccitas, quæ

nō est aliud quam humiditatis priuatio; alia causa est caliditas humiditatem consumens; manifestum autem est, quod motus causat calorem in eo quod potest calefieri. Necessē ergo est in materia illa maxime profundet, quod semper est iuxta velocissimum motum; hæc autem est materia ignis: unde ignis est calidissimum omnium calidorum, vt dicitur in 2. Metaphisicæ. Potentior autem est ignis caliditas ad consumendum humidum, quam terræ frigiditas. & ideo ignis siccior est quam terra.

21. Vterius autem cum virtus mouentis sit minor in remoto quā in propinquo, minus calefacit motus cæli materiam aeris; imò quasi minimè; remanebit ergo humida magis quam calida. ¶ Non tamē magis quam aqua, quia in aqua est frigiditas faciens ad se fluere humidum; caliditas autem aeris non facit ad se fluere humidum: & ideo aqua est magis humida, quam aer: sensu enim sensibilia iudicamus: manifestum est autem omnibus habētibus sensum tactus, quod aqua humidior est quam aer.

Est tamen, & minus frigida quā terra. Quod sic patet: frigiditas enim cauatur ex distantia ab orbe, sicut caliditas ex propinquitate: cum ergo inter cætera elementa terra magis distet à cælo, necessario sequitur, quod terra frigidissima sit inter omnia elementa. Hæc Sanctus Thomas: cuius autoritate, & rationibus non potest nō sententia M. Bañez reddi probabilis.

22. Verumtamen cū immedia-

tè ante nostram sententiā doceat; querenda est expositio, qua hæc si mul vera esse appareat. Solet responderi distinguendo cum Aegidius Columna super text. 23. quod sicut calor est duplex: est enim calor elementaris, qui destructiuus est; ab ipsoque provenit elementato: est etiam calor cæli viuificus, qui in his inferioribus à cælo causatur. Ita etiam frigiditas duplex est: alia elementaris, alia cælestis. Elementaris est intrinseca diminas ab elementoratione suæ formæ: cælestis verò est extrinseca ex influxu cælestium corporum. Intendit ergo S. Thomas, & eius ratio probat, quod frigiditate extrinseca cælesti terra est magis frigida, quam aqua: frigiditate verò intrinseca, & elementaliqua est frigidior terra.

23. Sed instat M. Bañez: nam influentia cælestis, cuius est rem in suo loco naturali conformiter ad eius naturam conseruare, & si ab extrinseco sit, proportionatur tamen naturæ rei; & id quod causat in re constituta in suo loco naturali, dicitur naturale ipsi rei: ergo si influentia conseruatiua terræ est frigidissima, vt potè ab eo remotissima, natura terræ summam expectet frigiditatem, vt sic cuncta suauiter disponantur. ¶ Cōfirmatur quia in terra non est nisi vnica frigiditas eiusdem speciei cum frigiditate aquæ: ergo si frigiditate ab extrinseco est frigidior, absolutè frigiditas terræ est maior.

24. Præterea ad idem arguitur quia vt docet Philosophus 2. de Calo

Cælo tex. 18. ignis, & terra ad inuicem contrariantur: ac per consequens opponuntur in qualitatibus contrarijs: sed qualitas ignis propria est calor in summo: ergo frigiditas in summo est qualitas terre propria. Quod totū docet S. Thomas 2. Cæli lec. 4. lit. d. dicens. Ignis autem, & terra sunt contraria, quia maximè distant secundum contrarietatem sitas, de qua nunc loquimur, in quantum vnum est grauissimum, & aliud leuissimum: quā tum autem ad alias qualitates, ignis maximè contrariatur aqua, sicut calidissimum frigidissimo.

Ad idem sunt experientiæ: sentimus enim in profundissimis speluncis plus frigoris, quam in tota aqua: & videmus aquam frigidiorē quandoque effici quam suæ naturæ conueniat, vt quando congeatur propter excessum frigoris: nō ergo exposcit debita dispositio aquæ summam frigiditatem.

25 Vt radicatus respondeatur supponendum ex Phylosopho textu 24. & ex D. Thoma lec. 4. litt. b. quod quædam elementa secundum ambas qualitates, quas differentias vocat, contrariantur; sicut ignis, & aqua; ignis enim est calidus, & siccus; aqua verò frigida, & humida; calidum autem, & frigidum sunt contraria, & similiter humidum, & siccum. Quædam autem contrariantur solum secundum alteram qualitatem; sicut aer, & aqua, quia aer est calidus, & aqua est frigida: sed in humiditate conueniunt. Simile est de terra, & igne, & de terra, & a-

qua. Hac de causa cum Phylosophus 2. de Cælo vbi supra doceat ignem contrariari terræ; tamen hoc lib. 2. tex. 49. & S. Thom. ibi lec. 8. lit. e. dicunt, quod aer contrariatur terræ, & ignis aquæ: quia hæc oppositio est in vtraque qualitate, & alia in vna tantum.

26 Deinde supponendum, quod sicut docet S. Tho. 4. Meteor. lec. 7. lit. a. in fine, quod non habem⁹ hic ignem purum, sed admissum terre. Idem posset affirmare de terra, aqua, & aere, quia vt conueniant conseruationi mistorum, nō sunt apud nos in sua puritate, sed fere, vel sūt substantialiter mista; vel qualitatiuè ab extrinseco ex alijs elementis, & ex astrorum influxu recipiunt qualitates mistorum proprias, vel ab alijs elementis, vel astris deriuatas.

27 Tertio recolendum ex dictis lib. 1. q. 26. quod diuersitas effectus non tantum attenditur ex intensiōne formæ, sed etiam ex eius multitudine, densitate, & alijs dispositionibus. Et ideò docet Phyl. 2. de partibus animalium c. 2. quod dicitur aliquid calidius dupliciter: vno modo, quia intensiorem habet calorem: & sic flamma calidior est ferro nondum plene ignito: alio modo dicitur calidius, quia valet magis calefacere, vel ex multitudine, vel ex densitate formæ. Pari ter aliquid potest dici humidius ab intensiōne humiditate, & sic aer est humidissimus; alio modo, quia magis humectat, & sic humidissima est aqua, vt docent Phyl. & S. Tho. lec. 8. lit. d. & latius 4. Meteor. lec. 7.

28 Ex his facillè est ad singula res pondere: nam S. Thomas intèdit, quod terra apud nos non habeat consumptam omnem humiditatem, sicut in igne nulla est humiditas. Et rursus docet, quod ex distàtia ab igne, & influentia cali ab extrinseco elementa varias recipiunt qualitates: nam passiones elementorum à forma interna dimanant, & non ab extrinseco recipiuntur.

29 Ad primam replicam respondetur, quod sicut experimur Solè terram calefacere: & hoc non est contrarium terræ; ita vt eam destruat, quia conducit ad debitam temperiem mistorum; ita & potest dici de frigiditate, quæ ei conuenit ex distantia ab igne. Præterquàm quod omnes istæ qualitates attemperantur ex alijs virtutibus astrorum: & ideò seruat debitus ordo naturalium causarum.

30 Ad cõfirmationem dicitur, quod terra elementaris non habet nisi vnã frigiditatem; terra verò mista qualitatibus extraneis, non mirum quod habeat ab extrinseco frigiditatem, quæ in modo differt ab alia: & qualitates attemperatæ mistorum specie differunt à simplicibus qualitatibus elementorum.

31 Ad secundam replicam patet ex dictis n. 25. & ad tertiam cõstat ex n. 26. & 27. quod illæ experientia non vrgent, quia aer apud nos esse solet mistus, vel substantia lirer, vel qualitatiuè. Pariterque congelatio non est sola frigiditate, sed cum siccitate non propor-

tionata aquæ in sua puritate; etenim aqua congelata est terræ admixta vaporibus.

s. IIII.

Verum qualitas elementi minus intensa habeat permissionem contraria?

32 **H**Oc est vltimum, quod in hac quæstione exponendū restat. Affirmant plures qualitatè remissam in elementis habere actum admixtam contrariam. Ita Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. ad 7. contra 2. pag. 321. & Astudillo q. 4. & Marsilius q. 4. & 6. & alij, quos sequuntur Coimbra. hic cap. 3. q. 5. art. 4. & vt probabilem admittunt M. Banez cap. 3. q. 3. concl. 5. M. Ioann. à S. Thom. q. 10. art. 3. in fine. Quia in mistis quanto vna qualitas intensius dicitur, opposita magis remittitur. Quod desumitur ex Philosopho 5. Phys. text. 19. & quia inconueniens est, quod capacitas naturalis elementi non sit naturaliter expleta qualitate propria, vel contraria. Et denique, quia vbi nulla est resistentia, qualitas producitur in instanti, vt lux: inconueniens autem videtur alterationè physicam fieri in instanti: ergo qualitas remissa in elementis habet actum admixtam contrariam.

33 Oppositum docent Albertus Saxonia q. 2. Venetus text. 23. Toletus q. 6. Rubio q. 9. & vt probabiliorem tenet Banez concl. 6. PP. Carm. disp. 10. q. 5. latè Petrus Garcia disput. 4. vbi supra cap. 14.

Probant, quia Phylolophus, & S. Thomas duas tantum qualitates unicuique attribuunt elemento: quod verum nō eilet, si remiffa haberet actū permissionem cōtrariæ ab intrinseco, & permanenter.

Secundo, quia actū habere permissionem contrariarum qualitatum, est proprium corporis mixti: ergo id non est tribuendum simplicibus elementorum corporibus. Quia propter hæc secunda sententia est probabilior, communior, & tenenda.

34 Ad primum concesso antecedenti (licet neget Petrus Garcia dicens, nulla ratione posse probari in mixtis semper remissionem contingere ex admiffa qualitate contraria) negatur consequentia, quia in mixtis resultāt qualitates ex mutua actione, & passione miscibiliū; elementis verò conueniunt per naturalem simplicem emanationē: de quo Bañez ad 3.

35 Ad secundum respondetur, quod capacitas naturalis naturaliter expletur, vt conducit ad debitam naturalem formæ conseruationem: vnde cum ad hanc nō exigatur, quod qualitas vtraque sit in summo; nec quod sit mixtio, sed simplicitas qualitatum; nō est cur sit expleta per missionem contrariæ, qualitas minus intensā.

36 Ad tertium recolenda sunt quæ diximus lib. 1. q. 17. §. 3. & q. 23. §. 3. quibus excluditur solutio Toleti dicētis, quod sine admiffione contrarij est successio alteratio nis propter intensionē. Quia ostendimus lucem intendi, & in instanti

produci posse, si non adsit impedimentum in recipiente.

37 Alijs omiffis, duæ solutiones sunt probabiliore. Altera traditur à M. Bañez ad 2. contra 6. dicēte, quod licet nō sit in aere aliquid resiliens directè summo calori; est tamen aliquid resistens indirectè, scilicet humiditas, quæ nequit esse cum summo calore, propter quod non fiet aer in instanti summè calidus. Et quia dispositiones pro forma substantiali exigente alias dispositiones introduci nequeunt in instanti.

38 Aliter P. Rubio n. 152. respōdet concedendo talem alterationem fieri in instanti; non tamen generationem, vel corruptionem elementi, quæ præter illam qualitatem petit aliam, non in instanti, sed in tempore producendam naturaliter.

39 Qualiter hæc doctrina coherat cum his quæ dixerat lib. 1. ca. 4. tract. 3. q. 2. nempe alterationē semper esse successiuam, atque cōtinuam, siue secundum extensionem, siue secundum intensionem accipiatur. Non facillè, inquā, hæc cōcordari possunt: nam quod hic insinuat recurrendo ad potentiam absolutam; nō est ad rem, cum de rerum naturis iuxta rerum ordinē disputamus.

40 Nos tamen satis consequenter solutionē hanc admittere possumus, quia multas dari alterationes subitas illa q. 17. diximus. Quāuis non facile adesse possit agens applicatū debite pro summa qualitate introducenda, si non potest

applicari pro tota forma substantiali: & hanc vocat prior solutio resistantiam indirectam.

QVÆSTIO III.

De contrarietate elementorum.

§. I.

Qualiter inter formas substantiales sit contrarietas?

Elementa inter se contrariari: cōstat ex missione, & mutua actione, & reactione illorū. Quia tamen Philosophus cap. de substantia docuit, quod *substantia nihil est contrarium*; cum elementa sint substantia, non videtur qualiter hoc possit verificari:

Respondent Philosophus, & S. Thom. hoc libro tex. 50. lec. 8. lit. e. his verbis: *Dico autem elementum esse contrarium elemento, prout ratione qualitatum, contingit substantiam esse contrariam substantia. Quasi dicant, quod immediata, & formalis contrarietas est ratione qualitatum contrariorum formaliter: formæ verò substantiales solum contrariantur radicaliter, seu virtualiter in quantum sunt radix qualitatum contrariorum.*

2 Sed dices, contrariorum sunt contrariæ causæ: si igitur propriæ passiones ignis, & aquæ sunt contrariæ; videtur, quod formæ substantiales, à quibus dimanant, sint contrariæ.

Ad hoc iam respondimus lib. 2. Logicæ quæst. 12. num. 5. quod formæ substantiales sunt cōtrariæ cōtrarietate metaphisica, quæ est cōtrarietas large; non tamen contrarietate physica, quia hanc non habent nisi in radice. Quod iterum docet S. Thomas de Sensu, & Sensato lec. 10. lit. e. dicens. *Ignis agit secundum suam calorem, cuius est aliquid contrarium: non autem secundum suam formam substantialem, quæ caret contrarietate: nisi contrarietas large accipiatur secundum differentiam perfecti, & imperfecti in eodem genere: per quem modum in numeris contrarietas inuenitur.*

3 Inquiri tamen solet ratio cur vnum elementū cōtrarietate physica formali nō cōtrarietur alteri? Respondet M. Soto 1. Phys. q. 5. ad 1. quod de substantia totali, quæ est in recta linea, manifesta est ratio; quia nō recipitur in subiecto, & actio contrariorum est circa aliud quod subiectum. De forma verò substantiali ratio est, quia cum forma substantialis non recipiat magis, & minus, non propriè duæ formæ sunt extrema vnius latitudinis, sed excedunt se indiuisibiliter sicut numeri. Est ergo inter formas substantiales repugnantia: nō tamen contrarietas propriè. Eadē est ratio Caiet. c. de Substantia, & Sōcinatis 10. Metaph. q. 24. concl. 2. Ioan. à S. Tho. hic q. 10. ar. 2.

4 Et est expressa S. Thom. lib. 5. Physic. lec. 3. lit. b. vbi ita ait. Vna forma speciei secundum propriam suam rationem nō habet cōtrarietatem ad aliam. Primo, quia in formis substantialibus non attenditur

maxima distantia inter aliquas duas formas, ita quod ab vna earum non veniatur ordinatim nisi per media. sed materia dum exiit vna forma, potest indifferenter recipere diuersas formas absque ordine. Vnde Aristoteles dicit in 2. de Gener. tex. 24. quod cum ex terra fit ignis, non oportet quod sit transitus per media elementa. Secundo, quia cum esse substantiale cuiuslibet rei sit in aliquo indiuisibili, non potest aliqua continuitas attendi in formis substantialibus, vt motus continuus possit esse de vna forma in aliam secundum remissionem vnius formæ, & intensionem alterius. Ita S. Tho. qui idem docet lib. 11. Metaph. lec. 12. litt. b. & videatur lib. 10. Metaph. lec. 6. & 10.

5 Displicet tamen hæc ratio P. Suarez disp. 45. Metaph. lec. 4. n. 8. amor enim, & odiū contraria sunt inter quæ non est transitus successiuus, nec per medium positiuum, quod constat ex extremis.

Similiter P. Rubio hic q. 4. dicit, quod est contra Philosoph. in Post prædic. c. de oppositis, vbi docet, ex contrarijs quædam habere medium circa subiectum, quædam vero nullum habere medium. Secundo, quia ratio expulsionis solum in eo consistit, quod vnū expellat alterum propter repugnantiam in subiecto: quod verò paulatim, vel simul fiat, non minuit repugnantiam: ergo simultanea expulsio formarum substantialium non tollit propriam contrarietatem earum.

6 Qua propter Suarez, & Rubio dicunt, idè inter formas substantia-

les non esse propriam contrarietatem, quia respectu materiæ non habent repugnantiam ex peculiari conditione, sed ex generali ratione formæ substantialis absolutè constituētis essentiam: vnde non solum expellit vna forma aliam diuersæ speciei, sed etiam si sit eiusdem.

7 Parum tamen apparentiæ habet hæc ratio, quia gratis dicitur, quod repugnantia, quæ conuenit ex ratione formæ substantialis, non sufficiat ad contrarietatem. Deinde, laborat in æquiuoco, quia oppositio contraria posset habere speciem oppositionis inter duas formas substantiales (etiam si repugnantia oriretur ex titulo cõmuni formarum substantialium) quia iam haberet, quod differret ab oppositis contradicitoriè, & relatiuè, & priuatiuè: nam illa non sunt inter extrema positiua maximè distantia, &c.

8 Legitima ergo est vtraque ratio S. Thomæ, & instantiæ parum vrgent. Ad primam dicitur, quod etiam inter amorē, & odiū potest esse successiuus transitus: quod autem possit esse interruptio, est ex libertate voluntatis: quod per accidens est ad oppositionem physicam, de qua loquimur.

9 Ad authoritatē Philosophi facillime respondetur primo cū M. Soto ibi, quod Philosophus ibi tractat de contrarijs dialectice, & idè non ibi, sed in Metaphisica exacte definit contraria physice, de quibus modo. Secundo admissio, vt libro 2. Logicæ q. 12. n. 5. admissimus, quod ibi definiantur contraria rigorose, nil habetur contra nos, quia

quia solum intendit quod inter sanitatem, & ægritudinem nõ datur medium, sicut dantur colores medij inter album, & nigrum. Ex quo quid ad rem? Nam substantialis forma non est intentibilis, & remissibilis: & in hoc solo vim facim⁹ in secunda ratione. ¶ Alia ratio probat inter formas esse repugnãtiam physicam, quam non negamus: nõ tamen probat, quod sit contrarietas stricte sumpta iam explicata.

§. II.

Vtrum contrariæ qualitates possint esse simul?

10 **Q**Uod de hoc puncto hoc in loco disputetur, dedit causam Philosophus textu 16. dicens. *Contraria autem non innata sunt coniungi: calidum enim, & frigidum esse idẽ; & rursum humidum, & siccum, in possibile.* Quia igitur nosse qualiter hoc veriticeretur, necessarium est ad intelligendam elementorum contrarietatem, ideo tractandum est hoc dubium vt huic loco opportunum.

11 Prima opinio absolute tenet formas contrarias nec in gradibus remissis posse esse simul. Ita Gregorius Ariminensis in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. Durãdus q. 2. Prologi n. 19. & in 2. dist. 30. q. 1. n. 5. & problematice substineri posse dicit Iauellus 10. Metaphis. q. 13. & alertiue la rẽ Soncinas libro. 10. Metaphis. q. 22. dicens esse de mente Philosophi, & S. Thomæ: ex quo refert, quod in 3. dist. 14. art. 2. ad 2. ait, quod in minus albo non est aliqua nigre

do, sed albedo minus inter se. Sed ibi talia inuenire non potui: nec in 3. dist. 4. vbi ab alijs citatur.

Si autem alicubi in D. Thoma reperiuntur, ab alijs exponuntur, quod in minus albo non est aliqua nigredo in statu, vt denominet subiectum nigrum. Alioquin in alio sensu contradicerent ipsi S. Doctõri, qui in 2. dist. 42. art. 1. ad 2. ait, quod causatur intentio ex hoc, quod illud quod intenditur, magis perfectum inuenitur, & suo opposito impermissius.

12 Per aliud extremum alij videntur asserere, nec de potẽtia absoluta duo contraria in gradibus intẽsis posse esse simul. Ita Capreolus in 1. dist. 17. q. 2. ad argumenta contra secundam: nam ad 6. ait, quod ratio Aristot. 4. Metaph. tex. 27. bene probat, quod si contraria in esse completo essent in eodem subiecto, contradictoria de eodẽ dicerentur. Et hoc ibidem ostẽdit S. Thom. 2. sentent. dist. 34. Idemque dicit ad 3. & ad 6. Adami contra 2. Tribuitur eadem opinio Marfilio 2. de Gen. q. 6. & Iauello vbi supra, vbi eam non inuenio. Et forte nec Capreolus de potentia absoluta loquitur, sed de contradictione, quæ sequitur operando iuxta rerum naturas.

13 Vera tamen, & communis Philosophorum, imò & Theologorum, sententia tria asserit. Primum, quod de potentia absoluta duo contraria etiam in gradibus intẽsis possunt esse simul. Secundũ, quod ex natura rei id est impossibile. Tertium, quod duæ formæ contrariæ in gradibus remissis de facto

facto sæpè simul reperiuntur.

Ratio primi est facilis, quia contraria sūt formæ positivæ: vnde ex amborum simultanea positio, non sequitur contradictio immediatè, & perse primo; sed tantum mediatè consecutiue, & secundario: effectus autem purè secundarius potest à Deo impediri. Vtrum autem ex aliquo alio capite aliqua sint contraria, quæ etiam diuinitus non possint esse simul? Alterius est disputationis Theologorum propriæ: & hic videri interim potest M. Ioan. à S. Thoma q. 10. art. 2. concl. 2.

14 Sed obijcies, quia nec diuinitus fieri potest, quod duo cōtraria sint simul: ergo nec quod duo cōtraria sint simul. Probatur consequentia ex Phylosopho 4. Metaphis. text. 27. dicente. *Cum vero impossibile sit contradictionem de eodem verificari, patet quod neque contraria simul eidem inesse contingit: contrariorum enim alterum non minus priuatio est.* Quæ ratio, etiam seclusa Phylosophi autoritate, est efficax, quia vnum contrarium, vel est alterius priuatio, vel alterius priuationem includit: ergo esse vnus formæ includit nō esse alterius: ergo ex eo quod duæ formæ contrariæ sint simul, sequitur, quod sint, & non sint.

Respondet Bañez lib. 1. q. vltima ad 3. & in præsentī Rubio q. 5. n. 70. & alij multi, quod ipse Phylosophus se explicuit: nam contradictoria absolutè negat esse simul; at verò de contrarijs id concedit aliquo modo, nempe, secundum gra-

das remissos: inquit enim. *Impossibile est ea contraria simul in esse; sed aut ambo secundum aliquid, aut alterum secundum aliquid, alterum simpliciter.*

15 Hæc tamen verba non multum vrgent, quia aliter, & magis ad mentem Phylosophi exponuntur à D. Thoma ibi lec. 15. in fine, dicente, quod ly *secundum aliquid*, verificatur, quando vtrumque est in potentia, vel secundum partem, vel secundum quid, & alterum simpliciter; sicut quando vnum est in actu, & alterum est in potentia: vel vnum secundum plures, & principaliores partes; alterum tamen secundum aliquam partem, sicut *Æthiops est niger simpliciter, & albus secundum dentes.* Ex quo patet, quod nō loquitur Phylosophus de contrarijs in actu, & in eadem parte subiecti quando admittit esse simul.

Quando vero ex eo quod sint simul, dicit sequi contradictionē, loquitur vt Phylosophus: nam rerum naturis attentis optimè argumentatur Aristoteles, vt ibi declarat S. Thomas. *Contrarium includit priuationem: & priuatio est quadam negatio: igitur impossibile est simul affirmare, & negare: impossibile est contraria simul inesse eidem simpliciter.* Quia tamē hæc inclusio nō est essentialis, & primarius conceptus formæ positivæ; ideo bene stat, quod diuinitus hæc contradictio nō sequatur ex eo quod duæ formæ contrariæ simul ponantur. Videatur S. Thomas 2. Cæli lec. 4. lit. g.

16 Secundum alterum continua patet experientia, adueniente enim calore, remittitur frigiditas, & sic de alijs. Et ad min^o in hoc sensu.

sensu verificatur contrariorum de finitio, quod *mutuo se expellunt, &c.* Denique, quia motus est inter contraria; & ideo quot gradus in termino à quo relinquuntur, in termino ad quem acquiruntur.

17 Colligitur tertia conclusio (de qua erat antiquit⁹ difficultas) ex D. Thoma locis citatis libro 1. q. 16. n. 33. clarius hoc secundo de Generat. lec. 8. lit. b. dum ait: *Tunc generabitur quoddam medium, quod nec est simpliciter calidum, nec simpliciter frigidum, sed quoddammodo naturam participas utriusque.* Quod, & docet lit. c. cum Philosopho ibi, & libro 2. de partibus animalium ca. 1. & ex dictis libro primo euidenter idem colligitur. In primis verificari nequeunt quæ de permanentia elementorum: in nullo diximus libro 1. q. 33. §. 3. & 4. nisi qualitates contrarie in gradibus remissis sint simul. Quod etiam explicuimus q. 29. quod agens agendo repatiatur, supponit eandem similitudinem formarum in gradibus remissis: & pariter quæ diximus q. 28. de successione alterationis.

18 Ratio à priori est, quia istæ qualitates habent latitudinem in intensione, & extensione in subiecto: ergo sicut ad sensum videmus, quod eo ipso quod vni forma extenditur, alia ex illa parte abijcitur, vel in totum, vel in parte; ita ex eo quod forma habet latitudinem in actuando, non quam primum imperfecte actuat, contrariam expellit, sed in xtra gradus quos ipsa acquirit aliam destruit: unde quot gradibus aliqua qualitas distat à sū

mo suo gradu, tot secū admittit de forma contraria. Denominatio autē sumitur à gradu prædominante, ab alijs autem solum potest denominari secundum quid.

19 Sed obijcies: nam definitio nequit separari à definito: sed definitio contrariorum est, quod mutuo se expellant ab eodem subiecto: ergo etiam in gradibus remissis se expellunt. Probatur consequentia, quia etiam in gradibus remissis sunt vere contraria.

Respondetur, quod verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, & ita sensus est, quod in debito statu mutuo se actu expellant: sicut cum dicitur, quod *opus viuentis est generare sibi simile*, intelligitur de viuentem in debita quantitate constituto. Præterquæ quod, iam diximus, quod cum ad sunt omnes conditiones, verificatur actualis expulsio per accomodam distributionem. ¶ Si suggillatim arguenda Gregorij, Adami, & aliorum vis soluta videre, lege Capreolum. Quod si diluere vis argumenta Soncinatis, consule lauellum; quia questio tantum occasionaliter hic disputatur, non possumus in singulis detineri.

20 Illud non possum non animaduvertere, quod Petrus Garcia super Fen. 1. doctrina 2. disp. 6. cap. 3. tertiam nostram conclusionem probat tali ratione. Maior oppositio est priuatiua, quam contraria, cum hæc habeat vtrumque extremum positiuum; illa vero minime, sed in altero sit negatio cum subiecti aptitudine: magis enim distat ens, &


& non ens, quam duo entia. Sed priuatiuē opposita possunt esse simul sub certis gradibus, quando forma gradus habet: ergo non repugnat contrariē opposita esse simul in gradibus remissis. Probatat minor in umbra, in qua est lumen, & priuatio intensioris luminis.

21 Hæc ratio, vel assumit minorem falsam, vel non nisi eum distinctione, & limitatione veram: & quia doctrina tradēda pro aliis materijs est notanda; ideo oportet eam proponere ex D. Thoma 1. 2. q. 73. art. 2. dicente: si quis diligenter consideret, inueniet duplex priuationum genus: est enim quedam simplex, & pura priuatio, quæ consistit quasi in corruptum esse, sicut mors est priuatio vitæ, & tenebra est priuatio luminis: & tales priuationes non recipiunt magis, & minus, quia nil residuum est de habitu opposito: vnde non minus est mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto, quā post annum, quādo iā cadauer fuerit resolutum: & similiter non est magis tenebrosa domus si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quam si sit operta vno solo velamine totum lumen intercludente (nam si nō totum intercludatur, in vna parte erit umbra, & in alia lux). Est autem alia priuatio non simplex, sed aliquid retinens de habitu opposito, quæ quidem priuatio magis consistit in corrupti, quam in corruptū esse: sicut ægritudo, quæ priuat de bitam commensurationem humorum; ita tamen quod aliquid eius remaneat, alioquin nō remaneret animal viuum; & simile est de tur-

pitudine, & alijs huiusmodi. Huiusmodi autem priuationes recipiunt magis, & minus ex parte eius, quod remanet de habitu contrario: multum enim refert ad ægritudinem, vel turpitudinem, vtrum plus, vel minus à debita commensuratione humorum, vel membrorum recedatur. De qua S. Thomæ doctrina videndus ibi Conradus, & alij expositores.

22 Ex illa autem patet probatio nem minoris rationis prædictæ falsum assumere: siquidem umbra est priuatio lucis pura: & quando est aliquid lucis, nō est umbra, sed imperfecta lux. Si autē minorem probaret adducēdo priuationes in fieri, congruenter procederet: sed tamen eadem est ratio quod priuationes in fieri retineant aliquid de forma opposita, ac quod duæ contrariæ formæ possint esse simul in gradibus remissis: & ideo priuatiuæ sententiæ Authores vtrumque negabūt.

Quare solum ratio posset admitti vt procedat à paritate, vel à simili a:
 pud aliquos
 notio-
 ri.



QVAESTIO V.

S. I.

De mutua elementorum generatione.

Primam dubium soluitur.

1 **S**upponimus quod elementa, & si secundum totum sint incorruptibilia; tamen singula partes sunt corruptibiles, ut potest contrarietatem habentes, ut docet S. Thomas 2. contrag. cap. 90. rat. 6. & alijs locis relatis hoc lib. quæst. 1. num. 25. unde, nec totum elementum, nec aliqua eius principalis pars, naturaliter valet in aliud conuerti; nec mediate, nec immediate: quia esset contra integritatem principalium partium vniuersi corporei sublunaris.

2 Loquimur ergo de mutua elementorum transmutatione secundum partes: de quibus est certum, quod siue mediate siue immediate quodlibet potest in aliud transmutari propter ipsorum contrarietatem, quod totum docent Philosophus textu 25. & S. Thomas lec. 4. lit. c. his verbis. Dicit ergo (Philosophus) quod licet omnia elementa in hoc conueniant, quod quodlibet ex quolibet generatur: differunt in hoc quod quædam ipsorum facilius, & citius; & quædam tardius, & difficilius ab inuicem transmutantur. Quæcumque enim habent symbolum, id est, conuenientiam in aliqua qualitate, citius, & facilius transmutantur ad inuicem: illa vero quæ in nulla qualitate conueniant, tardius, & difficilius. Hæc ibi.

Quæ cum certa sint, & ab omnibus admissa.



3 **D**ubitatur primo, vtrum quodlibet elementum immediate possit generari ex quolibet?

Pro sententia negativa citantur à Rubio cap. 6. q. 1. Themistius 5. Phys. ad textu 9. Soto 4. Phys. q. 2. art. 1. Valles. ibi cap. 5. ad finem. Sed Sotum legens, in illo talem sententiam non reperio; & forte alij non maiori fidelitate referuntur. Eam tamen expressè tenet Rubio, & Arriaga disp. 4. sec. 6. Probant à priori, quia elementa dissimola habent qualitates contrarias in summo: unde cum agant successiue, introducunt prius qualitates pro forma missi, vel alterius elementi, quam pro elemento sibi contrario. Secundo, quia de extremo ad extremum non fit transitus nisi per medium. Tertio arguunt experientia, quia aqua numquam in ignem conuertitur, sed in vapores dissoluitur.

4 Addit Arriaga non apparere qua ratione ignis immediate possit conuerti in aquam: extinguatur enim flamma ab aqua, non ideo conuertetur in aquam. Et ritio accensus, si mergatur in mare, non ideo transibit immediate in aquam. Ignis etiam numquam in se immediate conuertit aerem: alias in fornace non periret defectu pabuli.

Et quod ignis non immediate conuertit in se aquam, constat in lampadibus, vbi etiam si sit magnus ignis, depascetur quidem oleum, aquæ autem

autem nec minimam guttam consumet. Nec in terra est actiuitas vt immediate in se conuertat aerem: vt patet, quia aer, qui est in foraminibus terræ, numquam in terram conuertitur. Nec vnuquam aer visus est augeri terra. Nec terra iniecta in aquam, conuertitur in aquam.

5 Oppositam tamen sententiam esse cōmunem, tam inter Latinos, quam inter Græcos interpretes, testantur PP. Coni. nb. hic ca. 4. q. 1. art. 2. & Cardinalis Toletus q. 8. & plurimos alios citant, & sequuntur PP. Carmel. disp. 11. q. 1. M. Ioan. a S. Thoma q. 10. art. 4. Cabero, & passim alij. Et probant primo, quia Philosophus, & Sanctus Thomas nō absolute protulissent quod libet elementum generari ex quolibet, nisi immediate posset ex quolibet fieri: sicut licet homo possit fieri ex homine mediate, & viuens ex cadauere, non tamen absolute, & simpliciter dicimus hominem fieri ex homine, viuens ex cadauere.

6 Secundo: nam elementa habēt ratione suarum qualitatum immediate contrarietate ad inuicem. Et ex parte termini forma vni⁹ elementi non perse petitur, vt introducatur alia; quia eiusdē rationis est forma elementi, siue mediet hoc, siue mediet illud: ergo potest elementum quodlibet immediate ex quolibet generari.

7 Vishuius rationis desumptæ ex Philosopho, & S. Thom. (propter quam hanc communem sententiam amplector) consistit in imperfectione formæ elementorū, prop-

ter quam sunt immediate materiæ primæ, ita vt non sit necesse multas præcedere generationes, vt ad eas veniatur; vt necessum est interne nire in generatione animalium, vt late S. Thomas 1. p. q. 118. ar. 2. ad 2. & q. 3. de Potentia art. 9. ad 9. & in 2. dist. 12. art. 4. Inquit. Secundū Commentatorem 11. Metaphys.

Prima habitas que est in materia, est ad formam elementi. Vnde non inuenitur aliqua forma media inter materiam primam, & formam elementum; sicut inuenitur multa media inter materiam primam, & formam animalis, quarum vna alteri succedit, quo vsque ad vltimam perfectionē veniatur inter medijs multis generationibus, & corruptionibus, vt Auicena dicit. Hucusque S. Thomas. Et libro secundo contra gentes cap. 89. ait. Licet enim generatio simplicium corporum non procedat secundum ordinem, eo quod quodlibet eorum habet formam immediatam materia primæ, in generatione tamē corporum aliorum oportet esse generationum ordinem, propter multas formas intermedias inter primam formam elementi, & vltimam formam, ad quam generatio ordinatur: & ideo sunt multe generationes, & corruptiones seles cōsequentes.

8 Qua doctrina, & cōclusio firmatur, & aperitur via ad soluēda argumēta, quia forma mixti, præcipue animalis perfecti, non facile introducitur, quia perse loquendo, mediare debēt aliæ generationes. At vero forma elementi est sublimarium imperfectissimā; & ideo facile

eile immediatè ex quolibet quodlibet generatur, si applicentur causæ actiua, vt cum gutta aquæ spar guntur in fornace, & in similibus ca iibus, fit immediatus trāsitus vni⁹ elementi in aliud.

9 Illud tamen damus argumen tis prioris sententiæ, quod docue rat M. Eañez cap. 4. q. 1. conc. 3. quod multoties ista conuersio nō fit nisi medio alio elemento, quod generatur: vt cum pri⁹ fit ex aqua aer, quam ignis: & cum genera tur tertiu ex elementis symbolis, iuxta Phylosophum textu 27. Sæ pe etiam generatio elemēti fit me dio vapore, vel exhalatione: nam elementa in media aeris regione conuenire non possunt, nisi medio vapore, aut exhalatione; de cuius natura r. Meteororum lec. 6. vidē dus S. Thomas. Vnde in hoc defi ciunt experiētia, quia probant, id quod concedimus, quod frequen tius transitus fiat mediātè. Ex quo non inferitur, quod numquam pos sit fieri immediate: quod erat illo rum intentum, vt nostræ sententiæ opponerentur.

10 Quod explicatur: nam ipse Arriaga n. 141. dicit esse certo certius, quod omnia elemēta mediate pos sunt in alia conuerti; & tamen in multis casib⁹ ab ipso adductis, nec mediatè apparet vnus elementi in aliud conuersio: quia nimirum idest per accidens, propter specia lem complexionem huius, vel il lius misti, in q^o proxime transi uit: ergo eodem modo nos respō debimus omnibus illis experien tijs.


11 Rationibus facile responde tur, quod propter maximam ignis actiuitatem, citissime materiā pro pinquam in se cōuertit: nec quæ libet qualitas citra summam est dif positio proportionata pro forma misti, sed solum cum est in debito temperamēto, & proportionē: vn de facilius introducit forma ele menti, quam forma misti. Per quæ patet ad 1.

12 Ad secundum dicitur, quod illa maior est vera in motu locali: & in generatione corporū misto rum perfectiorū: secus vero in ge neratione simplicium corporum, propter immediatam habilitatem materiæ ad formam elementi.

13 Ad tertium dicitur, quod li cet regulariter ita fiat; potest tamē contrarium contingere; vt cum aqua parua in rogū coniicitur, nec est exhalatio vaporum, nec gene ratio aeris, sed immediata produ ctio ignis.

14 In casibus autem adductis n. 4. vel propter paruam quantitātē, vel minimam actiuitatem agen tium; vel propter indispositionē recipientium, sæpissimè nō potest fieri transitus, nec immediatus (ni si remotissime) vnus elementi in aliud sibi proximum: quod conce dimus, quia id nostræ non ad uersatur sententiæ; vt eius

Authores frequenter
notant.



§. II.

Duo alia dubia soluuntur.

15 **S**ecundo inquiritur, vtrum inter elementa symbola facilius sit transitus, quam inter disymbola?

Respondet Philosophus affirmatiuè, vt patet textu 25. cuius rationem sic in forma proponit Sanctus Thomas lec. 4. lit. c. quia cum ea quæ habent symbolum trāsmutantur, non est necesse transmutari nisi tantum alteram qualitatem: quando verò ea quæ transmutantur ad inuicem in nulla qualitate conueniunt, vtramque qualitatem necesse est transmutari: facilius autem est vnum transmutari, quam plura: ergo facilius est transitus inter symbola elementa.

16 Sed obijcies: nam in corruptione substantiali fit resolutio omnis formæ vsque ad materiam primam; & ideo nullum accidens numero perseverat idem in genito, & corrupto, vt dixim⁹ lib. 1. q. 12. ergo semper ambæ qualitates corrumpuntur: ergo non est facilius transmutatio in symbolis, cum oporteat corrumpi ambas qualitates, sicut in transmutatione non habentium symbolum.

Hoc argumentum sibi obijcit S. Thomas: & respondet lec. 4. lit. c. in fine, quod qualitates elementorum causantur ab ipsis formis substantialibus ipsorum. Illa ergo elementa, quæ maiorem conuenientiam habent in qualitatibus, neces-

sario habent maiorem conuenientiam in formis substantialibus, & per consequens in dispositionibus materiæ, facilius ad inuicem transmutantur. Et licet oporteat ambas qualitates corrumpi; tamè quia qualitas symbola minus resistit; imo nullo modo, contraria vero resistit; ideo facilius est transitus.

17 Sed instabis: nam transmutatio elementorum fundatur in contrarietate qualitatum: ergo vbi maior contrarietas reperitur, ibi facilius erit transmutatio. Sed nō symbola sunt magis contraria, quam symbola, cum vtraque qualitate prædominante opponantur: ergo inter ipsa facilius erit transmutatio. ¶ Quod experientia videtur comprobari: nam guttæ aquæ iniectæ in aquam, faciunt vt magis ardeat: & facilius conuertuntur in ignem, quam particule terræ, quæ est symbola igni.

Respondetur negãdo consequentiam, quia cōtrarietas qualitatum exigitur ad actionem, & reactionem vt vnus terminus deseratur, & alter acquiratur; at vero facilius victoria prouenit ex actiuitate agentis, & minori resistentia obijctis: & ideo conuenientia dat facilitatem, quatenus tollit impedimenta, quib⁹ retardatur accessus ad terminum.

18 Ad experientiam respondetur, quod per accidens propter antiparissimam explicatam li. 1. q. 25. §. 3. solet ignis magis ardere cum prunæ aqua asperguntur. Similiter, si cetera nō sint paria, poterit per accidens esse facilius transitus in-

ter elementa disymbola, vt notat M. Bañez c. 4. q. 2. §. *Aluerte*. Possunt enim esse alia impedimēta ex alijs qualitibus prouenientia, vt si vnum sit nimis rarum, aliud, nimis densum; vel impedimentum potest esse inqualis proportio materię, & quantitatis. Vnde licet terra habeat symbolum cum igne in siccitate, non ita facile conuertitur in ignem sicut aqua, propter nimiam densitatem terrę, quę nequit ita facile reduci in raritatem requisitam ad formam ignis. Si autem terra esset in raritate æquali cum aqua, citius mutaretur in ignem, quam aqua, vt in vapore solet contingere. Et ideò ipse Philosophus textu 25. & Sanctus Thomas lect. 4. lit. c. dicunt, *quia ignis est calidus, & siccus; terra vero frigida, & sicca; si corrumpatur frigiditas terrę, generabitur ignis ex terrę.*

19. Dubium tertium, vtrum vnum elementū generetur ex duobus?

Respondent Philosophus, & Sanctus Thomas lect. 4. lit. c. quod si altera qualitas vniuscuiusque elementorum habentium symbolum corrumpatur, non est ad inuicem transmutatio; sed tamen poterit aliquod tertium generari. Sicut ex igne, & aqua, quę in nulla qualitate conueniunt, poterit generari terra, & aer: ex aere, & terra, ignis, & aqua, &c.

20. In elementis verò symbolis talis generatio esse nō potest, quod ex duobus, altera qualitate in vtroque corrupta, tertium generetur. Quia illa quę relinquitur, est aut

eadem, aut contraria: & siquidem fuerit eadem in vtroque, puta caliditas in igne, & aere, non generabitur aliquod tertium elementum, quia ex vna qualitate non potest constitui elementum: si autem fuerit contraria, puta siccitas ignis, & humiditas aeris, cum ista coniunctio sit impossibilis (quia contraria in gradibus intensis non possunt esse simul, nempe siccū, & humidū, calidum, & frigidum) nec tunc poterit generari tertium elementum.

QVAESTIO VI.

De temperamento mistorum.

POSTquam Philosophus determinauit de generatione elementorum: capit septimo, quod incipit textu 46. lect. 8. apud Diuū Thomam, determinat de generatione compositorum ex elementis, quę mista dicuntur: quorum occasione de temperamento mistorum disputant Interpretes, vt possint Medici hæc generalia principia ad proprium obiectum applicare: nam vt in simili ait S. Thomas 4. Meteororum lect. 1. *Secundum Auicenam, Medicina versatur solum circa corpus humanum ad infirmitatem remouendam, & sanitatem inducendam: sed illa quę in hoc libro determinantur, sunt communia omnibus mistis, sicut patet per processum. Quapropter, etiam non mittendo scilicet in messem alienam, de temperamento mistorum in communi debet Naturalis Philosophus disputare; Medicorum verò erit in speciali*

ciali de temperamēto humani corporis differere, vt distemperie possint remouere, & sanitatem inducere, & tueri.

s. I.

Quid, & quotuplex sit temperamentum?

Temperamentum, si vocis attendamus proprietatem, significat moderationem, siue id quo ad mediocritatem aliqua reducitur. Quia tamen non est vna Doctorum mens in explicando qualiter elementa manent in misto; idē nec conueniunt in acceptatione temperamenti mistorum. Qui enim ponunt elementa manere formaliter in misto, consequenter ponunt duplex temperamentum proportionem, seu symmetricam: aliud substantiale ex proportionem formarum elementarium; aliud accidentale ex qualitatibus eorundem. Primum appellant innatum, & fixum; quia non variatur, nisi decursu ætatis, vel diuturno morbo: aliud vero facile mutatur. Ita Vega lib. 1. capite 4. Lopez libro 3. de Temperamentis capite 4. Mercatus libro primo p. 2. de Temperamentis classe prima articulo secundo. Peramatus libro primo de Temperamentis cap. 1. & alij.

3 Authores verò, qui negant elementa manere formaliter in misto, solum ponunt temperamentum significare proportionē qua-

litatum primarum. Quod est ad mentem S. Thomæ, & Authorum, quos retulimus lib. 1. quæst. 32. & 33. & aliorum, quos citant, & sequuntur Conimbr. cap. 8. quæst. 1. art. 1. & Rubio cap. 6. quæst. 1. & latissimè Petrus Garcia super Fen. 1. Doct. 3. disp. 8. per septem capita, & disp. 9. cap. 1. quod supposita doctrina libri primi, noua nō indiget probatione, nam hac proportionem conseruat forma misti in se virtutes elementorum, & ipsa forma hac naturali dispositione conseruatur.

4 Hac vocis supposita notitia, iam à Physicis, & à pluribus recepta Medicis, illius diuisionem consuetam breuiter refert Calepinus, ita dicens verbo *Temperamentum*. A Medicis temperamentum appellatur proportio primarum qualitatum in corpore misto: eiusque nouem constituunt differentias. Nam aut æqualis est omnium qualitatum proportio; eaque constituit iustum, & legitimum temperamētum, quod est veluti canō, & norma reliquorum. Aut inæqualis; idque rursus duobus modis: nam aut vnica est qualitas reliquis excellens, tribus se moderate habentibus; indeque emergunt quatuor simplicia temperamenta. Aut ad summum duæ reliquis præualēt duab; vnde rursus oriuntur quatuor alia temperamenti genera, quæ composita dicuntur. Hæc ibi.

5 Melius tamen à Medicis Medicorum diuisionem discemus. Diuisionis à Galeno traditæ, talem sufficientiæ rationē tradit Petrus Gar-

cia vbi supra disp. 9. cap. 3. Quatuor sunt primæ qualitates, ex quibus mixta corpora constant: sed ex his solum fieri nouem combinationes vtilis existentes: ergo solum sunt nouem temperamenta. Probat̃ur minor, quia possibilis est combinatio qua omnes reducuntur ad mediocritatem exactam: nam cum sub his gradibus non habeant contrarietatem, possibile est ita existere: & hæc à Medicis appellatur *temperata* (de cuius existentia postea disputabitur.) Rursus non repugnat vnã qualitatem ex illis excedere secundum gradus reliquas qualitates; & sic erunt quatuor temperamenta, iuxta numerum qualitatum, quæ possunt prædominari. Denique potest esse excessus duarum qualitatum, quæ contrariæ non sunt. Contrariæ autem qualitates in excessu non possunt esse in eadem parte subiecti: ac per consequens reliquæ combinationes sūt impossibiles: & ideo dari non possunt nisi nouem temperamenta.

6. Quinque ex his temperamentis extra cõuersiam admittuntur: & vltra *simplex temperamentum*, in quo vna tantum qualitas vincit; quatuor alia sic appellantur: nam dicitur *igneum* cum abundant calor, & siccitas, & in animalibus *cholericum*: aereum dicitur cum calor, & humiditas abundant; & est in animalibus *sanguineum*. Cum autem humiditas, & frigiditas excedunt, vocatur *aquum*, & in animalibus *phlegmaticum*. Denique cum excedunt frigiditas, & siccitas, appel-

latur *terreum*: cui in animali correspondet *melancholicum*. Alia autem temperamenta non simplicia, seu difformia dari nequeunt. Hæc autem in indiuisibili non consistunt, sed valdè variantur, non solum in mixtis specie differentibus, sed etiam in indiuiduis eiusdem speciei; imò idem indiuiduum etiam perfectissima valetudine non seruat eandem commensurationem qualitatum, sed iuxta ætatem varietatē proportionaliter eam mutat.

7. Vt̃erius ex communi Medicorū notat M. Bañez c. 7. quæstione vnica, quod duplex æqualitas considerari potest in qualitatibus temperamento: alia est *æqualitas ad pondus*, qua mixtum ita sit redactum ad medium, vt in eo omnes qualitates sint æquales: in gradibus, verbi gratia, omnes sint in gradibus vt quatuor. Alia æqualitas est proportionis, qua mixtum est redactum ad talem commensurationem, & symmetriam primarum qualitatum, qualis est conueniens, & adaptata ad formam conseruandam, & operationes exequendas: & hæc vocatur *æqualitas ad insuetudinem*, hoc est ad debitam quasi exigentiam formæ, & operationum: ad quod non exigitur æqualitas arithmetica; sed sufficit proportionalis in ordine ad formam, & eius operationes.

8. Non me latet hanc distinctionem non eodem sensu à Medicis exponi, vt patet ex pluribus eorū dicendi modis relatis à Petro Garcia disputatione 9. capite quinto.

Et quod Argenterius libro Artis Medicæ pag. 173. & Peramatus de Temperamentis cap. 5. arbitratur ex mente Galeni temperamētum æquale ad pōdus coincidere cum temperamento ad iustitiam, præcipue loquendo de temperamento hominum. At vero Garcia disput. 9. cap. 8. latè probare contendit tēperamentum ad pondus distingui à Galeno à temperamento ad iustitiam. Quam litem Medicis dirimēdam relinquo. Nobis sat est in sensu prædicto voces esse frequentissimas in Scholis Philosophorum, & Medicorum. Iam ergo solum videndum restat, an temperamentum æquale ad pondus sit naturaliter possibile? Et de facto in hominibus existens?

§. II.

Vtrum detur temperamentum æquale ad pondus?

9 **A**ffirmant Albertus de Saxonia q. 11. Marsilius q. 15. Cōimbricenses cap. 8. q. 2. art. 3. Rubio cap. 7. q. 2. Cabero trac. 2. disput. 3. dub. 3. & Medicorum pluri mi; quamuis non vna via id sustineant. Nam Vallesius lib. 1. Controu. cap. 7. asserit posse fieri corpus temperatum exactè tota natura, id est, secundum æqualem proportionem elementorum, aut partium eius; non tamen potest fieri exactè medium in substantijs, & qualitatibus simul: nam quod tale esset, nullo morbo laboraret.

Reliqui verò æqualitatem ad pondus in qualitatibus constituunt, vt Segarra lib. 1. de Temperamentis cap. 8. Peramato lib. 1. cap. 5. Garcia disp. 9. cap. 5. & 7. Rursus differunt nam Vallesius, & Segarra docent temperamentum ad pondus durare sub illo statu tantum vnico instanti. Lopez verò cap. 5. & Garcia cap. 10. dicunt non repugnare quod temperamentum ad pōdus cutis volē manus duret aliquo tēpore.

10 Principale tamen assertum probant, quia temperamentum æquale ad pondus ex nullo capite naturaliter repugnat: non ex parte qualitatū primarum, cum in gradibus mediæ latitudinis nō habeant contrarietatem, ac per consequens nec repugnantiam, aut incompossibilitatem vt sint in eadē parte subiecti. Nec repugnantia est ex parte inæqualis actiuitatis in elementis, quia possunt ita secundum quantitates proportionari, vt actio æqualis sequatur.

11 Additur etiam autoritas Philosophi sectione 5. Problematum quæst. 21. & secundo de Anima textu 118. & Sancti Thomæ, qui prima parte quæstione 91. articulo primo, ait, quod homo habet *maximam æqualitatem proportionis*. Et articulo tertio ad primum dicit, quod in homine est *perfecta complexionis æqualitas*.

12 Tantum autē deferunt huic temperamento æquali ad pondus, quod asserāt, quod, qui illo fit præditus, possit miracula quæuis facere: & huius temperamenti vi Chri-

stum Dominum tot miraculis cor-
rumpente. Quod tribuit Medicis Ful-
ginati, Forliano, & Garbo, M. Ra-
phael Torre 2. 2. q. 90. art. 2. disp.
3. quod rejicit ex Apostoli doctri-
na 1. ad Corinth. 1. 2. numerantis in
ter gratias gratis datas, & superna-
turales, potestatem faciendi mira-
cula.

13. Asserendum igitur est, non
posse dari in mixtis, naturaliter lo-
quendo, temperamentum æquale
ad pondus. Colligitur ex Phyloso-
pho 4. Meteororum cap. 4. & ex-
pressè tenent Auicena sententia 1.
doctrina 3. cap. 1. Auerrois hic tex-
tu 48. & 10. Metaph. text. 23. & 1.
Cæli tex. 7. & 4. Meteororum tex-
tu 7. & 2. collectan. cap. 22. & Cõ-
ciliator diff. r. 18. & Argenterius in
arte Medica pag. 173. Medîna lib.
2. de recta in Deum fide cap. 7. Vaz-
quez 1. tom. 3. p. disp. 57. num. 14.
ibi Lorca disp. 53. Bañez hic cap.
7. q. vnica. Nazarius, & alij Thomi-
stæ, quos sequuntur PP. Carmelita-
ni disp. 18. q. vnica. M. Ioann. à S.
Thoma q. 11. art. 2.

14. Eadem conclusio traditur à
D. Thoma, & probatur in tertio sē-
tentiæ diff. 16. q. 1. art. 1. ad 4. di-
cente, impossibile est, quod com-
plexio perueniat ad tantam æqua-
litate, quin alterum contrario-
rum prædominetur: quia aliàs non
fieret mixtio, nisi vnum in alterum
ageret dominans ad medium redu-
cendo, altero resistente. Et præci-
pue hoc oportet in corpore hu-
mano, quod calor dominetur,
propter operationes animæ, quæ
indigent calore sicut instrumēto,

vt dicitur in 2. de Anima tex. 41.
Hæc ibi.

15. Quod latius profequitur
in 2. dist. 19. q. 1. art. 4. ad 2. inquit
dicendum, quod impossibile est a-
liquod mixtum esse, in quo nõ præ-
dominetur alterum cõtrariorum,
multis de causis. Primo, cum natu-
ræ elemētares se habeant quasi ma-
terialiter ad formam mixti, nõ pos-
set mixtum consequi vnā formā
simpliciter, nisi elementa aggrega-
rentur in vnum, hoc modo quod
vnum sit formale, & prædominās.
Secundo, quia ad mixtionem exigē-
tur elementorum alteratio: quam
esse non contingeret, si ponerentur
eorum æquales virtutes: oportet
enim quod virtus alterātis vir-
tutē alterati excedat, Tertio, quia
nullum locum naturalē haberet,
si nullum elementum in eo domi-
naretur; & ita nec motum natura-
lem: in quo deficeret à proprieta-
te corporis naturalis. Quarto, quia
in animatis specialiter calor est in-
strumentū animæ; vt in 2. de Anima
dicitur; vnde oportet calorem præ-
dominari: & sic oportet quod in
quolibet mixto tandem sequatur
corruptio. Hactenus Sanctus Tho-
mas.

16. Rationes istæ explicandæ
sunt iuxta dicta libro 1. q. 26. & de
inceps. Nec omnes habent locum
in mixto non producto per mixtio-
nem strictè sumptam: sicut, & vl-
tima ratio solum militat in anima-
tis. Specialiter tertiam rationem
desumptam ex Auerrois 1. Cæli
comm. 7. vocat Bañez cõc. 7. *denõ-
strationem*, ad probandum non pos-
se

se dari mixtum æquale ad pondus in qualitatibus motiuis, quia si nulla qualitas prædominaret, in nullo loco esset naturaliter moueretur: cum tamen natura sit principium motus, & quietis.

17 Rursus certum est in qualitatibus membrorum animalium nõ posse esse æqualitatem ad pondus: alioquin eorum functiones impedirentur, vt cor debet esse calidissimum, cerebrum frigidissimum, ossa sicca, pupilla humida: vnde experimur aliam complexionem in manibus, aliam in capite, aliam in pedibus. Itē experientia compertū est, quod homo idē non habet eādem complexionem per totam vitam: de quarum æratum complexionibus disputant Medici, quos citat Petrus Garcia super Fen. 1. Doct. 3. dif. 16. & 17. ex quibus nõ nulla Tol. hic q. 11. Inde autē à paritate deducitur, nec in eadem parte, nec in eadē grate esse qualitates temperatas ad pondus.

18 Denique temperamentum ad pōdus tactu discerni nequit: tum, quia sensus nequit adeo metaphisice, vel mathematice qualitatū pondus discernere: tum, quia temperamentum tactus esse æquale ad pondus, negamus: & ideò tactu æqualitas ad pōdus qualitatū tãgibilem nequit comprobari. Ratio autem physica, vel metaphisica, quæ probet tale temperamentum dari, non adducitur: ergo sine fundamento ponitur.

19 Ad argumentum contrariū M. Bañez conc. 5. & ad 1. respondet nõ repugnare qualitatibus istis

esse simul, nec in quantum qualitates contrariæ sunt, nec via corruptionis: quia ab aliquo agente extrinseco qualitates remissæ possunt intendi, & intensæ remitti: repugnat tamen hanc esse temperiem cōnaturalem, quia non erit proportio qualitatū ad formam mixti, nisi altera prædominetur, vt rationes conclusionis probant. Vel dicatur quod repugnantia simultatis non est ex subiecto, nec ex natura qualitatum, sed ex modo agendi, & ex operationibus ad quas ordinatur, & ex forma substantiali ad cuius conseruationem disponūt qualitates mixtorum.

20 Ad authoritates respōdetur, quod in illis nõ est sermo de æqualitate ad pondus: sed solum docemur, quod cōplexio humana maxime accedit ad qualitatem temperatam: vnde S. Thomas hoc lib. lec. 8. lit. c. ait. quod mixtorum *complexiones variantur: sicut est homo, cuius complexio maxime vicina est temperamēto.* Non ergo est sermo de æqualitate mathematica, sed solū de æqualitate quasi physica latitudinem admittente. Vnde S. Thomas 2. de Anima lec. 23. lit. c. ait. *Et propter hoc quanto animal habet complexionem magis reductam ad medium, tanto habet meliorem tactum: vnde homo inter omnia animalia est melioris tactus.*



QVAESTIO VII.

Utrum corruptum possit idem numero reparari?

T Angitur hæc quæstio à Phyllosopho in fine huius libri: & cum ab expositoribus disputetur, non potuimus eam omittere. Et propter doctrinæ connexionem, non solum controuerteretur intra terminos Physicæ, loquendo ex natura rei; sed etiam prout à Theologo tractatur, attenda Dei potentia absoluta.

§. I.

Opiniones Doctorum.

R eferunt S. Augustinus 12. de Ciuitate Dei ca. 13. & S. Thomas 4. cōtrag. cap. 82. circa finem, quod quidam Gentiles posuerunt de facto easdem numero res, & actiones redituras: verbi gratia: sicut in isto sæculo Plato. Philosophus in vrbe Atheniensi, & in eadem Schola, quæ Academica dicta est, discipulos docuit: ita per innumerabilia retro sæcula, multis quidem prolixis inter vallis, sed tamē certis: idem Plato, & eadem ciuitas, & eadem schola, ijdemque discipuli repetiti, & per innumerabilia demum sæcula repetendi sunt. Hæc circulationem quidam Astrologi dixerūt futuram absoluto motu octauæ spheræ, qui iuxta aliquos, durat triginta sex milibus annorum; vel secundum alios, quadraginta nouem milibus annorū: quod tempus vocat annum maxi-

imum. Solet hæc positio tribui Platoni; sed immerito, vt probat Marsilius Ficinus libro 11. de Theologia Platonis. Probari solet (referente S. Augustino) ex illo Eccles. 1. *Nihil sub sole nouum: nec valet quisquā dicere, hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*

3 Hæc autem positio nem aduersari fidei catholica, relati Patres ostendunt: nam in beatitudine nõ erit alternatio: quia *Semper cum Domino erimus.* Et Isaia 25. *Præcipitabis Dominus mortem in sempiternum.* Ad authoritatem Scripturæ respõdet S. Thomas illo cap. 82. in fine, quod non sic intelligendum est, quod eadem numero per generationes. varias repetatur; sed similia specie, vt Augustinus ibidem soluit. Et Aristoteles in fine de Generatione hoc ipsum docuit contra prædictam sententiam loquens. Videndus etiam S. Thomas 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. exponens, quod nihil post modum à Deo factum, est totaliter nouum, quin aequaliter in operibus sex dierum præcesserit: quod ibi late declaratum, & latius exponendum Theologis relinquimus.

4 Inter Catholicos sunt qui arbitrentur, nec de potētia Dei absoluta posse eadē numero rē semel extinctam reproduci, siue sit successiua, siue sit permanens. Ita Durandus in 4. dist. 43. quæst. 3. à nu. 17. & num. 21. eam tribuit D. Thomæ in 4. dist. 44. ar. 2. ad 3. & dist. 12. art. 2. q. 4. & 3. p. q. 77. ar. 5. Sed immerito, vt omnes declarant Thomistæ, vno excepto M. Ioā. de Neapoli Quodlib. 31. q. 6. Hanc etiam opinionem sequitur Marsilius hoc

secundo libro quaestione 20.

5 Per aliud extremum opinatur alij, quod & si non omnia possint redire eadem numero per actionē naturæ, tamen aliquid potest redire idem numero. Ita Richardus in 4. dist. 43. art. 3. q. 1. cuius opinionem, vt *probabiliorem*, sequitur Scotus in 4. dist. 43. q. 3. §. *quantum ad istum articulum*. Et vt *probabilem* tueretur Toletus hic q. 13. cōc. 2. & Ariaga disp. 2. Phylicæ sec. 4. subsec. 1. in fine.

6 Omnes alij Theologi, & Philosophi concorditer docent, naturæ viribus non posse idem numero reproduci. Loquēdo autem de potentia absoluta, aliqui concedunt non solum res permanentes, sed etiam successiuas posse eandem numero reparari. Ita Aureolus, Maiorinis, & Basolis in 4. dist. 43. quos referunt, & sequuntur Conimbrienses hic cap. vlt. q. 3. art. 2. Item Suarez disp. 50. Metaph. sec. 9. à n. 14. vsque 18. Cabero hic tractatu 2. disp. 4. dub. 2. & alij.

7 Denum alij docēt, res permanentes naturæ virtute nō posse reproduci eandem numero; secus vero attenda diuina potentia. Loquēdo vero de successiuis, dicunt contradictionem implicare easdē numero reproduci: & ideo nec à Deo fieri posse. Ita Capreol⁹ in 4. dist. 43. q. 1. vbi idem tenēt Paludanus, & Soto in 4. Phylis. q. 4. cōc. 3. & in præsentī. Bañez, Ioannes à S. Thoma, & omnes Thomistæ, quos citant PP. Carmelitani disp. 13. q. 2. Item Gotfredus Quodlib. 2. q. 2. & Henric⁹ Quodlib. 7. q. 14.

Rubio hic q. 4. & alij plures. Pro cuius expolitione.

§. II.

Res permanens corrupta naturaliter nequit eadem numero redire.

8 **D**Ico primo, idem numero semel corruptū non potest naturaliter reproduci. Ita Phylis. & S. Th. hic lec. 12. in fine libri. Et 4. Cōtrag. c. 81. ad 1. & Quodl. 4. ar. 5. loquendo de rebus permanentibus, ait. *Et quia naturale agēs nō potest ista producere sine motu, inde est quod naturale agens nō potest huiusmodi reparare eadem numero, si nihilum redacta fuerint, vel si fuerint secundum substantiam corrupta*. Et sequuntur cōmuniter Authores, præter relatos n. 5.

9 Sunt tamen qui difficile reputent huius conclusionis rationem assignare: nam Conimb. q. 2. art. 1. & alij Recētioresex eo id probāt, quia quælibet causa continet certam seriē effectuum; & ad illos est ita indifferēs, quod inter causas secundas nihil sit per quod determinari possit ad hunc potius effectū, quam ad illum producendum: & ideo determinari debet a Deo Authore naturæ. Dum autem determinatur ad vnum, iam iste suam vicem subiit præalij, qui non producti sunt. Vnde si postea corrumpatur, potior erit deinceps reliquorum ratio, vt ad illos causa determinetur: quia congruum est naturis rerum, vt hi qui vicem nunquam subiere, præferatur illis, qui semel vicem obtinuerunt.

Vndi.

10 Undique tamen deficit hæc ratio. Primo, quia assumptum esse falsum: iam diximus 2. Phys. q. 14. n. 58. & 2. p. Metaphis. Controu. 16. n. 91. causæ enim proxime effectuum quoad speciem, etiam indiuiduationem determinant, debitis concurrentibus circulantibus declarandis in quæstione 8. de principio indiuiduationis. Secundo, dato antecedenti, consequentia non tenet, imo causa prima prohibito suo posset determinare ad indiuiduationem effectus semel corrupti, quia congruum esset ut restauraret de perditâ, potius quam faceret alia de nouo. Tertio, hæc congruentia de vice illius qui eam non dum subijt, parum vrget ad rem philosophicam comprobendam.

11 Denique consequenter fitebantur; quod si causa singulos effectus, quos in se continet, semel produxisset, posset ex natura rei determinari ad illos iam extinctos reproducendos; quia cessat ratio ipsorum. Hæc tamen est recedere a communi sententia, quam defendendam susceperat: quis enim cognouit seriem effectuum vniuscuiusque causæ? Vnde posset affirmare iam fere omnes vicem subisse: & oportere ut iterum redeat eisdem numero effectus iam extincti.

12 Aliter Arriaga vbi supra n. 47. & Cabero dubio 1. in fine conclusionem probant, quia natura ipsa exigit, propter pulchritudinem (quæ maxime in varietate consistit) ne formæ semel corruptæ iterum reproducantur, sed aliæ distinctæ: quare quæ semel producta est, manet

impossibilis naturaliter.

13 Est tamen congruentia facile solubilis; quia sicut pulchritudo vniuersi non exigit, quod omnia specie distinguantur; ita restat probandum, quod exigit tantam varietatem, quod nunquam possit idem numero bis fieri: nam satis ostendetur pulchritudo, si frequenter indiuidua variarentur. Deinde, non esset parua varietas, si quælibet causa fere innumerabiles effectus contineret: & propter limitationem continentis, illis semel productis, iterum circulariter rediret extinctos valens reproducere, ut Genti les arbitrabatur de facto contingere

14 His ergo relictis, ratio S. Thomæ relata n. 8. solida est: & idcirco ea vtuntur Thomistæ omnes, & Durandus in 4. dist. 43. q. 2. n. 7. & Rubio hic quæst. 1. num. 24. & plures alij. Formatur ergo sic. Non potest hic numero effectus redire, nisi redeat hæc numero actio, qua agens illum produxit: sed nequit redire eadem numero actio naturaliter loquendo: ergo virtute nature eadē res permanens semel corrupta nequit redire. Maior probatur, quia indiuiduatio effectus pendet ab hac numero causa operante hac numero actione, ut ostendimus 2. Phys. q. 23. n. 5. Minor verò etiam constat, quia redire nequit eadem numero actio transiens, nisi redeat idem numero motus; siquidem ab illo non differt realiter, ut diximus 3. Physicorum q. 3. Non potest autem redire idem numero motus in diuerso tempore: diximus enim 5. Physic. q. 3. ad unitatem numeri
cam

eam motus requiri vnitatē numericam mobilis, termini, & temporis. Ergo nequit redire eadem numero actio: ac per consequens nec res semel corrupta potest eadem numero redire.

15 Sed instabis: nam ex hac ratione sequitur, non solum naturaliter, sed nec diuinitus posse eandē rem numero reproduci: quod nos non concedemus. Sequela probatur *euidenter* (inquit Arriaga) quia nec Deus potest facere vt sit eadē numero res sine eadem numero indiuiduatione, vt ex se patet.

Facile respondetur, quod si actio esset intrinsecum principium indiuiduationis, haberet aliquam appariētiā argumentum. Cæterū à Thomistis nō ponitur, quod motus, vel actio creaturæ sint principia intrinseca indiuiduationis illius, sed tantum principium quo extrinsecum: & idē sine illo potest à solo Deo fieri idem numero effectus. Vnde Capreolus in 4. distinct. 43. q. 1. ad 6. pag. mihi 315. docet, quod nullus effectus creatus dependet essentialiter ab actione alicuius creaturæ, sed tantum à diuina; quia sine quacumque productione creaturæ quilibet effectus creatus posset à solo Deo produci; & sine Deo nil fieri potest. Nec hoc est supplere causalitatem formalem, aut materialem; sed eminenter continere omnem efficientiam creaturæ: & idē nullam vim habet replica M. Cabero, eo quod ex sinistra intelligentia procedit: qua propter non expedit eā referre. Sed de hoc puncto iterum q. 8.

n. 35.

16 Præterea arguit Scotus, nam plures motus locales ad eundem terminum possunt terminari. Et resurrectio, & naturalis propagatio ad idem numero terminantur. Et tamen sunt actiones etiam specie differentes. Ergo ex pluralitate actionum non impeditur, quod idem numero possit reproduci naturaliter.

Respondetur cum Durando, cuius solutionem refert, & approbat Capreolus ad 8. Scoti pagina. 313. quod nō est simile de actionibus, quarum quælibet producit terminum actionis vt sit; & de actionibus, quarum neutra, vel saltem aliqua, non producit terminum simpliciter, sed solum facit, vt sit in hoc, vel aliud in ipso. Pluralitas primarum actionū necessario ponit pluralitatem terminorum; non autē pluralitas secundarum, quales sunt duo motus locales, & similiter generatio, & resurrectio. Eandem solutionem sequitur Ferrara 4. Contrag. cap. 81. vbi duæ aliæ solutiones videri possunt: hanc tamē magis probo; quia supponit per motum localem non acquiri vbi intrinsecum: quod esse verum, iam ostendimus quarto Physicorum quæst. 4. & quia cum dicimus identitatem numericam effectus dependere ab identitate numerica actionis, sermo est de actione per quam primo res fit simpliciter.



s. III.

De potentia absoluta potest idem numero redire.

17 **D**ico secundo, virtute Dei potest idē numero corruptum, vel annihilatum reproduci. Ita S. Tho. Quodl. 4. art. 5. & 4. Contrag. cap. 81. ad 1. vbi ait: *Quamuis igitur operatione natura hoc fieri non possit, ut corpus corruptum repararetur ad vitam; tamen virtute diuina id fieri potest. Et rationem assignat: nā diuina virtus, quæ res produxit in esse, sic per naturam operatur, quod absque ea effectum natura producere potest, ut superius ostensum est (nempe libro 3. contrag. c. 99.) Vnde cum virtus diuina maneat eadem, etiam rebus corruptis, potest corrupta in integrum reparare.* Hæc S. Thomas. Et in simili videatur in 2. dist. 1. q. 1. art. 4. ad 3.

18 Ad authoritates adductas à Durando, bene respōdent Capreolus, & Ferrara, quod loquitur S. Tho. iuxta principia Philosophorum, iuxta quæ argumenta procedebant; non autem ibi propriam mentem explicuit. Quo respondēdi modo vtitur Philosophus in simili 3. Physicorum, & S. Thomas ibi lec. 8. & 1. de Anima lec. 10. lit. b. id notat S. Thomas. Vel soluta intendit non posse reparari idē numero per virtutem naturalis agentis; non verò non posse redire per actionem diuinam. Vel loquitur de potentia ordinaria, non de potentia absoluta: non enim videtur decens vt res annihilata iterum re

producatur; nam superflue videretur Deus aliquid in nihilum redigere, si iterū vellet in esse restituere.

19 Rationes plures in verbis S. Tho. indicantur. Prima a paritate mysterij Resurrectionis: nam sicut potest Deus eundem hominē mortuum viuificare, possit eundem equum, quamnis forma equi fuisset corrupta. Secundo, quia annihilatio, vel corruptio præcedens non variant, nec mutant diuinam virtutem: vnde potest facere idem, quod antea. Tertio, quia Dei operatio ad extra potest sine motu facere quicquid à creaturis cum motu fit. Vnde cessat ratio impossibilitatis adducta cōclusionē præcedente. Denique id constat, quia nulla affertur ratio implicationis, quæ non facile soluatur à Theologis relatis, in quibus videri possunt omnia argumenta soluta.

s. III.

Successiua redire eadem numero contradictionem implicat.

20 **D**ico vltimo, res successiua semel corrupta, vel annihilata, per nullam potētiam possūt redire eadem numero: vnde implicat contradictionem redire idē numero tempus, vel eundem numero motum. Docet eam, & probat S. Thomas Quodlib. 4. artic. 5. ita dicens: *In his qua in nihilum redigi possunt, est quadam differentia attendenda: quadam enim sunt quorum unitas in sui ratione habet durationis conti-*

unicatē, sicut patet in motu, & tempore: & ideo interruptio talium etiam directe contrariatur unitati eorum secundum numerum: ea vero quæ contradictionem impli-
cant, non continentur sub numero Deo possibilibus, quia deficiunt à ratione entis: & ideo si huiusmodi in nihilum redigantur, Deus ea non potest eadem numero reparare; hoc enim esset facere contradictoria simul esse vera, puta si motus interruptus esset unus.

21. Tota autem huius rationis efficaciaci pendet ex eo quod ut ait Philosophus 5. Physicorum textu 39. tunc est simpliciter unus numero motus, cum est continuus: esse autem continuum, & esse interruptum, contradictorie opponuntur; quia cōtinuatio includit priuationem discontinuationis: ergo implicat iam esse trāfactum, & interruptum, & non redire aliud numero. Aduertit autem Capreolus ad argumenta contra tertiam cōclusionem pag. 317. quod continuitas, quæ requiritur ad identitatem motus numeralis, non est continuitas eius cum alio motu, nec cum seipso; sed est quod totum tempus ipsum mensurans sit continuum. Hoc autem esse non potest, si motus post corruptionem reparatur; quia in ipsa corruptione est tempus medium, nec generatio, & corruptio motus possunt cōtinuari, ut dicitur 8. Physicorum.

22. Præterea idem explicat Rubio à n. 53. vsque 63. quia sicut corpus per suam extensionem est præsens spatio imaginatio, siquidem hæc illi cōuenit et ablato omni extrinseco corpore: ita motus per suam

extensionem successiuam durationis est præsens tempori imaginario ablato omni extrinseca duratione: de quo recolantur quæ diximus lib. 4. Phys. q. 1. & 4. Sed implicat contradictionem quod idem corpus ratione eiusdem præsentia simul sit præsens duobus spatijs imaginarijs. Ergo etiam implicabit cōtradictionem, quod idem motus ratione eiusdem durationis sit præsens diuersis temporibus imaginatis. Implicat autem contradictionem, quod reproducatur idem motus, & quod non sit simul præsens diuersis temporibus imaginatis; nam motus seipso est præsens spatio imaginario: & ideo reproductus est præsens simul tempori imaginario, in quo primo fuit, & tempori in quo nunc imaginatur esse. Per quæ impugnari possunt, quæ dicit Suarez à num. 15. vsque ad 18.

23. Confirmatur, si corpus ratione eiusdem præsentia esset simul in duobus locis, esset simul distans, & indistans (ut adhuc in strictioribus terminis diximus 4. Phys. q. 7.) Ergo si idem motus esset bis durans per eandem numero durationem, sequitur quod dies hodiernus distaret determinata duratione à die crastino, & quod maiori distantia distaret: imò sequitur, quod esset distans, & indistans: & quod esset interruptus, & quod esset continuus. Implicat ergo contradictionem successiuam transacta eadem numero reproduci: quia per corruptionem, vel annihilationem interruptitur cōtinuatio essendi, quæ pertinet ad unitatem motus, & eorum quæ cōsequuntur.

sequuntur ad motum, vt Quodlib. 4.
art. 5. ad 2. ait S. Thomas.

QVAESTIO VLTIMA.

*De principio indiuiduationis in
rebus materialibus.*

Licet quæstio hæc reuera sit
metaphisica, visa est huic lo-
co opportuna, imò, & penitus ne-
cessaria, quia multa in præcedenti
bus disputata, ex eius notitia de-
pendent: & in his libris à Thomis-
tis plurimis pertractatur. Quia ta-
men multiplicatis opinionibus in
dies redditur prolixior, & intrica-
tior; seligemus vtiliora, consulen-
tes legentium profectui.

2. L

*Sententia præcipua cum suis
fundamentis.*

PRior opinio docet omnē sub-
stātiā singularem, seipsa, seu
per entitatem suam esse singularem,
neque alio indigere indiuiduationis
principio, præter suam entita-
tem, vel principia intrinseca. Ita
Aureolus in 2. dist. 9. q. 3. art. 1. &
2. Ocham in 1. dist. 2. q. 4. & 6. Ga-
briel q. 6. 7. & 9. Indicant Heruæus
Quodlib. 3. q. 9. & Durand. in 2. di-
stinct. 3. q. 2. n. 14. & 15. Et tenent
Suar. disp. 5. Metaph. sec. 6. Arriaga
disp. 1. Metaph. sec. 4. subsec. 9. &
alij. ¶ Nominalium fundamentū
erat, quia nō agnoscebat vniuer-
salia ratione ratiocinata distincta à

singularibus; sed omnes res per se
ipsas esse singulares dicebant.

3 Durandus verò, & Suarez ad-
mittunt indiuiduum addere supra
speciem aliquid ratione distinctū;
sed dicunt illam indiuidualem dif-
ferentiam non habere in substātia
indiuidua speciale aliquod princi-
piū. Quod probat Suarez, quia re-
uera non potest fundamentum vni-
tatis ab ipsa entitate distingui: sed
vnitas indiuidua pro formali non
addit aliquid positivū reale supra
entitatem indiuiduam; sicut nec
qualibet alia vnitas addit aliquid
positivum supra ens: ergo nec vni-
tas indiuidua, physicè loquendo,
addit aliquid illi entitati, quæ indi-
uidua denominatur: ergo seipsa
est principium indiuiduationis.

4 Arbitrantur alij res indiuidua-
ri per differentiam positivā intrin-
secam, quæ est eius singularitas, &
dicitur *Hæcitas*: quia per illam sin-
gulare fit certum, hoc, & determi-
natū: & in singulis indiuiduis pro-
pria singularitas proprio nomine
abstractè sumpto significatur, & di-
citur *Pæreitas*, & sic de alijs. Sic
Scotus in 2. dist. 3. q. 6. ibi Bassolis
dist. 12. Rada to. 2. Controu. 3. art.
4. & alij Scotistæ; quos sequuntur
Fonseca 5. Metaphil. cap. 6. q. 5. &
q. 3. sec. 2. Aueria in Logica q. 9.
sect. 9. Fundamentum præcipuum
est: nam omnis differentia rerum
reducitur ad aliqua primo diuer-
sa; alioquin daretur processus in in-
finitum in differentijs. Cum ergo
indiuidua differant, oportet asig-
nare vltimam eorum differentiam
intrinsecam. Quæ non potest alia
esse

esse præter hæcæitatem: nam sicut genus contrahitur per differentias proprias ad species; ita species contrahi debet per hæcæitates ad indiuidua.

5. Recurrunt alij ad agēs extrinsecum, vt explicent indiuiduationis principium. Quod solet tribui Durando in 2. dist. 3. q. 2. vbi tamē post^o docet opinionem n. 2. relatam. Magis fauet Henricus Quodlib. 5. q. 8. & 15. vbi docet indiuiduum supra speciem solum addere duas negationes; & positiuū indiuiduationis principium solum agnoscit agens extrinsecum. Sed in Quodlib. 2. q. 8. existentiam, vel subsistentiam videtur constituere pro indiuiduationis principio. Pro qua sententia citatur Carthusianus in 2. dist. 3.

6. Huic tertiæ opinioni, quoad principale assertum, affinis est illa, quæ docet res indiuiduari ex ordine ad circumstantias extrinsecas, nempe in ordine ad has numero causas efficiētes, & ad has circumstantias temporis, & loci, in quibus primo producit. Cui videntur fauere Porphyrius cap. de Specie, & Auicena 5. Metaphis. cap. 2. & 4. & S. Damascenus in Dialectica c. 30. & 42. & libro Primarū Inst. cap. 3. & 4. qui explicant indiuiduationis principium per collectionē accidentium. Sed in proprijs terminis indiuiduationem fieri per ordinem ad circumstantias extrinsecas, docent Vazquez tomo 1. in 3. p. disp. 74. cap. 7. & Suarez to. 2. in 3. p. disp. 44. sec. 6. Et tenent Soto in 4. dist. 43. q. 1. ar. 3. §. ar. quia. lauell^o

5. Metaphis. q. 7. conc. 2. in fine, Masius, & alij Thomistæ, quos sequuti sumus 2. Physic. q. 23. n. 5. & fauent Durandus, & Rubio relati hoc libro q. 7. n. 14. & ex professo Bañez hic libro 1. cap. 5. q. 3. ar. 7. conc. 1. docens principium indiuiduationis in fieri esse hanc numero actionem efficientis. Ratioque videtur esse, quia alia omnia, seculis his circumstantijs, sunt in differentia ad producendum hoc, & illud indiuiduum; positis autem omnibus circumstantijs sufficiēter determinatur; ita vt repugnet omnes circumstantias in duobus indiuiduis adunari: hoc ergo erit indiuiduationis principium.

7. Quia tamen de indiuidua determinatione ipsarum circumstantiarum, reddit quæstio, à quo fiat? Ideo dicunt aliqui indiuiduationē effectus fieri à sola determinatione causæ primæ. Ita Gregorius Ariminensis in 1. dist. 17. q. 4. art. 2. ad 7. & dist. 35. q. 1. art. 1. Conimbric. 2. Physic. cap. 7. q. 15. art. 2. Toletus, & Fonseca, quos citat, & sequitur Suarez disp. 5. Metaph. sec. 9. n. 7. retractans priorem sententiam: & hanc iterum probat disp. 22. sec. 4. n. 5. & sequuntur Recentiores Cōplutenses Societatis Controu. 10. Physicæ puncto 22. vbi & pro eadem referunt Hurtadū, & Arriagā.

8. Inter eos vero, qui vni ex principijs intrinsecis tribuunt esse præ alio indiuiduationis principium; est dissidium: nam sunt qui allerāt hoc competere formæ, quod sit principium indiuiduationis compositi. Tribuit Auerroi. 1. de

Anima cap. 7. & lib. 2. cõ. 7. & seq. & 3. Phys. cõ. 60. Auicena 6. Natur. p. 1. Zimara Theor. 97. Perez 2. de Anima cap. 1. *esse que satis probabilem, proximeque ad veritatem accedere,* inquit Suarez disp. 5. Metaphis. sec. 4. n. 6. & simpliciter approbat ibi sec. 6. n. 15. & 17. & videtur tenere Nimphus 5. Metap. disp. 5. & Durandus in 4. dist. 44. q. 1.

Et ratio est, quia idem est principium unitatis, quod entitatis: propter quod dixit S. Thomas quæst. vnica de Anima art. 1. ad 2. *Vnumquodque secundum idem habere esse, & indiuiduationem,* quia unitas est passio entis. Sed vnaquæque res propriè habet esse à forma: vnde Philosophus 2. de Anima c. 1. docet, *formam esse, que constituit hoc aliquid.* Ergo quælibet res indiuiduatur à sua forma.

9 Denique materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, sæpè docuit Philosophus, & sæpissimè S. Thomas: & ab omnibus eius Discipulis debere acceptari, testatur Bañez 1. de Generatione cap. 5. q. 3. per nouem articulos, præcipue art. 8. alios referunt PP. Carmel. tract. 1. in 1. p. disp. 1. dub. 2. ¶ *Fundamentum est, quia indiuiduum est, quod non diuidatur vltimus, nec formali, nec materiali differentia,* vt ait S. Thomas 10. Metaphis. lec. 11. sed per solam materiã quantitate signatam, hoc habetur: ergo hæc est principium indiuiduationis. Probat minor: quia distinctio, quæ prouenit à forma, est formalis, & specifica: & idè forma per materiam trahitur, & fit in

communicabilis. Materia verò ipsa se sola est indiuisibilis, & impartibilis: vnde opus est vt sigilletur per quantitatem, vt in partes diuidatur, iuxta dicta lib. 2. Log. q. 13. & 14. Varios modos, quibus hæc signatio materiæ à Thomistis exponitur, oportunius referemus, cum de ipsa sententia in particulari tractemus §. 6. & 7.

§. II.

Notabilia pro decisione questionis.

10 **F**ere nulla ex relatis sententijs est penitus falsa: sed etiã nulla præter vltimam, radicem in diuiduationis exacte, & adæquatè exponit; & ideo, vt sic vltimam præferamus, quod id quod veritatis reliquæ continent approbemus, & amplectamur; de omnibus sigillatim est dicendum; debitis præmissis distinctionibus: quarum neglectu ab aliquibus quæstio hæc, vel confunditur, vel punctus difficultatis eius non attingitur.

11 Cum principium aliud sit intrinsecum, aliud extrinsecum; aliud in fieri, aliud in facto esse, iuxta dicta 1. Physicorum: idè de singulis seorsum est dicendum, & ita exponere debemus causas indiuiduationis extrinsecas, & in fieri rei, quod vltra illas, etiã præcipue curamus de principio intrinseco indiuiduationis. Et debemus explicare, non solum principium indiuiduationis materiale, sed etiã principium illius formale, si illud habet.

De principio autem extrinseco finali non est specialis difficultas, si semel alia principia declarentur.

12. Præterea aduertendū, quod sicut S. Thomas 1. p. quæst. 85. art. 3. ad primum, & libro 7. Metaph. lect. 13. litt. b. & alibi sæpè distinguit, quod vniuersale dupliciter potest accipi: vno modo pro ipsa natura, cui intellectus attribuit intentionem vniuersalitatís: & sic vniuersalia, vt genera, & species, substantias rerum significant, & prædicantur in quid. Alio modo potest accipi vniuersale in quantum est vniuersale, & secundum quod natura prædicta subest intentioni vniuersalitatís, siue primæ intentioni, siue secundæ intentioni, quæ sit modo exposito lib. 1. Logicæ quæstione 13. & 14. & hinc nascitur triplex acceptio vniuersalis, nempe pro natura *physicæ* sumpta, & pro abstractione eius *metaphysicæ*, & pro secundâ intentione *logicæ*. Ita pariformiter singulare, & indiuiduum, & potest accipi *physicæ*, pro natura, & *metaphysicæ*, pro primâ intentione singularitatis, & *logicæ*, pro ut prædicatur de vno, & speciei subijcitur.

13. Pro quo adhuc notandum, ex Caietano cap. 2. de Ente, & essentia q. 5. art. 4. in fine, §. *Dico autem*. Et ex Bañez citata q. 3. art. 2. cõc. 3. quod sicut forma constituta hominis non est ipsa differentia speciei, sed est id vnde sumitur differentia: vnde anima non est rationale, sed est forma, à qua sumitur rationale: eo quod differentia sumitur à forma, vt docet S. Thomas locis

relaris libro. 1. Logicæ q. 19. in fine. Sic principium indiuiduationis physicum, quod inquirimus, non est ipsa differentia indiuidualis; sed est id vnde sumitur differentia indiuidualis, & quod causat eam intrinsece: sicut forma dicitur causa re gradus metaphysicos: eodem enim modo se habet gradus indiuidualis ad hanc formam, & ad hoc indiuiduum, sicut se habet gradus differentialis ad hanc formam, & ad hanc naturam secūdū speciē. Supponimus ergo dari differentiam indiuidualem (vt probat argumentum propositum n. 4.) quæ singularitas, vel hæcceitas dicitur: eo enim ipso quod detur indiuiduum, dari debet intrinseca differentia indiuidualis ipsius constitutiuā, sicut eo ipso quod datur species, datur differentia contractiuā generis, & speciei constitutiuā. Et inquirimus an radix huius hæcceitatis sumatur à materia, an à forma, an à toto; vel nõ opus sit ab aliquo alio principio desumere? Iuxta opiniones iam relatas.

14. Vtterius adnotare oportet, quod principium indiuiduationis intrinsecum physicè sumptum, duplex est: aliud radicale, & prinũ; aliud proximum, & formale: sicut enim genus proxime sumitur à toto, & radicaliter sumitur à materia, vt ex Philosopho ait S. Thomas cap. 6. de Ente, & essentia, & 1. p. q. 56. art. 2. ad 1. ita loquendo de principio indiuiduationis debemus explicare principium proximum, & principium radicale & remotum. Rursus videndum an hoc

sumatur ab extrinseco, vt termino habitudinis, vel vt à conditione, siue intrinseca, siue extrinseca?

15 Denique aduertendum, quod Sanctus Thomas 1. p. quæst. 29. ar. 4. definit indiuiduum, dicens. *Indiuiduum est, quod est in se indistinctum, ab alijs vero distinctum. Est enim indiuiduum, vt asserit idem Sanctus Thomas Opusc. 29. in sensibilibus ipsum vltimū in genere substantiæ, quod de nullo alio predicatur. Imo ipsum est prima substantia, secundum Philosophum in Prædicamentis, & primum fundamentum omnium aliorum.* Estque idem ac vnum numero. Distinguit autem Sanctus Thomas 1. parte quæst. 30. articulo 3. & quæst. 9. de Potentia articulo 7. quod vnitatis alia est transcendentalis; & alia prædicamentalis: prima realiter nõ differt ab ente, vel substantia; secunda est de genere quantitatis, vt latè diximus libro secundo Logicæ quæstione 16. & quæstione 13. num. 29. Cum disputatur de indiuiduationis principio, non est præcipua difficultas per quid cõstituitur vnum numero vnitatis quantitatiua, & accidẽtal? Sed potius est sermo de vnitatis substantiali numerica, ratione cuius hoc indiuiduum ponitur sub specie, & sub genere substantiæ, & differt numero ab alijs sub eadem specie cõtentis. Quamuis ad complementum doctrinæ, etiam de vnitatis quantitatiua sit agendum. His prælibatis, iam

non erit difficile quæ-

stionem dirime-

re.

§. III.

Indiuiduationis principium proximum non differt realiter à substantia.

16 **D**ico ergo primo, principium intrinsecū indiuiduationis proximum, non est aliquid ante operationem intellectus actu distinctum ab ipsa substantia, quæ est indiuidua. Colligitur ex D. Tho. c. 3. de Ente, & essentia in princ. dicente: *Paret ergo, quod essentia hominis, & Socratis nõ differunt, nisi secundum signatum, & non signatum. Vnde Cõmentator dicit super 8. Metap. quod Socrates non aliud est, quàm animalitas, & rationalitas, quæ sunt quidditas eius. Sicut etiam essentia generis, & essentia speciei secundum signatum, & non signatum differunt.* Ad idem pertinet quod S. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. ait. *Substantia indiuidua: ut per se ipsam.* Et q. 9. de Potentia ar. 1. ad 8. dicit. *Sola autem substantia per se ipsam indiuiduatur.* Et Quodl. 3. art. 2.

17 Ratio indicata à D. Thoma, est manifesta ex dictis lib. 1. Log. q. 13. n. 20. videlicet quod gradus metaphisici vniuersales, nec inter se, nec à differentia indiuiduali differunt ante operationem intellectus, quia omnes proueniunt proxime ab eodem principio: sed hac ratione fundamentum proximum generis, & differentiæ nõ differunt realiter: ergo eadem ratione fundamentum proximum indiuidui nõ differt à natura singulari, quæ realiter non differt ab ipsa natura, quæ in alio statu est vniuersalis.

18 Præterea, prædicatio est signum conue-

conuenientia, vel identitatis eorū
quæ prædicantur: nam vt docet S.
Thomas 1. p. q. 13. ar. 12. in qualibet
propositione affirmatiua vera oportet,
quod prædicatum, & subiectum significēt
idem secundum rem aliquomodo, & diuer
sum secundum rationem. Sed natura sig
nificata per nomina primæ intētio
nis, essentialiter prædicatur de in
diuiduo: dicimus enim Petrus est
homo, & animal rationale: ergo ra
tio constitutiua intrinsicè indiui
dui non est aliquid distinctum reali
ter, nec extraneū à natura. Et hanc
rationem indicat S. Thomas quæ
stione vnica de Ani. ar. 3. ad 13. do
cens principia indiuiduātia esse de
essentia compositi indiuiduati.

19 Aliam rationē indicat S. Tho
mas. 1. p. q. 39 ar. 3. dicēs. *Substantia
autem sicut perse habet esse, ita perse ha
bet unitatem, vel multitudinem.* Et for
matur sic. Indiuiduum est tale for
maliter per id quo est vnum nume
ro transcendentem. Sed substantia per
suam entitatem indiuisam est vna
numero in se indiuisa, & ab alijs di
stincta, distinctione transcendentem:
ergo per aliquid formaliter deli
nea substantia, est vna numero sub
stantialiter.

20 Denique hanc cōclusionem
probat fundamentum primæ sen
tentia relatam n. 3. Cum quo cō
patitur rationē constitutiua indi
uidui ratione ratiocinata distingui
à ratione cōstitutiua speciei, vt de
omnibus gradibus metaphisicis lo
co citato Logicae satis ostendi
mus.

21 Sed obijcies: nam quicquid
conuenit alicui, & non conuenit

ei perse, conuenit ei per aliquid ad
ditum: sed singularitas cōuenit na
tura, & non conuenit perse: ergo
per aliquid additum. Minor vide
tur expressa S. Thomæ 4. capite de
Ente, & essētia, vbi ait: *Si queratur,
vtrum natura possit dici vna, vel plures?
Neutrum concedendum est, quia vtrum
que est extra intellectum humanitatis, &
vtrumque potest sibi accidere.* Et ratio
est facilis: nā quæ perse conueniūt,
cōueniūt semper, & opposita nū
quā: cōstat autē quod singularitas
nō cōuenit sēper: alioquin nūquā
illi conueniret vniuersalitas: ergo
natura non cōuenit perse singula
ritas.

Hoc argumentum, & septē alia,
quæ congerunt Sōcinas lib. 7. Me
taph. q. 31. conc. 2. & Bañez illa q.
3. art. 1. vt probent necesse esse af
signare aliquod principium, per
quod indiuiduetur natura, cum nō
sit de se indiuidua; quia esse singu
larem non cōuenit ei perse, nec in
primo, nec in secūdo modo. Hæc,
inquam, argumenta non sunt con
tra nos, qui non sumus loquuti de
natura secundum se; sed de illa pro
ut est à parte rei. Benè autem com
patitur quod esse singularem acci
dat naturæ secundum se; & tamen
illi vt sit extra causas, non conue
niat per aliquid realiter distinctū:
quia non est idem iudicium de na
tura secundum se, & de natura vt
est à parte rei, vt patet ex dictis

libro primo Logicae

quæst. 12.



5. III.

*Forma nō est radicale principii
indivisionis. Neque
hæcceitas.*

22 **D**ico secundo, in substantijs corporalibus necesse est assignare radicale principium distinctionis purè individualis realiter distinctum à forma. Ita S. Tho. 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. dicens, quod forma, qua sunt receptibiles in materia, induantur per materiam, qua non potest esse in alio, cum sit primum subiectum subsistens: forma vero quantum est de se, nisi aliquid aliud impediatur, recipi potest à pluribus. Idem docet S. Tho. ibi ar. 3. & q. 13. art. 9. & q. 29. art. 2. ad 3. & q. 50. ar. 4. ait. *Ea enim, que conveniunt specie, & differunt numero, conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter.* Quæ est ratio eiusdem S. Tho. in 2. dicit. 3. q. 1. art. 4. & lib. 2. Contrag. cap. 99. ratione. 2. & sæpissimè a se libi.

23 Et quod ita sit tenendum in via D. Thomæ, patet: nam si formæ possent solo numero differre sine materia, vel ordine ad divisionem purè materiale, sequitur, quod ratio qua Philosophus 12. Metaphis. cap. 8. probat unitatem Dei numericam, quia caret materia, & numero sunt unum, quorum materia est una; sequitur inquam, hanc rationem nil valere, ut patet. Hoc est absurdum; alioquin Philosophorum Princeps solo lumine naturæ non valuisset probare Dei unitatem; cum tamen Apostolus ad

Roman. 2. supponat Philosophos Deum cognovisse. Secundo sequitur non bene probare S. Thomam Angelos non posse distingui numero intra eandem speciem, quia carent materia; cuius contrarium patet locis citatis.

24 Ratio S. Thomæ illo cap. 93. absolutè est efficax. Inquit enim. *Quacumque sum idem specie, differentiæ autem numero, habent materiam: differentia autem, que ex forma procedit, inducit diversitatem speciei; que autem est ex materia, inducit diversitatem secundum numerum.* Et in forma sic proponi potest. Unitas, & distinctio proveniens radicaliter à forma; est distinctio specifica: ergo ultra formam debet assignari aliud principium distinctionis purè individualis. Probatur antecedens; quia unitas, & distinctio specifica, est unitas, & distinctio formalis, & essentialis, siquidem est per formam, & quiditatem: unitas verò, & distinctio numerica est materialis: ergo unitas proveniens à forma, & distinctio inde orta erit formalis. Secundo probatur antecedens; quia distinctio orta à materia, quatenus tali, non potest esse formalis; siquidem effectus nequit esse ultra suam causam: ergo nec è contra distinctio proveniens radicaliter à forma poterit esse materialis: erit ergo formalis, & specifica. Tertio, idèd genus sumitur à materia radicaliter, quia est quid potentiale: sed distinctio numerica purè, est distinctio materialis: & idèd non habet locum in Angelis abstractis à materia: non ergo forma est
radix

radix diuersitatis purè numerice intra eandem speciem. Hanc rationem latè expendunt PP. Carmelirani dub. 1. à nu. 12. vsque ad 20. & M. Ioann. à S. Thoma hic q. 9. artic. 3. cōcl. 1. in quibus aliæ probationes videri possunt : & apud Ferraram illo cap. 93.

25 Obijcies, duæ animæ rationales distinguuntur vt actus, & forma, vt patet in animab⁹ separatis : & tamen illarum distinctio non est formalis, sed materialis : ergo distinctio purè materialis potest oriri à forma. Vnde S. Thomas lib. 2. Contrag. c. 75. ad 1. & cap. 81. docet, quod sicut esse animæ intellectiue non causatur perse à materia, ita nec eius indiuiduatio.

Respondetur, quod etiam animæ intellectiue indiuiduantur ex habitu ad materiam, & corpus singulare. Quod optimè explicat S. Thom. de Spiritualibus creaturis ar. 9. dicendum, inquit, quod licet corpus non sit de essentia animæ; tamen anima secundum suā essentiam habet habitum ad corpus, in quantum hoc est ei essentialiale, quod sit corporis forma : & ideo in definitione animæ ponitur corpus. Sicut ergo de ratione animæ est, quod sit forma corporis; ita de ratione huius animæ, in quantum est hæc anima, est quod habeat habitum ad hoc corpus. Hæc ibi.

126 Quia tamen corpus non est pars indiuiduationis, sed terminus habitudinis; nec exigitur vt indiuiduatio perseueret : sed solum in fieri, & in introduci; ideo destru-

cto corpore, perseuerat animæ indiuiduatio, vt docet Sanctus Thomas 6. cap. de Ente, & essentia, vbi approbat, quod ait Auicena, quod indiuiduatio animarum, & multiplicatio dependet ex corpore quantum ad sui principium; sed non quantum ad sui finem. Quod latè declarat Caietanus ibi quæst. 15. docens animam indiuiduari commensuratione substantiali ad corpus: quæ substantialis coaptatio non differt ab ipsa anima; & est res absoluta à termino; licet non sit absoluta à receptiuo: & in ista coaptatione fundatur relatio coaptationis.

27 Et ad secundum vt argumentum diluat Caietanus, docet, quod aliud est dicere: omnis distinctio formalis est specifica; aliud verò est asserere, quod omnis distinctio formarum est specifica. Distinctio enim formalis, cum sit illa, quæ ex principijs diffinitiuis constat, specifica est: cum non habeant easdē differentias vltimas formales, quarum diuersitas sufficit ad diuersitatem specificam: duæ autem animæ eandem habent essentialē diffinitionem. Distinctio autem formarū potest esse ex materia, cui forma est vnibilis: & hæc inuenitur in duabus animabus separatis ex hoc quod diuersis corporibus coaptatæ sunt.

28 Vnde non est similis ratio de eis, & de alijs substantijs separatis, quæ corporibus vnibiles nō sunt; & hoc ipso sunt indiuiduæ: nam, vt ait S. Tho. 1. p. q. 3. art. 2. ad tertiuū: *Illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est perse subsistens; ex hoc ipso*

individuatur, quod non potest recipi in alio: & huiusmodi forma est Deus. Et art. 3. sequenti ait: *Quod in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, ipsæ formæ perse individuantur.* Et 3. p. q. 77. art. 2. dicit: *Formæ immateriales separatae perse subsistentes, sunt etiam perse ipsas indiviua.* Idem dicit in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. & q. 9. de Potentia art. 3. ad 5. & de Spiritualibus Creaturis art. 5. ad 8. & artic. 8. ad 4. & ad 13. *Quæ notabis, vt contempnas futile argumētum, quo aliqui Neoterici contra nos vtuntur, nec recitatu dignum: si enim S. Tho. Deum ipsum, & Angelos formas vocat perse subsistentes; manifestum est, quod conceptus formæ est quid commune, & analogum formæ, quæ est pars compositi, & formæ, quæ est substantia separata, & formæ, quæ est actus purus, qui est ipse Deus. Et hoc loquēdi modo vlos fuisse Aristotelem, & Platonem, testatur S. Thom. q. de Anima art. 2. ad 5. & de S. Boetio idem refert 1. p. q. 54. art. 3. ad 2.*

29 Dico tertio, *Hæcceitas nō est physicum radicale, vel proximum principium individuationis; realiter, vel modaliter, aut ex natura rei distinctum à natura indiuidua. Est tamen quo conuenienter exprimitur nomine abstracto differētia indiuidualis primo, vel secūdo intentionaliter sumpta. Proponitur hæc conclusio pro intelligēda sententia Scoti: qui si solum velit secundam partem nostræ conclusionis; nulla est differentia inter ipsius, & nostram sententiam, vt di-*

cebamus nu. 13. & notant omnes Thomistæ antiqui, & moderni. Si autē opponatur primæ parti assertionis; quatuor argumentis impugnatur à Caietano c. 2. de Ente, & essētia q. 5. s. *Quoad tertium.* Et alijs quatuor à Soncinate lib. 7. Met. q. 32. & Flaudria lib. 7. Met. q. 22. ar. 7. & Araujo lib. 8. q. 1. art. 1. conc. 1. quæ ibi videri possunt.

30 Mihi ex duplici capite videtur probanda conclusio: primo, quia vt s. sequenti in fine arguit Caietanus. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquē bene: sed absque huiusmodi modis superadditis, sufficiēter saluatur indiuiduatio substantiæ compositæ, asserendo distinctionē formalem esse ex forma, & distinctionem materialē ex materia, & quantitate, modo exponendo infra: ergo sine fundamento introducuntur hæc indiuiduationis principia ab antiquis Phylsophis. non agnita.

Secundo probatur ex dictis lib. 1. Log. q. 13. vbi ostēdimus, quod nec grad⁹ indiuidualis à specifico, nec iste à generico differunt realiter; sed solum ratione ratiocinata. Vnde adhuc si istæ hæcceitates essent necessariæ ad indiuiduationē, non differunt actu ante operationem intellectus ab ipsa natura.

31 Potest præterea impugnari, inquirendo de hæcceitate physice accepta, vt distincta à natura, quid sit? Si est accidens: nequit esse intrinsecum indiuiduationis principium respectu substantiæ. Si est substantia; vel erit materia, vel forma, vel

vel compositum, vel vno materiae, & formae; vel aliqua substantia incognita. Hoc vltimum secum affert impugnationem. Reliqua admittere, est in re nobiscum conuenire. Quod intendimus: quia sicut proximè substantia seipsa est indiuisa, ita seipsa est vna, & singularis: & radicaliter, sicut distinctio specifica non est nisi à forma, ita indiuisa, non originatur nisi à materia signata. ¶ Argumenta, quae contra conclusionem obijci solent, ita probant secundam partem illius, quod primè, nec apparenter opponantur: & ideo non opus est in eis referendis immorari. ¶ Nec detinetur in impugnanda opinione asserente, quod existentia, aut subsistentia sit indiuiduationis principium: nam vt inquit Suarez disp. 5. sec. 5. n. 2. *Ab omnibus rebus citur vt omnino falsa, & improbabilis.* Videri potest M. Albelda 1. p. disp. 23. n. 13. & 14.

§. V.

De principio extrinseco indiuiduationis.

32 **E**xclusis iam aliorum sententiarum de intrinseco indiuiduationis principio, sequitur vt declarem principia eius extrinseca, vt tandem exponere possimus S. Thomae sententiam de principio intrinseco, de quo praecipue inquirimus: sed antea de principio extrinseco duo asserenda sunt. ¶ Primū est, quod principium indiuiduationis quantum ad fieri, seu principium illius extrinsecum, est hoc numero

efficiens, agens hac numero actione. Sequitur haec conclusio ex dictis lib. 5. Phys. q. 3. de requisitis ad vnitatem numericam motus. Et tenent omnes Auctores relativi hic n. 6. Sumitur ex Philosopho 8. Met. tex. 12. dicente. *Contingit autem vna existente materia, diuersa fieri propter mouentem causam; vt ex ligno fit arca, & lectus.* Et concludit: *Etenim, si materia diuersa, & mouens; & ipsum quod factum est.* Vbi S. Tho. lec. 4. litt. c. dicit hoc contingere: *aut quia est alia, & alia causa mouens: aut quia eadem causa mouens se habet ad operandum diuersa diuersimodè.* Quod maximè in artificialibus patet: videmus enim ex ligno fieri arcam, & lectum ab vno artifice secundum diuersas formas artis, quas apud se habet.

33 Ex quo à paritate sumitur argumentum: nam quemadmodum materia est indifferens ad diuersas formas secundum speciem, ita est indifferens ad diuersas secundum numerum: ergo sicut determinatur ad hanc speciem ab agente huius speciei; ita determinatur ad hoc singulare, & indiuiduum, ab hoc agente singulari, & indiuiduo. Cōsequentia tenet ex maxima Philosophi adducenda n. 37. de correspondentia causarum cum suis effectibus, sicut diuersis secundum speciem diuersa secundum speciem, ita diuersis numero, non eodem numero productiones.

34 Secundum fundamentū sumitur ex Philosopho 1. Metaphisicæ, dicente: *Actiones autem, ac generationes omnes circa singulare sunt.* Et

S. Thomas ibi lec. 1. lit. g. *Actiones sunt circa singularia, & singularium sunt omnes generationes.* Quod & affirmat S. Tho. 3. p. q. 20. artic. 1. ad 2. Nec vllus negare valet, quia nature vniuersales abstractæ à singularibus, non dantur in rebus: vnde nec agunt nisi singularia, nec physice causantur nisi singularia. Sed cuiuslibet entis dantur suæ propriæ causæ, non solum intrinsecæ, sed extrinsecæ. Ergo huius indiuidui datur hæc causa indiuidua hac numero actione agens.

35 Obijcies: nam principia indiuiduationis nequeunt variari, eodem indiuiduo manente; alioquin esset idē numero, vt supponitur; & non esset idem, sed diuersum propter diuersum principium indiuiduationis. Sed in nostra sentētia explicata 2. p. Metaph. & lib. 2. Physicorum q. 23. iisdē effectus numero, qui sunt ab ista causa, possunt diuinitus esse ab alia. Et qui est ab ista causa operante hac numero actione potest esse ab eadem operante alia numero actione. Ergo hæc actio numero huius causæ efficiētis non est principium indiuiduationis, adhuc extrinsecum, & in fieri.

Hoc argumentum ab omnibus est soluendum; quia nullus dubitat, quod eisdem numero effectus, quos causæ secundæ efficientes faciunt, Deus se solo valet producere: oppositum enim esse erroneum, dicit S. Thomas 1. p. q. 105. art. 2. & tamen tunc variato efficiente, non variatur identitas numerica effectus. Distinguenda ergo est maior, & concedenda de principio in

trinsecum, & neganda de principio extrinsecum. Licet autem ordo ad causam efficientem sit intrinsecus effectui ab ipsa dependenti: tamē alius est ordo essētiæ, is, quem variari implicat contractionem; alius est ordo connaturalis, qui naturis rerum conseruatis nequit immutari: secus verò à Deo supra rerum cursum agente. Dependētia effectus à causa efficiente est effectus essentialis; quod verò hic numero sit ab hac numero causa agente hac numero actione, est tantum ordo connaturalis. Re-colatur quæ diximus q. 7. n. 15.

36 Dico secundo, Deus se solo non determinat in genere causæ efficientis indiuiduationem effectuum prouenientium à causis secundis. De hac conclusione satis diximus 2. p. Metaph. Controu. 16. an. 90. vsque 98. Rursum, quod in consequenter Patres Societatis non admittant Physicam Dei præmotiōnem positam à D. Thoma (quam referens Aegidius à Præsentatione libro 10. de Beatitudine quæst. 15. art. 15. §. 3. vocat *Philosophiam satis euidentem*,) & conentur adstruere sententiam, quam nunc impugnamus (de qua inquit M. Soto relat^o vbi supra, quod *responsa hæc non sunt physica, sed eorum, qui medullas natura non penitus inspiciunt*) iam satis ostendimus lib. 2. Physicorū quæst. 14. §. 7.

37 Nunc probatur conclusio ex D. Thoma 1. part. quæst. 76. artic. 2. afferente illud Philosophi secundo Physicorum textu 38. *sicut se habent causa vniuersales ad vniuersalia.*

uersalia, ita se habent causæ particulares ad particularia. Et ad 2. ait S. Tho. quod vnumquodque hoc modo habet vnitatem, quo habet esse. Et quæst. vnica de Anima artic. 1. ad secundū dicit, quod vnumquodque secundum idem habet esse, & indiuiduationem: vniuersalia enim non habent esse in rerum natura, vt vniuersalia sum, sed solū secundum quod sunt indiuiduata. Ex quo inferunt Sancti Thomas: sicigitur esse anima est à Deo sicut à principio actiuis, & in corpore sicut in materia; nec tamen esse anima perit perente corpore: ita & indiuiduatio anima, &c. Vbi explicatur causa efficiens indiuiduationis animæ, qui est Deus eius creator; & causa materialis, quæ est hoc corpus, & cōmensuratio ad illud, & relatio, quæ non perit perente corpore.

38 In quibus multæ probationes indicantur. Prima ab inconuenienti, quia non esset peculiare animæ rationali, & substantijs separatis, quod earum indiuiduatio à solo Deo efficeretur, si cuiuslibet indiuiduatio à sola prima causa determinatur efficienter: hoc autem est inconueniens: alioquin solus Deus omnia faceret, sicut solus creat Angelos, & Animas rationales.

Secundo à priori, effectui singulari correspondere debet causa singularis; & physicè loquendo, eadē efficientia sunt prædicata singularia, ac prædicata vniuersalia: siquidem actiones sunt circa singularia, & singularium; & nulla actio physica est circa vniuersalia abstracta; cum vt sic in re non dentur vniuersalia, vt Plato ponebat ideas separatas. Sed est de fide, quod cau-

sa secundæ verè, & propriè efficiunt, vt ostendimus 2. p. Metaph. Controu. 9. art. 1. ergo verè in genere causæ efficientis, & in fieri de terminant indiuiduationem effectuum.

39 Tertio, ignis productus in genere causæ efficiētis principalis ab alio igne, prout est hic ignis singularis, non solum habet principia intrinseca indiuiduantia creata, sed etiam causam efficiētem creatam, nō solum prout est ignis, sed prout est hic numero ignis: ergo sicut assignamus illi principia indiuiduationis creata, nempe ea ex quibus componitur intrinsece: ita causam a qua hic numero efficitur, debemus ponere pro principio indiuiduationis extrinseco, seu in fieri.

40 Quarto hoc vrget contra P. Suarez, & alios, qui non agnoscunt aliud principium indiuiduationis præter ipsam rem indiuiduam realiter indistinctā à natura specifica: ergo causa quæ hanc numero entitatem causat, etiam determinat indiuiduationem in genere causæ efficientis.

Respondent Recentiores causam determinari quoad speciem, esse idē ac determinari quoad plura indiuidua sub disiūctione: ex quib⁹ Deus vnū determinat indiuiduum; relinquens causæ secundæ determinationem quoad speciem.

41 Sed contra facile arguitur: nam hæc determinatio subdisiūctione, conuenit causæ in actu primo, vt est completam habens virtutem ad hanc speciem actuum. Quando verò seipsam determinat causa

libera ad actum bonum, vel malū; vel quando causa naturalis applicatur ad hanc numero actionem, à qua videmus prouenire hunc numero effectum; verè est ablata in determinatio; siquidem verè efficit hunc numero effectum: ergo verè causa secunda determinat in diuisionem effectus in genere causæ efficientis. Probatur consequentia, in tantum determinatur hic numero effectus, in quantum efficitur hic numero: sed verè per propriam actionem est determinata ad causandum hunc numero: ergo vere determinat hoc numero indiuiduationis principium intrinsecum.

42 Melius respondebis, quod licet realiter natura, & indiuiduationis principia intrinseca sint idem; tamen distinguuntur ratione ratio cinata: & hoc sufficit vt species correspondeat causæ proximæ, & indiuiduationis determinatio correspondeat causæ primæ. Sicut ratio corporis correspondet causæ vniuersali corporali, & ratio specifica causæ particulari: nam vt dicitur 2. Physicorum textu 26. *homo generat hominem, & Sol.*

43 Respondeatur verissimum esse quod ait S. Tho. 1. p. q. 45. ar. 5. *oportere vniuersaliores effectus in vniuersalioribus, & priores causas reducere. Inter omnes autem effectus vniuersalissimum est ipsum esse. Vnde oportet quod sit proprius effectus prima, & vniuersalissima causa, quæ est Deus.* Et ideo nil dat esse nisi in virtute Dei: ac per consequens in quolibet effectum singulari ratio entis correspondet Deo. Quia tamè ex bonitatis abundantia excellen-

tiam causalitatis etiã creaturis Deus contulit; ideo ipsæ verè causant actione indiuidua effectus in indiuiduo: sicut ergo prædicata alia sub rationibus proprijs correspondent suis causis secundum speciem, ita, & indiuiduatio hæc huic correspondet causæ indiuiduæ: cū causarum efficientiã, licet Deus præueniat; non tamè tollat. Et omnia prædicata in indiuiduo producta, respondeant causis indiuiduis, agentibus actione indiuidua, circa indiuiduam rationem, sibi hic, & nunc correspondentem: alioquin solus Deus efficeret nunc, & aliæ causæ à Deo motæ nil singulare agerent: quod est absurdum. Optime ergo ait S. Thomas de Spirit. creat. ar. 3. ad 20. *Nec vniuersalius agens agit seorsum ab inferioribus agentibus; sed vltimum agens proprium, agit in virtute omnium superiorum.* Si enim solum voluissent Authores contrarij asserere, quod determinatio causæ secundæ præuenitur à prædeterminatione causæ primæ, verissimam doctrinam nobiscum tenerent: nã vt dicitur in libro de causis, & adduximus cum D. Thoma 2. Phys. q. 14. n. 47. *Causalitas causa secunda firmatur per causalitatem causæ primæ.* Sed veniamus iam ad declarandum intrinsecum radicale indiuiduationis principium in substantijs corporalibus.

s. VI.

Materia quantitate signata est principium indiuiduationis.

44 **D**ico primo, materia prima est radicale principium indiuiduationis.

diuiduationis substantiæ materialis. Ita Phylosophus 12. Metaphisicæ textu 49. probans mouens immobile esse tantum unum, quia *non habet materiam primam: & quacumque sunt numero multa, materiam habent: vbi videndus S. Thomas lectione 10. lit. f. Idem docet Phylosophus 7. Metaphisicæ textu 35. & S. Thomas ibi lec. 10. lit. b. & textu 28. in fine lec. 7. Expressè etiam libro 5. Metaphisicæ textu 12. inquit Phylosophus, numero sunt unum, quorum materia una.* Et idem asserit ibi S. Thomas lec. 8. lit. d. Supponit idem Phylosophus libro 1. de Cælo a textu 92. probans vnitatem Cæli, & Mundi ex vnitatem materiæ: de quo S. Thomas ibi lectione 19. & 20. Et iterum 10. Metaphisicæ textu 25. & S. Thomas ibi lect. 11. & quia sola lectione contextuum omnes euasiones præcluduntur; siquidem si non loqueretur de materia prima propriè, & in rigore, rationes eius nullius essent efficaciæ: idè non oportet amplius auctoritates ponderare.

45 S. Thomas idem docuit 1. p. q. 39. art. 1. ad 3. & art. 2. & q. 54. art. 3. ad 2. & q. 56. art. 1. ad 2. & q. 85. art. 1. & 3. & q. 86. art. 1. & 3. & 1. 2. q. 63. ar. 1. & 1. sent. dist. 35. ar. 5. & lib. 4. cōtrag. c. 63. & Quodl. 7. art. 3. & Quodl. 8. art. 5. & sæpissimè alibi.

46 Rationem assignat S. Thomas in 4. dist. 12. & 3. p. q. 77. art. 2. dicēs. Materia est indiuiduationis principium omnib⁹ formis inhærentib⁹; quia cū huiusmodi forme quantum est de se sint natæ in aliquo es-

se sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio; ideo nec forma ipsa sic existens; potest in alio esse. Cum ergo sit de ratione indiuidui, quod non possit in pluribus esse; materia erit radicale indiuiduationis principium. Prosequitur latius ratione eandem S. Thomas Opusculo 29. de Principio indiuiduationis in 2. p. illius. Et eā format Caietanus c. 2. de Ente, & essentia q. 5. art. 4. Nā illud est intrinsecū principium indiuiduationis, cui primo repugnat communicari pluribus per modum quo vniuersale cōmunicatur particulari: per hoc enim natura specifica redditur incōmunicabilis, & est id quo primo hoc indiuiduum distinguitur realiter materialiter ab alijs eiusdem speciei. Sed materia hæc est huiusmodi; siquidem materiæ, quæ est primum subiectum, repugnat pluribus communicari: nec intelligi potest materia huic propria, & quod sit alteri comunicabilis, & forma redditur incomunicabilis, & non diuisibilis in plura numero per hoc quod est actus huius materiæ: ergo materia est principium radicale indiuiduationis.

47 Iterū probatur ex dictis §. 4. nā indiuiduationis principium intrinsecum debet esse aliquid substantiale: non forma, vt ibi est ostensum. ergo materia: siquidem aliud ab vtraque distinctum ostendimus esse non posse.

48 Vel aliter formati potest ratio, vt formatur illo Opus. 29. Indiuiduum est vltimū in genere substantiæ, quod de nullo alio predicatur:

siqui-

liquidem est prima substantia, quæ nec est in altero, nec de altero dicitur, & est primum fundamentum aliorum. Sed materia prima est radix, quod forma de vno solo dicitur, & sit fundamentum aliorum.

Ex quo enim forma recipitur in materia, efficitur individuum, quod est incommunicabile, & primum fundamentum in genere substantia, ut completum aliorum de se predicabilium subiectum. Ergo, ut post pauca infert S. Thomas, materia sola est principium individuationis, quoad illud in quo saluatur ratio primi in genere substantia. Ad hanc reducitur ratio Socinatis libro 7. Metaph. q. 33. quam late ibi prosequitur.

49 Occurri potest ex P. Suarez illa disp. 5. sec. 3. n. 6. in istis, & alijs rationibus, vel vocẽ illam *incommunicabile* æquiuoce sumi, vel falsum in probationibus assumi. Multis enim modis intelligi potest materiã esse incommunicabilem, & formam communicabilem; & ad præsens tres modi sufficiunt: vel incommunicabilitas *subiecti*; vel incommunicabilitas *causa*, vel *partis*; vel incommunicabilitas *superioris* respectu inferiorũ. Primo modo sensus est verissimus, quia prima materia est primum subiectum; & ita incommunicabilis subiecto, quod in formet, vel cui inhaereat. Sed hic sensus est impertinens ad rem, de qua agimus; tum quia nõ est de ratione individui vt sic, quod sit incommunicabile alteri vt subiecto; nam accidentia sunt individua, licet communicentur hoc modo: & formæ etiam substantiales. Tum etiã, quia

illa incommunicabilitas non sufficit ad rationem individui; materia enim ex vi suæ speciei est illo modo incommunicabilis; & tamẽ nõ est individua ex vi speciei, sed cõmunis multis materijs numero differentibus. Alij vero sensus falsi sunt, liquidem materia cõmunicatur formæ, & modo quo est causa eius, communicatur composito, vt pars toti. Forma item est communicabilis materiæ, vt subiecto, non vt inferiori. Et licet sit cõmunis multis formis, etiam materia est communis multis materijs: ergo quoad hoc non est maior ratio de vna, quam de alia.

50 Posset responderi primo, hac doctrina solum probari, id quod omnes Thomistæ cõcedunt, cum D. Thoma referendo conclusionem sequente, quod materia se sola, & non signata, non est individuationis principium: cum quo tamẽ stat quod materia signata sit adæquata radix individuationis.

51 Sed quia intẽrum solutionis etiam videtur esse, quod nullo titulo speciali sit materia radix individuationis. Ideo melius respondetur, quod incommunicabilitas sumitur primo modo: & ex illa deducitur, quod materia sit prima radix incommunicabilitatis vltimo modo. Quod sic patet: cõpositio metaphisica generis, & differentie diuersa est à compositione physica materiæ, & formæ: & tamen propter proportionem, potentialitas generis sumitur à materia, quæ est pura potentia; & differentia à forma, quia est actus determinans poten-

potentialitatem. De quo omnino videndus Ferrara 2. Contrag. c. 95.

5. *Sciendum tertio.* Pariter quamvis communitas vniuersalis speciei ad singularia essentialiter sub ea contenta, sit diuersa à comunicabilitate formæ physicae respectu materiæ. Tamen quia gradus mera phisici originatur, & radicanitur in physica cõpositione; idèd S. Tho. perspicacitèr id cõsideras, ex eo quod materia primum est fundamentum physicae irreceptibilitatis, ex proprijs deduxit esse primam radicem constitutiua primæ substantiæ in esse subiecti, & fundamenti aliorum: & idèd prima radix indiuiduorum materialiter distinctorum. Videantur PP. Carin. à n. 54. vsque 60.

52. Ad primam improbationem respõdetur, quod accidentium indiuiduatio hac ratione sumitur à subiecto, vt docet S. Th. 1. p. q. 29. art. 1. & 3. p. q. 77. ar. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. ar. 1. q. 3. & 5. Metaph. tex. 15. lec. 12. & sapiissimi nè alibi. Et formæ receptibiles in materia, ex cõmensuratione ad illam indiuiduantur. Formæ autem perse subsistentes per se ipsas, & per suam irreceptibilitatem indiuiduantur. Vnde licet irreceptibilitas, & receptibilitas physica formæ, & materiæ, sit formaliter diuersa à receptione naturæ in singularibus, cum quibus identificatur; tamen vna originatur ex aliâ: & nunc nõ tam est quæstio de logica, vel metaphisica differentia indiuiduali; quam de rationale eius physica. Et idèd ratio est ex proprijs. Et instantiã Suarez iam diu sibi obiecerat Socinas illa q.

33. Videatur Opuscul 32. apud D. Thomam cap. 3.

53. Secunda improbatio facile soluitur recolendo, quæ diximus lib. 1. Phys. q. 10. quod materia est vna numero negatiuè, & quod cū diuiditur in plures species, est ex ordine ad diuersa genera formarum. Vnde semper verificatur, quod actus est qui distinguit; forma quidem specificè, & quantitas integraliter, vt iam exponimus. Et nota, quod obiectionem hanc soluit S. Thom. Opusc. 29. in fine.

54. Dico secundo, materia prima non est adæquata radix indiuiduationis; bene tamen materia signata quantitate. Ita expressè docet S. Tho. c. 2. de Ente; & essentia, dicens: *Et idèd sciendum est, quod materia, non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis sed solum materia signata.* Idem docet lib. 5. Metaph. lec. 8. lit. d. & 1. p. q. 85. art. 1. ad 2. Et lib. 4. Contrag. c. 65. in fine ait: *In genere substantia multiplicatio fit secundum dimensionem materiæ: quæ nec intelligi posset nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam remota quantitate substantia omnis indiuisibilis est, vt patet per Philosophum 1. Phys. tex. 15. Et q. 2. de Verit. art. 6. ad 1. & art. 7. & q. 10. ar. 5. & q. 16. de Malo art. 1. ad 28: & Opusc. 29. in fine.*

55. Et Opusc. 70. q. 4. art. 2. ad 1. rationem assignat, dicens: *Cum dicat Philosophus, numero sunt vnum, quorum materia est vna; intelligendum est de materia signata, quæ subest dimensionibus; aliàs oporteret dicere, quod omnia genera bilia, & corruptibilia sunt vnũ numero,*

cum eorum sit materia vna. Idem dicit ad 2. & ad 4.

56 Aliam rationē alijs locis tradit, & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstionūcula 3. ad 3. & 3. p. q. 77. art. 2. ait: Individuationis principium est quantitas dimensua: ex hoc enim aliquid natum est esse in vno solo, quod illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs: diuisio autem accidit substantiæ ratione quætitatis, vt dicitur in 1. Phisicorū. Et ideò ipsa quantitas dimensua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis, in quantum scilicet diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ.

57 Duæ rationes proponuntur in verbis relatis S. Thomæ: altera ab inconuenienti, quia cum materia de se sit vna, & communis omnium sublunarium, si ipsa sola sufficit ad vnitatem indiuidualem, & numericam; sequitur omnia sublunaria esse vnum numero. Quod est apertè falsum.

Alter ratio est à priori, quia indiuiduum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: sed materia seclusa signatione quætitatis est indiuisibilis, & inextensa: ergo materia seclusa signatione quætitatis, non est indiuidua. Posita autem signatione non potest non poni indiuiduatio, & vltima dispositio: ergo est indiuiduationis principium.

s. VII.

Qualiter materia signetur quantitate; variè declarant Thomistæ.

58 IN duabus præcedentibus conclusionibus omnes Thomistæ concordant. Quia verò non videtur facile posse declarari quid sit hæc signatio materiæ? Ideò discrimen est inter eos in hoc puncto de clarando. Vnico verbo ratio dubitandi est: quia vel hæc signatio est quid substantiale; vel quid accidens tale? Si primum; nõ poterit prouenire à quætitate: nec apparet quid sit distinctum à materia ipsa, quæ se sola nequit esse indiuiduationis principium. Si dicatur secundum; nequit esse indiuiduationis principium: siquidē radix indiuiduationis substantialis non potest non esse aliquid substantiale, iuxta ea quæ ex D. Tho. diximus supra n. 16.

59 Primus dicendi modus est, materiæ signationē per quantitatem, solum esse principium indiuiduationis à posteriori, & quoad nos; quia nobis signatio per accidentia est manifestior, vt potè sensibus proximior. Ita videtur indicare S. Thom. Opusculo 29. in fine. Et habetur Opusculo 32. apud D. Thomam cap. 3. Et docuisse grauissimos, & sapientissimos Thomistas sui temporis, testatur M. Bañez hic cap. 5. quæst. 3. art. 7. qui & conclusionem 2. dicit esse probabilissimum. Et latè exponit P. Suarez disput. 5. sectione 3. à num. 28. & num. 34. ait, quod

quod est opinio probabilis, & quod si
bi aliquando placuit.

60. Circumfertur sine nomine
certi Authoris sententia asserens,
sigillationem fieri per modum quē-
dam materiæ superadditū. Quod
merito tribui potest Aegidio Ro-
mano, qui Quodlibeto primo que-
stione vndecima, §. *Advertendum er-
g.*, ait. Substantia cum sua signa-
tione non dicit aliud, quam sub-
stantiam: *Sed solum superaddit quem
dam modum se habendi, quem habet sub-
stantia sub quantitate*: sicut materia
habens partes non dicit aliud, quā
materiam: sed solum dicit *quemdam
modum se habendi*, quem habet ma-
teria ex eo quod perficiatur. Pa-
ret ergo quomodo fiat individua-
tio, & quomodo individuatō nō
remoueat res à proprijs prædica-
mentis. Hæc ibi. Et Quodlib. 2.
quæstione 7. docet, quod *vbi for-
ma trahitur ad modum materiae, oportet
quod diuidatur secundum diuisionem ma-
teriae*. Videatur Quodlibeto 4. quæ-
stione 1. & 9. & in secundo senten-
tiarum distinctione 3. articulo 2.
quæst. 1.

61. Ratio illius iam est indicata,
quia materia de se est pura poten-
tia, indifferens substantialiter, & in-
trinsecè ad hoc individuum consti-
tuendum præalio. Per quantitatē
solum determinatur, & diuiditur
accidentaliter, & extrinsecè. Ergo
vt in instanti generationis (cū for-
mam substantialem nullum præce-
dit accidens) oportet materiam ef-
se sigillatam aliquo modo substā-
tiali intrinsecò, vt individuum sub-
stantiale ex ipsa, & forma cōstitua-
tur.

62. Celebris est opinio, quæ asse-
rit materiam nō sigillari per quā-
titem actu informantem, & in hæ-
rentem; nec per modum substan-
tialem materiæ superadditum: sed
per materiam vt actu præhabentē
hanc potius quantitatem, quam il-
lam. Huius opinionis Author est
Caietanus: qui duplici via cā tue-
tur. Nam cap. 2. de Ente, & essentia
quæst. 5. dicit, hoc nihil esse aliud,
quam materia cum potentia ad
quantitatem. Quia tamen poten-
tia hæc, vt ibi exponitur, videtur
esse aliquid accidentale reductiuè
pertinēs ad genus quātitaris. Ideò
ipse Caietanus propriam emenda-
uit sententiam 1. p. quæst. 29. artic.
1. docens materiam signari quanti-
tate, nihil aliud esse, quam mate-
riam præhabere per modum radi-
cis hanc potius quātitem, quam
illam. Eandem opinionem sequun-
tur lauellus §. Metaph. q. 15. Albel-
da 1. p. q. 11. disp. 23. Hieronymus
Rua Controu. 3. Scholastica, §. *Ter-
tio videndū*, pag. 389. PP. Carn. 1. p.
trac. 1. dub. 5. & M. Ioan. à S. Tho.
hic q. 9. ar. 4. Ortiz, & Lerma addu-
cti à nobis li. 2. Log. q. 13. n. 3. Itē,
ex his qui sequentē tuetur opinio-
nē, hanc defendunt Araujo lib. 8.
Met. q. 2. ar. 2. Bañez hic lib. 1. c. 5.
q. 3. art. 8. vocans *probabilissimā, val-
de subtilem, & satis ad mentem D. Tho.*

63. Potissimè suadetur, ex eo
quod S. Th. Opus. 70. q. 4. art. 2. ad
2. ait, quod *dimensiones, cū sint accidentia,
perse non possunt esse principia unitatis in-
diuidua substantia: sed materia prout tali-
bus dimensionibus subest, intelligitur esse
principium talis unitatis, & multitudini*

Et Opusc. 29. ait. *Materia enim sola est principium individuationis, quoad illud in quo saluatur ratio primi in genere substantiæ. Quod & habetur Opusc. 32. apud D. Tho. c. 3.*

64. Fundamentalis ratio, & eadem totius difficultatis est quia individuum est prima substantia, & vnum per se ponibile in prædicamentis ut fundamentum omnium: ac per consequens ad eius constitutionem non intrat intrinsecè, aliquod accidens: quod est alterius lineæ, faciens vnum per accidens cum substantia: ergo solum intrat quantitas extrinsecè, ut præhabita in materia radicaliter.

65. Secundo, quia realiter, & physice loquendo, idem est constitutum, & distinctum. *Chimericum enim est (inquit Caietanus) hoc actus separare secundum rem.* Et in illa q. 5. dicit, quod non nisi voce à proteruis negari posse videtur. Sicut idem quod constituit in specie, distinguit specie ab omnibus alijs. Sed materia sola, sine quantitate inherente, constituit hoc individuum in se indivisum, & cum alio substantialiter non identificatum, hoc enim habet per propriam entitatem. Ergo & substantialiter individualiter separat ab omni alio se sola, seclusa quantitate actu inherente.

66. Tertio, omnis actus singularis physicus præcipit per se in singulari, quæ ad se utitur, ut sic verificetur, quod ait Philof. 2. Phys. tex. 38. iam adductus n. 37. quod sic se habent cause vniuersales ad vniuersalia, ita se habent cause particulares ad particularia. Et hac ratione non admittimus hæc

ceitatem physice superadditã, nec modum individuationis, quia supponerent iam materiam individuã. Sed cum intelligitur quantitas actu inherens, supponit materiam substantialiter individuã, & in re existente existenti formæ, quæ quantitatè præcedit. Ergo quantitas actu inherens non est principium individuationis: ergo solum restat, quod sit quantitas ut radicaliter præhabita in materia.

67. Nihilominus, non desunt grauissimi Thomistæ, qui quantitati, ut actu inherenti, tribuant sigillatim materiam, & in suo genere indiuiduare. Ita Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. Soncinas lib. 7. Met. q. 34. Et Ferrara 1. Contrag. c. 21. Siluester inconstato. 1. p. q. 29. ar. 1. Gregorius Vercellenis q. 7. quem citat, & sequitur Nazar. 1. p. q. 3. a. 2. Côtrou. vnica. Flandria lib. 7. Metaph. q. 22. ar. 2. vsque ad 5. Bañez vbi supra art. 8. concl. 2. Araujo libro 8. Metaph. q. 2. ar. 2. Et ex alijs tenent Godfredus Quodl. 6. q. 16. & Quodl. 7. q. 15. & ex parte Aureol. in 2. dist. 9. q. 3. art. 3. & Auersa q. 9. Logica sec. 5. conc. 2. Non tamen ab omnibus eisdem verbis exponitur. ¶ Quia Flandria, Bañez, & Araujo, & alij, dicunt quantitatem esse conditionem sine qua non. & est conditio extrinseca respectu essentiæ materiæ, cum accidens non possit esse de essentia substantiæ: est tamen intrinsecè inherens, & ut sic per modum dispositionis causæ materialis concurrat ad individuum; non verò solum se habet de connotato, & ut termini

nus radicaliter præhabitus in materia, vt dicebat Caietanus, qui ad vltimum admittit quãtitatem esse terminum extrinsecum; sed diuerfimodè, ac ab istis ponitur.

68 At verò Capreolus, Söcinas, Ferrara, & Nazarius, docent materiam primam esse primariam radicem indiuiduationis; quantitatem verò vt actu inhærentem esse radicem secundariam: nam dicunt ad indiuiduum duo requiri, nempe, esse indiuisum in se, & incommuniabile; & esse ab alio diuisum; primum prouenit à materia, iuxta dicta n. 44. vsque 53. secundum verò prouenit à quãtitate, iuxta ea quæ diximus à n. 54. vsque 57.

69 Nituntur validissimis argumentis ab autoritate, & ratione desumptis. In primis Phylsophus 3. Metaph. textu 11. & S. Thomas ibi lec. 8. lit. m. & libro 10. Metaph. textu 4. lec. 2. lit. f. docent, quod *omnis diuisio, aut est per formam, aut per quantitatem.* Et S. Thomas in 1. dist. 26. q. 2. ar. 2. ait. *Omis distinctio, vel diuisio est, vel per quantitatem, vel per formam secundum Phylsophum 5. Metaphisica textu 12. vbi S. Thomas initio lec. 12. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. cum ergo distinctio vnus indiuidui ab alio nõ sit formalis, sed materialis, hæc fit per quantitatem.*

70 Præterea, id quod alicui cõuenit primo, & perse, nulli alteri conuenit nisi per ipsum, vt patet 1. Posteriorum textu 14. Sed extensio diuisibilitas, & separatio huius ab alio cõuenit quantitati primo, & perse: & substantiæ non conuenit seclusa quantitate, vt ostensum

est libro 2. Logicæ q. 13. & 14. ergo distinctio vnus indiuidui ab alio est ratione quantitatis.

71 Quod confirmatur primo, nam si diuidatur lignum in decem partes, post diuisionem sunt decem ligna eiusdem speciei: sed huius distinctionis indiuidualis non potest vltimate dari alia causa, nisi diuisio continui facta à quantitatis diuisione: ergo signatio quantitatis est, saltem vltimatum, vel secundarium indiuiduationis principium.

Confirmatur secundo: nam eadem est ratio diuidendi vnus indiuiduum ab alio, ac partes indiuidui inter se: sed partes substantiæ sunt indiuisibiles seclusa quantitate, vt diximus illa q. 13. ergo nec indiuiduatio est completa sine quantitate.

72 Tertio principaliter hæc sententia suadetur: quia eisdem ipsis vocibus traditur expresse à D. Thomas 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. verbis iam relatis à n. 44. vsque ad 57. quæ si sincere accipiantur, videntur plane hæc partem suadere.

73 Denique S. Thomas Opusculo 70. quæst. 4. art. 2. ad 3. expresse ait: *De ratione indiuidui est, quod sit in se indiuisum. & ab alijs diuisum vltima diuisione: nullum autem accidens habet in se propriam rationem diuisionis, nisi quãtitas: unde dimensiones ex seipsis habent quandam rationem indiuiduationis secundum determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis.* Et est idem ac extensio partium in se, & in toto. Quod & docet S. Thomas 3. p. q.

77. art. 2. & Quodlib. 7. art. 10. Et ideo, loquitur, possibile est imaginari duas lineas sep. v. r. a. s. eiusdem speciei numero diuersas, s. c. e. u. d. u. m. d. i. u. e. r. s. u. m. s. i. u. m. Cū ergo inquiritur, cur hæc forma sit hæc numero? Responderetur, quia est in hac materia. Cur autem hæc sit vna numero? Est quia est iugillata hac numero quantitate. Et non est ulterius quærendum, quia hæc quodammodo indiuiduatur ex seipsa. Quod totum docet Sanctus Thomas, illo Opusc. 70. ad 4. Et 1. p. q. 75. ar. 7. in fine, ait. *Nec potest dici materia hæc alia ab illa, nisi secundum distinctionem quantitativam.* Quod & docet 2. ad Anib. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. & in alio scripto art. 4. & 1. p. q. 50. art. 2. & alibi sæpe.

74. His argumentis respondet Caietanus 1. p. q. 29. art. 1. quod materia vt præhabens quantitatem, quasi participat naturam quantitatis: imò plus est præhabere, quam participare: vnde si participantia naturam quantitatis, possunt præbere distinctionem, multo magis præhabentia naturam illius hoc poterunt. Vel vt ait Bañez art. 8. ad hoc vt effectus alicui tribuatur vt cause, satis est quod reducatur in illud secundum esse formale, vel informaliter participantia ipsum, vel in aliquid in quo radicaliter, & virtualiter præcontineatur.

75. Virget tamen Ferrara illo c. 21. §. *Sed licet*, inquirens in illo priori secundum naturam, in quo dicitur materiam esse appropriatam; aut est aliqua forma in materia per quam approprietur; aut nulla? Si primum, habetur intentum. Secū-

dam dicinequit: quia nulla potentia accipit limitationem nisi per aliquem actum, quem suscipit, vt habetur ex D. Thoma prima parte quæstione septima articulo primo; sed materia prima est pura potentia: ergo non accipit appropriationem nisi per aliquam formam; quia vt dicitur 7. Metaphis. textu 49. *actus est qui distinguit*, & formæ est determinare.

76. Quod amplius explicatur: nam substantia est radix accidentium: & tamen effectus formarum accidentalium non præstantur ab ipsa forma substantiali: alioquin superfluerent accidentia: & ita substantia sine quantitate esset extensa, & diuisibilis, & quanta. Imò se sola faceret formaliter omne, quod sit medijs accidentibus. Ergo æquivalencia illa radicalis, si nullam substantiam, vel modum, vel accidens superaddit materiæ, non sufficit vt materia sit radix huius indiuidui.

77. Occurres cum M. Albeldanum. 26. & 27. & cum PP. Carmelitans à num. 133. vsque 136. & alij, quod ad hanc determinationem sufficit nuda potentialitas materiæ, connotando hanc numero actionem agentis, & has dispositiones hic, & nunc introductas: quia hoc est quasi ingeniū materiæ: cū enim ex se sit vna negatiuè, positis istis connotationibus, hic & nunc habet connexionem cū hac quantitate, & potius est radix illius, quam alterius.

78. Quamquam hæc solutio videatur habere fundamentum in D.

Thoma de Spiritualibus Creaturis art. 3. ad 20. ubi ait, quod materia pro nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas; sed determinatur ad speciales formas per virtutem mouentis, ut traditur in 2. de Generatione textu 53. Tamen ibi loquitur de determinatione extrinseca, quæ est ab efficiente: vnde loquendo de determinatione intrinseca, non recurrit S. Thomas pro determinatione ad potentialitatem materie, sed potius ad actualitatem formarum, quæ ab agente imprimuntur. Vnde concludit, quod materia secundum quod consideratur perfecta sub ratione forme vniuersalioris, & accidentium consequentium, sit propria ad subsequenter perfectionem. Si ergo pro illo priori nulla forma substantialis, vel accidentalis, vel modus est in materia; manet sola potentialitas: ergo non est sigillatio, nec indiuiduatio.

79 Rursum, si hæc est natura materia, quod sua potentialitas determinatur, positis extrinsecis conditionibus; restat quod dicamus solam materiam primam, absque vlla sigillatione intrinseca data à quantitate, sit principium indiuiduationis: siquidem radix quantitatis non est quantitas, sed sola substantia: sicut radix risibilitatis non est risibile, sed rationale; & radix coloris non est color formaliter, & proprie loquendo. Admittere autem quod sola materia est radix indiuiduationis, aduersatur adductis in 2. concl. n. 54. vsque 58.

80 Tandem respondet M. Ioan. à S. Thoma ad 2. probationem pri-

mi argumēti, & ad 2. confirmacionem accūdi, quod materia est indifferens ad hanc quantitatem, vel ad illam, tanquam ad formam qua actuari debet: & idem non recipit hanc quantitatem singularem, nec tunc intelligitur ut indiuiduata, antequam ipsa materia singularis, & determinata sit. Sed tamen ipsa quantitas ut diuidens, & separans ipsas partes materie, antecedit ipsam singularitatem sui subiecti, tanquam cōditio requisita, ut materia exerceat suam distinctionem, & incommunicabilitatem substantialem: & per talē diuisionem signatur materia.

81 Sed contra: nam quod quantitas diuidat, & separet partes materie, est inquantū illi sunt ei⁹ effect⁹, vel primarij, vel secundarij: sed implicat in exercitio physicè dare effectus primarios, vel secundarios aliā formā accidentalem, vel substantialem, quin intelligatur indiuidua: eo quod existentia, & operatio solū est rei singularis, & indiuiduæ: ergo nō potest intelligi pro tūc quantitas ut diuidēs, & separans, si nō intelligitur quantitas ut indiuidua.

82 Secundo, sequitur quod quantitas, ut diuidens, & extendēs partes materie, intelligatur in ipsa ut præcedit formā substantialem; siquidem forma actuat materiam indiuiduā: & eadē quantitas, ut indiuidua, sequatur formā, siquidē accidentia subiectantur in toto cōposito. Hoc autē admittere, absurdū videretur, videlicet, quod physicè loquēdo, ei⁹ effect⁹ formalis formæ sit in vno subiecto, & eius indiuiduatio sit in alio.

83 Tertio, contra istam solutio-

nem videntur insurgere difficultates vtriusque extremæ sententiæ: nam in primis inquiri potest, si hæc est diuisio accidentalis; quomodo intrinsece pertinet ad indiuiduationem substantiæ? Si est substantialis; quomodo in genere causæ formalis prouenit ab accidente? Rursus, vel ponit aliquid actu in materia; vel nihil? Si primum; forma nõ vnietur immediatè materiæ indiuiduæ. Si secundum; ergo materia non sigillata intrinsecè, erit se sola indiuiduationis principium. Quare ad hanc tuendam sententiã, præcedentes solutiones, vt faciliores, communius acceptantur, & traduntur, quam illa.

S. VIII.

Resolutio quæstionis de signatione materiae per quantitatem.

84 **I**Deò vtramque sententiam, quæ potui diligentia, conatus sum stabilire; non solum quia vtræque iudico valdè probabilè in via D. Tho. & absolutè; sed quia ego vtramque simul veram esse intrepidè proferrem; nisi clare viderem ambarum Authoribus hanc cõcordiam displicere, quia ad propriam opinionem firmandam, aliam infirmare, & euertere totis viribus sunt conati. Sed ab his abstrahendo, vt appareat quid veritatis in vtraque contineatur, recolèda est distinctio proposita n. 15. quod vnitatis transcendentalis non differt

ab ipsa rei substantia, vt indiuisa; vnitatis verò, & diuisio prædicamentalis est de genere quantitatis.

85 Rursus recolèdum ex dictis lib. 2. Log. q. 13. & hic lib. 1. q. 19. n. 21. quod substantia corporea sine quantitate, est indiuisibilis, & inextensa, & imparribilis: at verò substantia in propria linea habet partes, & distinctionem earum substantialem. Iuxta hoc ergo, cum vt ait S. Tho. relat^o n. 73. *indiuuum sit in se indiuisum, & ab alijs diuisum vltima diuisione.* Diuisio aliqua, vel potest esse vltima solum in linea substantiæ; vel potest esse vltima absolute. Est vltima in linea substantiæ, quando verificatur, quod hoc substantialiter non est illud. Est vltima absolute, quando hoc non est continuatum cum illo, sed ab illo diuisum. Licet autem diuisiones istæ plusquam genere differant, quia prima est transcendens, & tam latè patens, quam vnum, & multa; secunda verò solum conueniat rebus quantis. Tamen in istis non datur vna sine alia; quia quantitas est prima dispositio materię; & hæc numquam inuenitur sine aliqua forma corporali: & gradum corporis sequitur quantitas dimensiuæ, vt diximus lib. 1. q. 12. & 2. p. Metaph. Controu. 3. Ideò vt completè exponatur principium indiuiduationis, & diuisionis numericæ in corporalibus; & exponenda est radix vnitatis, & distinctionis transcendentalis rei indiuiduæ corporeæ; & declaranda est radix vnitatis, & distinctionis purè numericæ quantitatiuæ; quia, physicè loquendo

quendo, non contingit diuidere quantitates, quin fiant duo indiuidua substantiæ, quæ à quâtitate habet extensionem, & diuisibilitatē, & media diuisione quantitatiua exercetur vltimarè diuisiō substantialis entitatiua.

86 Dico ergo primo, loquendo de indiuiduo quoad substantialia, materia sine quantitate actu informante, est radix indiuiduationis, non solum quoad diuisionem in se, sed etiam quoad substantialem diuisionem ab omnibus alijs. Hæc demonstrant, quæ adduximus pro sententia Caietani. Quæ clarius apparent, si Deus conseruaret materiam indiuiduam sine quantitate actu informante; tunc enim seipsa per hoc quod esset radix talis quâtitatis, differret substantialiter ab omni alia materia existēte, vel possibili, quæ esset cum quâtitate, vel sine illa: quia accidens nequit esse ratio formalis faciendi differentiã substantialem, sicut nec potest cōstituere substantiam.

In sensu huius conclusionis verificatur, quod *hae carnes, & hæc ossa, & hæc anima sunt principia indiuiduationis hominem, vt docet S. Tho. 1. p. q. 29. art. 2. ad 3. & ar. 4. & q. 30. a. 4. & q. 33. ar. 2. & q. 75. ar. 4. & q. 10. de Ver. ar. 5. & q. 9. de Potent. ar. 1. ad 6. & lib. 1. Contrag. c. 65. ad 2. & lib. 2. c. 74.*

87 Dico secundo, si loquamur de indiuiduo, vt est vnum vnitatem numerali quâtitatiua, seu prædicamentali, sic principium indiuiduationis est quâtitas vt actu inhærens, dans extensionem, & diuisibilitatem

in partes. Hanc conclusionem probant authoritates, & rationes adductæ à n. 69. vsque 84. Et quia de indiuiduo in ista acceptione loquuntur vltimæ sententiæ Authores; ideò simpliciter eorum sententiam reliquis præferimus, si ambas simul veras alij diffiteantur.

88 Quod autem hæc sit Thomistarum, huius sententiæ Authorum, mens manifesta, eorum verbis relatis erit perspicuum. M. Soneinas illa q. 34. ad 1. ait: *Quod in illo priori hoc genitum est vnum vnitatem transcendente; nõ autem vnitatem numerali; quia hæc non est nisi per quantitatem: & de hac vnitatem loquimur.* M. Ferrara illo c. 21. in 2. solut. ad 2. post multa ad intentum conducentia, tandè ait. *Quomodo enim vnumquodque habet esse quantum, eodem modo habet vnitatem de genere quantitatis: & quia nihil habet esse quantum, nisi per quantitatem formalem: Ideò vnumquodque per quantitatem est formaliter vnum, vnitatem: quæ unitatiua.* De hac autem vnitatem loquimur, cū dicimus naturam per quantitatem formaliter, & indiuiduari, & habere distinctionem materialē ab alia, &c. M. Bañez art. 8. conc. 2. ait: *Materia quantitate signata est principium indiuiduationis, ita quod habet actu quantitatem; non quod quantitas indiuiduet substantiam; imò iam supponit indiuiduam; sed quia est cōditio sine qua materia indiuiduare non potest.* Similia dicunt M. Georgius Vercellensis, M. Araujo, & alij.

89 Et meo videri tenentur sic intelligere omnes, qui substantiæ tribuunt partes in genere substantiæ: licet dependant à quantitate

vt dante extensionem, & diuisibilitatem: quia pariformiter est discurrendum de diuisione indiuiduorum, ac de distinctione partium integralium, iuxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 81. art. 1. ¶ Illud notandum, quod pertinet ad quæstionem de voce, si debet quantitas appellari principium secundarium indiuiduationis, vel conditio sine qua non? Sed dum de re constat, parum refert hoc, vel illo modo loqui: certum enim est, quod id quod est ratio formalis extendendi, & dandi diuisibilitatem, est conditio respectu distinctionis transcendentis substantialis: nam licet sit inueniens, quod substantia dependeat ab accidente vt à ratione formali; non tamen est inconueniens, sed necessarium, quod ab accidentibus dependeat vt à conditionibus. Licet collectio accidentium non sit principium indiuiduationis, vt docet S. Thomas 7. Metaph. lec. 15. nisi quoad nostram sensibilem cognitionem: eo quod vt ait S. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. ad 3. *quia substantiales differentie non sunt nobis nota, vel etiam nominata non sunt; oportet inter dum, uti differentie accidentibus loco substantiarum.*

90 Iuxta hunc dicendi modum facillime soluantur omnia argumenta pro Caietano adducta. Auctoritates enim expresse loquuntur de vnitatem transcendentem, quæ est substantialis, & primaria: & hanc fatemur non provenire à quantitate. Et sic pro nobis est prima ratio.

91 Ad secundam plane fatemur idem esse constitutum, & distin-

ctuum, si comparatio fiat in eodem genere: vnde in linea substantiæ est constitutum, & distinctum transcendente ab ipsa entitate in distinctum. Cæterum vnitatem prædicamentali, quæ non est nisi in corporalibus, vt ait S. Thomas q. 3. de Potent. ar. 8. ad 7. quæntitas constituit, & diuidit: sed hæc non est prima ratio incommunicabilitatis, sed sola materia.

92 Ad tertium dicitur, quod quantitas supponit primariam rationem indiuidui in materia, & ipsa dat in suo genere consumationem indiuiduationis, iuxta ea quæ n. 73. aducebamus ex D. Tho. Quomodo autem dispositiones præcedant substantiam? Explicuimus iam libro 1. q. 9.

93 Fateor ab hoc dicendi modo recedere Capreolum in 2. dist. 3. q. 1. ad 4. Scoti contra secundam folio 75. & Nazarium 1. p. q. 3. art. 2. cõtrou. vnica notabili 4. in fine, & conclusione 6. docentes, non omne principium intrinsecum indiuiduationis in linea substantiæ, debere pertinere ad prædicamentum substantiæ: & ideo asserunt, quod quantitas est principium indiuiduationis quoad distinctionem numericam substantialem, & non tantum quoad distinctionem de prædicamento quantitatatis. Asumptum probant ex D. Thoma 3. p. q. 2. ar. 3. ad 3. dicente, *in rebus creatis res ali qua singularis, non ponitur in genere, vel specie ratione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem; sed ratione naturæ, quæ secundum formam determinatur.*


94 Respondetur istam auctoritatem

tatemiam nos adduxisse libro 2. Logicæ q. 6. n. 13. vbi diximus prius loqui eos, qui prius substantias constituunt directe in prædicamento; quamuis ratio pertinendi non sit indiuiduatio, sed natura, in qua distinguuntur prædicata generica, & specifica. Cum autem prædicamenta sint impermixta formaliter, impossibile videtur rem vni⁹ prædicamenti intrinsece includere rem alterius prædicamenti, vt non solum docet Caietanus, & auctores prioris sententiæ; sed ex nostræ authoribus latè Bañez hic lib. 1. cap. 5. q. 3. notab. 6. vbi ad authoritatem respondet, aliud esse aliquid constitui in specie; aliud constitui sub specie: in specie constitui per formam, & non per indiuiduationem: & hoc docet S. Thomas. Sub specie autem constituitur per principia indiuiduantia: & ista quoad distinctionem entitatiuam sunt in genere substantiæ: & radicaliter sumuntur à materia: vn-


de subdit ibi S. Thomas, *cum indiuiduatio magis sit secundum materias in rebus compositis.* Quoad vltimam vero diuisionem quantitatiuam, & numeralem sunt in genere quantitatis: quia, vt ait S. Thom. 1. p. q. 75. a. 7. in fine: *Nec potest dici materia hæc alia ab illa, nisi secundum distinctionem quantitatiuam.* ¶ Verbis ergo Doctoris Angelici huic operi finem imponimus, cui⁹ doctrina ei initium dedimus: imò, & totum progressum ei debemus. Ingenuè enim profiteor (quod de Apostolo Paulo de se restatur Chrysostomus Præfatione in ei⁹ epistolas:) *Næque enim nos, quæ scimus, si quid scimus, ab ingenij bonitate, atq; acumine scimus; sed quod erga hunc virum impense affecti, ab illius lectione numquam discedimus.* Ad laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, & Domini Nostræ Iesu Christi, & Deigenitricis, semperque Virginis
MARIÆ.




FINIS.



F I M I S






ESTANTE 11

Tabla 7.^a

N.º 3





PRADO
CURSUS
PHILOS.



T. III.



1.031